

## **Incipit manipulus vel directorium juris civilis et collectus per necessaria, quae in ipso jure sunt contenta<sup>1)</sup>.**

Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus videlicet pacis et bellorum recte possit gubernari.

Ulpianus imperator: legem nostram melius arbitrati sumus corrigeri, quam subjectos despicere periculum sustinentes.

Idem: non culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverunt constitutiones, vel si post paululum forte, quam scripta lex est, ad-hoc ignorata praecesserunt testationes et legata.

Ideo, quae contra legem facta sunt, pro imperfectis sunt habenda.

Imperator quilibet non esset semper augustus, si imperare posset imperatori post se venienti.

Imperator se intromittit de spiritualibus vel ecclesiasticis non inveniendi de novo vel constituendo, sed recitando sacras regulas, contra quas, si quis fecerit, imponit poenas.

Item intromittit se quandoque hoc auctoritate papae facit, et hoc faciendo statum reipublicae tuetur, cum intersit reipublicae, sacerdotes esse honestos, a quibus peccatorum poenitentiam petamus.

Et similiter papa non intromittet se de temporalibus, ne unus officium duorum habeat, quia sic turbatur opus.

Et licet Constantinus jurisdictionem temporalem dederit beato Silvestro papae in principio, tamen hoc non obstat, quia per hoc (Constantinus) auxit rempublicam, quantum in eo fuit.

Ideo ab imperatoribus praecedentibus et a nobis ipsis recte dicitur, aperte sacras regulas pro legibus valere, non multum differt ab alterutro sacerdotium imperium et sacrae res a communibus et publicis cum omnibus sanctissimis ecclesiis abundantia et status ex imperialibus munificentiis perpetue praebetur, quae de cetero non culpabuntur.

---

<sup>1)</sup> Diese Aufschrift findet sich in Hss. H. B. C. dagegen beginnt Hs. A. „Iste liber, cursus seu Registrum civilium sententiарum intitulatur, quarum rubricae secundum ordinem alphabeti sunt positae pro eo ut facilius lector studiosus super casu quocumque adinveniat quod requirit.“ Hss. B. K. haben das vorstehende Proemium; K. insbesondere die Aufschrift Liber sententiарum Primislai qui postea dictus Ottogarus; von ganz neuer Hand ist hinzugefügt 1261. Die Zahl, welche früher diesen Platz einnahm, war 43, wohl 1343.

Unde universa geruntur et competenter, si rei principium fiat decens, et amabile deo, hoc autem futurum esse credimus, si sacramentorum regularum observatio custodiatur quam justi, laudandi et adorandi inspectores, ministri dei verbi tradiderunt, apostoli et sancti patres custodierunt et explanarunt.

Imperium propterea deus de coelo constituit, ut difficultatibus finem reponat, quae apud eum sunt bona, et leges aptet secundum naturae varietatem.

Imperium deus constituit promittendo, et populus romanus dei promissione disponendo.

Sequitur de divisione iurium omnium. In legibus scribitur sic: Civilis ratio civilia jura corrumpere potest, naturalia vero non utique.

Et est jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, nam jus istud non solum humano generi proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo et in aere, quae in terra, quae in mari nascentur.

Hinc descendit maris et foeminae conjugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio et educatio, videamus etenim cetera quaeque animalia istius juris peritia censerit.

Jus autem civile vel gentium ita dividitur: Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur partim suo, partim communii omnium hominum jure utuntur.

Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, illud ipsius proprium et civitatis est; vocaturque jus civile; quasi proprium jus ipsius civitatis.

Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, illud inter omnes populos per aequum custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur, nam usu exigente, et humanis necessitatibus gentes humanae quidam leges sibi constituerunt.

Bella etenim orta sunt, et captivitates securae et servitudes, quae sunt juri naturali contrariae.

Jure enim naturali ab initio omnes homines liberi nascebantur, et ex hoc jure gentium omnes paene contractus introducti sunt, ut est entio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum, et alii innumerabiles contractus.

Item juris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, jus suum enique tribuere.

Et est quoddam jus publicum, quod ad statum rei romanae spectat; aliud est jus privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet.

Et hoc jus privatum triplici jure collectum est; collectum est enim ex naturalibus praeceptis aut gentium, aut civilibus.

Sed naturalia quidem jura, quae apud omnes gentes per aequum servantur, divina quadam providentia constituta semper firma et immutabilia permanent, ea vero, quae ipsa civitas sibi constituit, saepe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata.

Omne autem jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.

## Capitulum de actionibus.

(Utrum actori et reo cedat tota dies.)

1. Anno millesimo trecentesimo quadragesimo tertio: sententia prima (H. 4<sup>b</sup> A. 1. 1. B. 1<sup>b</sup> 1. C 1<sup>b</sup> 1. D. 2<sup>a</sup> K. 100<sup>a</sup>). Rustici de Scibnicz petiverunt sibi super casu subscripto juris sententiam inveniri: Actori et reo ratione ejusdam debiti peremptorie assignato termino, reus coram actuato eodem termino comparens judicio suam publicans praesentiam, et actoris instanter accusans absentiam, postquam judex et jurati hora meridie terminato judicio surrexisse, petivit sibi sententialiter dictari. „Utrum a querelis actoris, pro quibus eum in causam traxisset, cum nec per se nec per responsalem comparuisse, rigore juris non esset absolutus“ <sup>1)</sup>. Super quo a Juratis dictabatur: nisi actor infra triduum continue subsecuturum veniens causam absentiae suaee legitimam demonstraret, reus esset ab ejus instantiis absolutus. Qua sententia lata statim actor venit, petens pro se judicialiter sententiari, cum ei dies media transivisset et tota dies sibi cederet, et pro termino assignata fuisse, et sol nondum occidisset, utrum adhuc non tempestive venisset, et juxta suam querimoniam sibi provideri de justitia deberet. Cui rustici de Scibniz per juratos Brunnenses sunt informati <sup>2)</sup>: Si dies dictis partibus pro termino peremptorio praefixa fuerit, communis et generalis, ita, quod tali die pro causis quibuslibet consuevit ab antiquo judicium haberi, sicut verbi

<sup>1)</sup> Die Hs. A. B. C. K. weichen in der Form des Anfangs, wie wir ihn nach H. und D. geben, ab. — A. beginnt: Quidam proposuerunt hunc casum: Reus coram nobis judicio praesidentibus constitutus petens pro se judicialiter sibi dictare, cum actor ipsum sub poena perditionis causae, quae inter se vertebatur, ad hunc judiciale terminum citare procurasset, et neque personaliter, neque per responsalem ad probandum intentum compareret, utrum ab ejus impetitionibus supra causa hujusmodi deberet esse de cetero absolutus. — Cui vero reo per diffinitivam sententiam responsum fuit sic: nisi actor.... B. und K. beginnen: Si in causa civili ad actoris petitionem partibus utrisque dies praefixa fuerit ad probandum intentum actori, et actor horam neglexerit veniendo, reusque (versus B.) comparuerit petens pro se sententiari et infra, et est sententiandum, nisi actor. Die Angabe des Jahres hat bloss II. H.

<sup>2)</sup> Qui proponentes sententialiter sunt informati. A. Ad cuius sententiae discussionem est notandum K. Ad hoc docendum est. B.

gratia: est in Brunna<sup>1)</sup> Sabbatum<sup>2)</sup> vel feria quarta, tunc actori non cessit tota dies, sed tantum usque ad meridiem, vel aliam diei partem, ad quam aliis statutis temporibus Judex et Jurati actum continuare judiciorum consueverunt, nisi fortassis ex malitia in damnum actoris judex et jurati horam anticipassent et breviassent eandem. Si autem dies hujusmodi non fuerit communis, sed tantum specialiter dictis partibus, pro causa, quae inter eos vertebatur, pro termino assignata, tunc utrinque<sup>3)</sup> cessit tota dies, et rens tenetur actoris querimoniae respondere. Et fundatur ista sententia super hac distinctione<sup>4)</sup> solenni, quod<sup>5)</sup> duplex sit judicium: quoddam ordinarium, quod habet diem determinatam, qua consuevit ab antiquo judicio praesideri; quoddam autem extraordinarium, quod non habet diem determinatam, sed ad ipsum exercendum judex praesigere solet diem sibi causis ad ejus audiencem deductis et partibus competentem. Et primum quidem judicium respicit aliquam diei partem, ut plurimum tantum meridiem. Secundum autem respicit totam diem, ut legas infra in sententia super illa rubrica. „Quidam est actor principalis.“

2. Reus potior est actore in defendendo. (H. 5<sup>a</sup> 1 A 1. 2 B 2<sup>a</sup> 1. C 1<sup>b</sup> 2. D 2<sup>a</sup> 2. K 100<sup>a</sup> 2.) Reus, fide dignus, qui boni nominis et etiam famae, potius admittitur ad defendendum honorem, corpus et res, quam vincatur per actorem.

3. De actore et reo in genere, quod reus potest se defendere per testes advenas. (H. 5<sup>a</sup> 2 A. 1. 3. B. 2<sup>a</sup> 2. C. D. 2<sup>b</sup> 1 K. 100<sup>a</sup>.) Sententiatum est in judicio civitatis, quod in causa civili reus se et per testes fide dignos defendere potest, dato etiam, quod non sint in civitate residentes<sup>6)</sup>. Unde cum scribitur in juribus<sup>7)</sup> originalibus: Volumus et ut nullus hospes et advena super debito vel quacunque causa possit inducere testimonium advenarum contra cives, nisi cum advena habeat unum civem vel plures. Hoc est intelligendum, cum hospes agit in civem. Cum autem se defendit, sufficient testes fide digni qualescumque.

4. Actor, quandoque potius probat intentum suum, quam reus. (H. 5<sup>a</sup> 3 A 1. 4. B 2<sup>a</sup> 3. C 1<sup>b</sup> 3. D 2<sup>b</sup> 2. K 100<sup>b</sup> 2.) Jurati de Nausedlicz<sup>8)</sup> scripserunt sic: Actor vector existens conquestus est de reo mercatore, quod con-

<sup>1)</sup> Fehlt in A. B. K. <sup>2)</sup> vel feria sexta B. K. relatio die statuto. A.  
<sup>3)</sup> parti K. <sup>4)</sup> definitione K. B. <sup>5)</sup> Hier beginnt erst C. <sup>6)</sup> eodem  
 loco K. <sup>7)</sup> legibus K. <sup>8)</sup> Nausarlicz D.

duxisset cum cum decem equis et cum duobus curribus ad ducendum sibi per justam viam duo vasa vini de Nause dlicz usque in civitatem Lanszchron<sup>1)</sup>. Et cum prope civitatem Brunnam venisset, dixit reo: Domine in Brunn a solvenda sunt thelonia de vino vestro et etiam indigeo, quod reficiam utensilia curruum meorum, ergo Brunnam cum curribus intrabo, quia timeo, si per aliam viam transcam per theloniatorem equis et curribus me privari. Reus vero dixit, civitatem Brunnam non intra, sed exterius per aliam viam declina. Promitto enim tibi, si per theloniatorem rebus tuis privaberis, ipsas mea pecunia tibi solvam. De hoc promisso actor vult reum per probos viros convincere, qui tunc ibidem cum aliis curribus affuerunt. Et quidem, cum eandem viam, quam reus sibi indicavit rebus suis, quas ad XX marcas existimat, per theloniatorem sit privatus, utrum tale testimonium reus debeat pati, et per consequentiam actori damnum suum refundere, ut promisit. Reus vero puta mercator respondit allegando innocentiam suam adjungens, quod vectorem in Nause dlicz coram probis viris et litcopialibus<sup>2)</sup>, quod vulgaliter Leychaufleut<sup>3)</sup>, dicuntur, convenerit, excipiens, quod viam ignoraret, et per quamcunque justam viam vector transiret, per eandem ipsum sequi vellet; adjiciens etiam, quod vector voluntarie Brunnam non intraverit, sed per viam transiverit exteriorem. Petivit ergo pro se sententiari, utrum per testes fide dignos, qui conventioni in Nause dlicz interfuerunt, non possit se et sua melius defendere, quam vector ipsum convincere de promisso, quod asserit postea in campis prope Brunnam subsecutum. Super quo diffinitum fuit<sup>4)</sup>: quod in hoc casu audienda est probatio actoris: cum enim<sup>5)</sup> per factum subsequens tollatur primum et non e converso et ideo potius est admittendus actor ad probandum conventionem prius factam, nam illam actor in sua questione implicat et concedit, quare non oportet, quod per reum probetur. Nec ista diffinitio contrariatur<sup>6)</sup> juri communi, quo dicitur, quod reus potius se et sua possit defendere. Hoc enim est verum, cum actor et reus aequaliter, pro eodem tempore aliquod factum vel non factum esse, probare nituntur, unde etiam si reus obligasset se ad repellendum promissum, quod actor allegaverat

<sup>1)</sup> Lanzkron D. <sup>2)</sup> Eine Marginalbemerkung späterer Hand in II „litcopiales. Item mercipotales litkupnie“ (böhm.) <sup>3)</sup> leykauffer D. <sup>4)</sup> Hier beginnt A. B. R., voran Diffinitum est in A. <sup>5)</sup> Hier beginnt C. <sup>6)</sup> contraria A.

tunc se et sua bona potius defendere, quam ipsum actor convicisset<sup>1)</sup>.

5. Quod actor et reus, quandoque a judicio, in quo contendunt, ad judicium, in quo contraxerunt, sunt remittendi. (II 5<sup>b</sup> I A 1. 5. B 2<sup>a</sup> 4. C 1<sup>b</sup> 4. D 3<sup>a</sup> 1. K 100<sup>b</sup> 3.) Duo cives, unus de Wratislawia et alter de Vienna Brunnam venientes, Wratislawiensis conquestus est de Wiennensi, quod in XX sexagenis grossorum Pragensium sibi teneretur, petens, quod pro eisdem sibi ab eo de justitia provideri. Wiennensis debitum affirmans respondit, quod in Vienna aurum a Wratislawensi pro dictis XX sexagenis emerit, et litteris suis ac fidejussoribus civibus de Vienna ipsum ita, quod contentatur, certificaverit.

Petivit ergo pro se sententiari, si actor de hoc confiteatur, utrum ambo pro dicta decindenda causa non sint Wiennam remittendi. Actor vero ad interrogationem judicis in verba rei consentiens quaesivit, utrum sibi more hospitum non debeat infra triduum justitia exhiberi<sup>2)</sup>.

Super quod<sup>3)</sup> sententiatum<sup>4)</sup> fuit: Ex quo<sup>5)</sup> actor de litteris fideiussoribus<sup>6)</sup> et verbis rei consideretur<sup>7)</sup>, ambo deberent Wiennam<sup>8)</sup>, ubi contractus per ipsos est factus, remitti.

Unde<sup>9)</sup> non oportet, quod omnis causa terminetur in judicio in quo lis inchoatur, quamvis querimonia et responsio judicio fieri debent in eodem.

6. De actore quantum ad tempus, quando reus declinat responsionem. (II 6<sup>a</sup> 1 A 1.<sup>b</sup> B 3<sup>a</sup> 5. C 1<sup>a</sup> 5. D 3<sup>a</sup> 2. K 100<sup>b</sup> 4.) Jurati de Kniehnicz scripserunt sic: Actor conquestus de reo, quod in annis sterilibus, de quibus usque nunc transierunt XXX anni, noctis tempore de horreo suo XII capetia tritici exportaverit, sibi furtive, adjungens quod de hoc VII testes haberet idoneos, sed illos fatigare nolens in eo velit quod jus dictavit contentari. Reus vero habita causa, juratis deliberatione respondit: Domine judex, ex quo actor culpam, quam transactis annis XXX dicit esse commissam mihi impingit, et medio tempore, quo semper ad parendum juri certus sui, nihil mihi objecit, cum tantum judicij copiam interim me conveniendo semper habuerit, nec etiam aliquam protestationem de

<sup>1)</sup> convincere potuisset D. <sup>2)</sup> Hier beginnt A. B. K. <sup>3)</sup> quibus K.

<sup>4)</sup> Definiendum A. <sup>5)</sup> quando K. <sup>6)</sup> vel K. <sup>7)</sup> confitetur A. B. K.

<sup>8)</sup> in locum A. B. K. <sup>9)</sup> Semper non C. damit beginnt der Absatz in C.

conventione futura fecerit, nec culpam praedictam publicaverit, nec testes, quos se habere dicit, per quod potissime suae abrenunciet actioni, se fatigare vellet, cumque dictis annis XXX currentibus ego sex annis ad officium scabinatus, ad quod non eligitur aliquis, nisi sit bonae famae, fide dignus et idoneus assumptus fuerim, peto sententialiter inveniri, utrum teneor ejus querimoniae, quam dico temerariam, respondere. Super <sup>1)</sup> quo diffinitum fuit, reum virtute allegationum suarum non tenere, actoris querimoniae respondere. Et <sup>2)</sup> notandum, quod inter dictas allegationes maxime per hoc actor repellitur ab agendo, quod dicit, se habere testes quos nollet fatigare. Est enim talis excusatio frivola, quia magis est verisimile, quod actor <sup>3)</sup> causa honoris proprii testes statuat <sup>4)</sup>, quam eos fatigare nolens, cum rubore ab actione cadat.

7. Quod ad actoris querimonias reus, quandoque non compellitur respondere. (II 6<sup>a</sup> 2 A 1. 7. B 3<sup>a</sup> 6. C 1<sup>b</sup> 6. D 3<sup>b</sup> 1. K 100<sup>b</sup> 5.) Duo mercatores Pragenses ad domum cuiusdam civis in Broda ungari- eali venientes XXX marcas grossorum pragensium sibi ad servandum sub istis dederunt verbis, tantum nobis ambobus istam pecuniam assignabitis, et non uni, si fortassis ipsam a vobis repeteret, alio non presente. Postea vero post aliquot dies cum arduo esset occupatus negotio, unus dictorum duorum dicens se equos emisse, et statim venditorem suum pagare velle promisisse, dictas triginta marcas ab hospite postulavit, quas sibi per ejus famulum ut dicitur dari jussit. Vero die sequenti secundus socius suum recessisse considerans, cum hospes pecuniam, quam ab ipso petebat, sibi non daret, de eo conqueritur isto modo: Domine judex, ego et socius mens isti hospiti nostro XXX marcas sub ista conditione dedimus ad servandum, quod ipsas tantum nobis ambobus simul existentibus restitueret, et quia me absente dictam pecuniam socio meo dedit, peto mihi saltem, pro parte scilicet mea ab ipso de justicia provideri. Hospes autem respondit: Domine judex, de pecunia ad servandum mihi data consiteor petens pro me diffinitive sententiari, cum duo mihi pecuniam commiserint, ut in querimonia me impotentis audivistis, utrum non impetens cum socio suo simul pro ipsa pecunia tota in me agere debeat ipso jure.

---

<sup>1)</sup> Hier beginnt A. B. K. quandoque K. K. A. bilden den mit quod — tenetur. <sup>2)</sup> circa A. super B. K. quod notandum. <sup>3)</sup> Hier beginnt C. <sup>4)</sup> statuere debet K.

Super quo diffinitum<sup>1)</sup> fuit, quia petitio rei rationabilis est et justa, cum se reus ipse puta hospes confiteretur, se uni dictorum duorum pecuniam tradidisse, cum sic contra mandatum amborum, qui pecuniam sibi assignaverant, venisset, merito teneretur alteri pro media parte pecuniae secundum justitiam respondere.

8. De actore querente et reo non respondentе. (II. 6<sup>b</sup> I. A. 1. S. B. 3<sup>a</sup> 7. C. 1<sup>b</sup> 8. D. 4<sup>a</sup> I. K. 101<sup>a</sup> 1.) Si reus in indicium debite eitatus comparuerit et actoris querimoniam audiens ad ipsam non responderit, nec exceptionem de non respondendo interposuerit, sed simpliciter, tandem donec judex a iudicio surgat, tacuerit, in causa succumbit, et actor ipsam obtinet pleno jure. Sic sententiatum est a juratis de Raussenis<sup>2)</sup>.

9. De allegationi rei<sup>3)</sup>. Actio legatoria seu testamentaria si praemunitur testibus, quos allegaverat vel allegare debet, et si allegati non fuerint, reus liberabitur ipso jure.

10. Qualiter reus declinat responsionem. (II. 6<sup>b</sup> 2. A. 1. 9. B. 3<sup>b</sup> I. C. D. 4<sup>a</sup> 2. K. 101<sup>a</sup> 2.) Friczko civis Brunnensis, in Wyssaw veniens per Mikssonem<sup>4)</sup> ibidem arrestatus, eius recipit querimoniam sub his verbis: Domine judex, Ulricus patruus meus in extremis suis mihi et pueris meis legavit XIII marcas grossorum pragensem, in quibus dixit sibi Friczkonem legitime teneri. Pro qua pecunia peto mihi ab eo sive affirmaverit, sive negaverit de justitia provideri. Friczko vero proposuit in praefatione, vulgariter dicta vorred, quia Ulrico in agone laborante in praesentia judicis, juratorum et uxoris suae publicavit, quod omnia bona, quae Ulricus dimitteret, essent sibi pignori data pro XIII marcis dictorum denariorum et super eo in signum publicationis vulgaribus verbis dicendo vrkund dederit Ulrico, et uxore consentientibus voluntarie et non contradicentibus. Petivit ergo, si judex et jurati de hoc testarentur; utrum non deberet cessante respon-

<sup>1)</sup> Super quo sic sententiatum A. B. und K. fassen den obigen Fall zusammen. A. und B. weichen wohl etwas ab in der Wortsetzung. C. gibt den Schluss: Si creditor permisit pecuniam duobus assignacione et non uni tantum; si tunc unicorum assignaverit et hoc fassus et convictus fuerit merito tenetur alteri acrum pro media parte respondere.

<sup>2)</sup> K. Russano D.

<sup>3)</sup> Bloss in Hs. II.

<sup>4)</sup> A. B. K. beginnen hier mit Auslassung des Namens; im Wesen der Sache stimmen sie überein.

sione a Mikssonis instantia tamquam temeraria praeccipue, cum actio legataria seu testamentaria semper innititur<sup>1)</sup> testibus, quos Mikssso non allegaverat liberari. Super quo diffinitum fuit pro Friezkone, quod non teneretur Mikssonis querimoniae respondere intento suo probato, ut probaturum se obligaverit.

11. Quidam est actor principalis, quidam secundarius, sicut iudex agens pro emendis. (H. 6<sup>b</sup> 3. A. 1. 10. B. 3<sup>b</sup> 2. C. 1<sup>b</sup> 9. D. 4<sup>a</sup> 3. K. 101<sup>b</sup> 3.) Judex in Chremisir vocato quodam homine, qui nuper illuc se receperat, et equis venditis empta cerevisia ipsam propinabat, sibi dixit: habeo te suspectum, quod equos hic venditos alibi deduxeris. Unde talem diem pro termino peremptorio tibi praesigo, in quo testimonio fide digno iustitiam tuam demonstrabis. Instante itaque termino, cum dictus homo coram iudicio non comparuerit, sed in crastino cum octo personis fidedignis, qui testabantur, ipsum fidelem esse, et equos, quos in Chremisir vendiderat, suos fuisse, veniret, judex quesivit, utrum non juri suo ex termini prefixi negligentia derogasset<sup>2)</sup>. Super quo diffinitum fuit<sup>3)</sup>, quod quidam est actor principalis, qui agit super re propria, in qua reus sibi tenetur respondere: et talis actio stricti juris est, ita, quod neglectio termini reo praecjudicat. Alius est autem actor secundarius, sicut iudex agens, pro emendis vel lucrum tantum querens ex officii sui debito, aliquem in causam trahens: et talis actio remissi juris est. Unde dictus homo, etiam si plures dies post iudicium cum testibus fide dignis veniens suam innocentiam ostendisset, adhuc deberet admitti, nec tamquam injustus aliqualiter condemnari.

12. Actor vel reus propter ignorantiam nationis et parentelae non est a iudicio repellendus. (H. 7<sup>a</sup> 1. A. I. 11. B. 3<sup>b</sup> 3. C. 1<sup>b</sup> 11. D. 4<sup>b</sup> 1. K. 101<sup>a</sup> 1.) Ab agendo et respondendo non est ideo aliquis repellendus, quia ejus generatio non est nota. Undecunque enim homo venerit gratia divina vocatus, dummodo laudabiliter se regat, ex superabundanti requiritur sua cognitionis nationis.

13. De reo fugiente a iudicio, postquam personaliter comparuerit. (H. 7<sup>a</sup> 2. A. I. 12. B. 2<sup>b</sup> 4. C. 1<sup>b</sup> 10.

<sup>1)</sup> Utitur B. K. D.

<sup>2)</sup> B. K. beginnt: Reus si in causa testium, quos statuere promiserat, terminum praefixum neglexerit, non in omni causa semper propter hoc decumbit. A. Super quo notandum.

<sup>3)</sup> Beginnt C.

D. 4<sup>b</sup> 2. K. 101<sup>b</sup> 1.) Sententiatum est a juratis in Crumpnaw<sup>1)</sup>. Si homo ad iudicium<sup>2)</sup> citatus personaliter stans coram tribunali, postquam querimoniam super se motam audiverit, a iudicio effugerit, si causa est civilis, statim in ipsa<sup>3)</sup> succumbit. Si autem est criminalis ultra hoc, quod in causa cadit, etiam continuo proscriptur pleno jure.

14. De actore et reo quantum ad iudicij acceptationem. (Il. 7<sup>b</sup> 1. A. I. 13. B. 2<sup>b</sup> 5. C. 1<sup>b</sup> 12. D. 4<sup>b</sup> 3. K. 101<sup>b</sup> 2.) Quidam hospes veniens de Geyaw<sup>4)</sup> de vidua ibidem residente conquestus est, quod domus, agri et alia, quae possideret, essent ad eum successionis jure devoluta. Vidua vero antequam actoris querimoniae responderet, petivit pro se sententiari, utrum ipse viceversa coram eodem indice non teneretur ejus querimoniae respondere. Super quo sententiatum est: quod actor, qui relietam impedit actione, quam relictæ movet, prius discussa postea questionibus relictæ, quas sibi movebit, respondebit. Est enim jure consonum, quod actor judicem, quem vult habere pro se etiam contra se non debeat refutare.

Judei tamen, clerici et nobiles, quia proprios habent iudices et actor forum rei sequi debet, coram eisdem judicibus sunt conveniendi.

15. De actore et reo quantum ad cautionem et satisfactionem. (Il. 7<sup>a</sup> A. 1. 14. B. 2<sup>b</sup> 6. C. 1<sup>b</sup> 13. D. 5<sup>a</sup> 1. K. 101<sup>b</sup> 3.) In secundo majori originali privilegio civitatis scribitur sic<sup>5)</sup>: „Item volumus, quod quicunque de altero in civitate movens<sup>6)</sup> querimoniam de quacunque hereditate, sive de domo vel agro, vel molendino vel vinea fideiussores exhibeat iudici<sup>7)</sup> pro decem talentis, quod eandem querimoniam prosequatur. Dictam<sup>8)</sup> scripturam, cum propter eam frequenter actores legitimi ab agendo repellerentur, jurati<sup>9)</sup> sic sunt interpretati<sup>10)</sup>; quod recipienda est pro auctore<sup>11)</sup> ignoto, qui aliunde veniens possessorem bonae fidei<sup>12)</sup> nititur impugnare<sup>13)</sup>, secus autem est de herede vero, qui cohe-

<sup>1)</sup> definiendum B. K. <sup>2)</sup> debito K. B. <sup>3)</sup> si est causa civilis A. B. R.

<sup>4)</sup> Kuyaw W. <sup>5)</sup> In iuribus originalibus scribitur sic K. sententiatum est A. <sup>6)</sup> moverit A. <sup>7)</sup> fehlt H. <sup>8)</sup> Nunc jam K. <sup>9)</sup> Sapientes A. <sup>10)</sup> Sic interpretatur R. <sup>11)</sup> Hier beginnt C. B. <sup>12)</sup> de re mobili vel immobili B. C. <sup>13)</sup> Fideiussores de decem talenta statuat quod eandem querimoniam prosequatur B. C.

redes vel alios possessores in causam trahit; ab illo enim non oportet, quod exigatur fideiussio supradicta.

16. De actore et reo pro commensalibus libe-  
ris et uxore. (H. 7<sup>b</sup> A. 1. 15. B. 2<sup>b</sup> 7. C. 2<sup>a</sup> 1. D. 5<sup>a</sup> 2. K.  
101<sup>b</sup> 4.) In jure civitatis observatur, quod paterfamilias  
pro uxore, pueris, servis et ancillis, suis commensalibus, in  
causis suis quibuslibet, si vult, iudicialiter potest agere et re-  
spondere.

17. De actore et reo pro animalibus, quae inter  
homines consueverunt domari. (H. 8<sup>a</sup> A. A. 1. 16. B.  
2<sup>b</sup> 8. C. 2<sup>a</sup> 2. D. 5<sup>a</sup> 3. K. 101<sup>b</sup> 5.) Antiquum jus civitatis  
habet: si equus, bos, vacca, canis, aper vel porcus domesticus,  
hircus, aries, vel aliud animal, quod in medio habitationis ho-  
minum nutritri et teneri consuevit, aliquem laeserit, dominus<sup>1)</sup>  
ejusdem animalis, si voluerit pro ipso affirmando vel negando  
judicialiter poterit respondere, si autem noluerit, tale animal  
laeso pro satisfactione assignabitur et emenda. Secus autem et  
de feris et brutis silvestribus, eujusmodi sunt leo, cervus, lu-  
pns, ursus, et consimilia, quae dicuntur indomabilia, et etiam  
quae domari consueverunt, si sunt mordentia, recalcitrantia,  
vel cornupeta, per quae si damnum datum fuerit secundum  
actoris et rei allegationes, definitiva pronunciabitur sententia  
consonans aequitati.

18. Quis actor sit hospes in iudicio, et quando  
sibi sit justicia facienda. (H. 8<sup>a</sup> A. 1. 17. B. 3<sup>a</sup> 1. C.  
2<sup>a</sup> 3. D. 4<sup>a</sup> 4. K. 102<sup>a</sup> 1.) Quidam de Jegersdorf ve-  
niens et quemdam citem hujus civitatis coram iudicio pro  
debitis trium marcarum conveniens petivit pro se sententialiter  
dictari, cum ipse hospes sit et alterius principis, utputa ducis  
Oppaviensis homo esset, utrum sibi non deberet jure hospitum  
de dicto cive juxta suam querimoniam de sufficienti justitia  
infra triduum provideri. Cui diffinitiva respon-  
sum fuit, quod secundum bonam consuetudinem, quae tam a  
jure civitatis quam a pluribus aliis locis observatur, unicuique  
hospiti debet juxta suam querimoniam infra triduum continue  
sibi succedens finalis justitia exhiberi. Verumtamen civis<sup>2)</sup> de

<sup>1)</sup> C. beginut: Pater familias aut dominus.

<sup>2)</sup> alterius principis vel subditus qui non est sub principe nostro  
in iudicio nostro non est hospes B. K. talis vel alter qui est  
homo ducis Oppaviensis in iudicio Marchionatus Moraviae non  
est hospes A. Auf ähnliche Weise ist durchgehends in diesem  
Absatze die Satzbildung umgestaltet.

Jegersdorf, vel alter, qui est ducis Oppaviensis, in iudicio Brunneus non est hospes. Ille namque censetur<sup>1)</sup> hospes, qui est homo de dominio alienus principis, qui non subest marchioni Moraviae. Dux autem Oppaviensis, ultiote vasallus et homo ipsius existens, sibi subest. Item ducatus Oppaviensis non est terra distincta a Moravia, sed est quaedam pars et quidam districtus ipsius. Unde notaandum est, omnem hominem in iudicio civitatis Brunneus esse hospitem, qui extra Moraviam residentiam vel mansionem habet, quamvis etiam sit sub dominio regis Bohemiae. Unde homo de Bohemia, Polonia vel Luceburga hospes est censendus in iudicio civitatis. Hospitem enim non facit dominii sed potius terrae Moravie distinctio ab aliis terris, et per hoc, quod multum est ponderandum, in iudiciis lites breviantur et expensae partium cum laboribus minorantur.

19. De actione debitorum, qua impetratur aliquis post mortem alterius, quod et vulgariter dicitur angesprochen nach toder hant. (H. 8<sup>b</sup> 1. A 1. 18 B 3<sup>a</sup> 2. C 2<sup>b</sup> 4. D 5<sup>b</sup> 1. K 102<sup>a</sup> 2.) In Gostel occiso quodam iudeo reicta ipsius egit simpliciter in diversos debitores, quorum aliqui cum negarent, petivit pro se sententiari, ex quo ageret nomine mariti sui premortui, quod in vulgari dicitur nach toder hant. Utrum quilibet negans, quem impetrat, non deberet se mettercius expurgare et infra. Super quo sententiatum est, quod praedicta allegatio per judeam facta, quamvis in villis aliquibus servetur per rusticos, tamen non est pro iustitia tenenda, sed potius mala consuetudo et corruptela seu abusio censenda. Unde agens pro debitibus pro vivo vel pro mortuo, si simpliciter agit, reus negans simpliciter se expurgat. Si autem agit cum testibus, reus tenetur se cum testibus expurgare.

20. De actione praescripta quae vulgariter dicitur nach toder hant. (H 8<sup>b</sup> A 1 19. B 3<sup>a</sup> 2. C 2<sup>a</sup> 5. D 5<sup>b</sup> 2. K 102<sup>a</sup> 2.) Laurentio notario domini marchionis mortuo frater ipsius egit in dominam Claram pro duobus sexagenis grossorum dicens, quod Laurentius in extremis suis coram duobus sacerdotibus confessus fuerit, quia sibi teneretur in eisdem. Illa vero negante sententiatum fuit, quod non obstante testimonio sacerdotum, qui tantum de auditio

---

<sup>1)</sup> Beginnt C.

et non de re eis cognita testabantur, ipsa domina Clara se posset in cruce duobus digitis expurgare.

21. De actionis prioritate in genere. (H 8<sup>b</sup> 3 A 1. 20 B 3<sup>a</sup> 3. C 2<sup>a</sup> 7-10. D 6<sup>b</sup> 1. K 102<sup>a</sup> 3.) Sententiatum est in Budespitz: cui judex testatur, quod qui primo querimoniam ad eum deduxerit, ille prius aget, nisi alterius maius damnum ipsum ab agendo repellat. Item judex non debet latitare, sed conquerentibus copiam sui facere. Unde eo domi non invento querimonia est suae familiae intimanda. Item duo simul currentes et extra domum clamantes nihil agunt: quia coram judice cum disciplina sunt querimoniae proponendae. Item qui iudicem in domo propria querens nec inveniens querimoniam familiae significat, praefertur illi, qui iudicem hinc inde per plateas quaerens accessit.

22. De actionis prioritate in causa civili. (H 8<sup>b</sup> A 1. 21 B 3<sup>a</sup> 4. C 2<sup>a</sup> 10. D 6<sup>a</sup> 2. K 102<sup>b</sup> 1.) Cum Jacobus procurasset citare Philippum feria tertia, quod sibi feria quarta in crastino ratione debitorum ad obiecta responderet, judicium fuit ab eadem feria quarta usque in sabbatum proxime succedens induciatum. Philippus ergo feria sexta e converso citare procuravit Jacobum, quod in sabbato suae querimoniae responderet. Cum itaque judex et jurati sabbato tribunal praesiderent, comparuit Jacobus agere volens in Philippum. Comparuit etiam Philippus, agere volens in Jacobum. Quae situm est ergo, eni primum in alium agere competenter ipso jure. Super quo diffinitum fuit in judicio civitatis, quod suspenso judicio tamquam principali a feria quarta usque in sabbatum; etiam citatio feria tertia facta, tamquam quoddam accessorium in suo vigore usque in sabbatum fuit suspensa. Unde Philippus tenetur, quermoniis Jacobi non obstante sua citatione, quam feria sexta dolose procuravit fieri, respondere.

23. Quod actor vulnerum praecedet actorem debitorum. (H 9<sup>a</sup> 1 A 1. 22 B 3<sup>a</sup> 5. C 2<sup>a</sup> 11. D 6<sup>a</sup> 3. K 102<sup>a</sup> 2.) Jurati in Tissanowicz scripserunt: Servus unius nobilis vulneravit servum alterius nobilis, et cum vulnerans coram judicio vulnerato respondere deberet, dominus ejus pro debitibus et dannis quibusdam eum impetravit. Quaerimus ergo, utrum reus prius domino pro debitibus et dannis, vel prius laeso teneatur pro vulneribus respondere. Quibus rescriptum fuit, cum corpus hominis pretiosius sit pecunia, reus debet prius laeso pro vulneribus quam domino pro debito et danno respondere.

24. De actionis prioritate in causa vulnerum. (H 9<sup>a</sup> 2 A 1. 23. B 3<sup>a</sup> 6. C 2<sup>a</sup> 12. D 6<sup>b</sup> 1. K 102<sup>b</sup> 3.) Cives de Chrisans scripserunt sic: Inimicitia inter indicem ex una et quosdam cives parte ex altera aliquandiu habita et tandem per arbitrium poena decem marcarum vallatum ad hominum pacis reducta, accidit, quod in quadam taberna orta dissensione bibentes incepérunt ad invicem gladiis se ferire. Quod cum judex intellexisset, indisciplinas et percussionses hujusmodi, sedare volens accurrit. Pars vero praedicta, quia prius secum per arbitrium pacata fuerat, armata manu cum ab hoc prohibuit et ab ipsa taberna usque in domum aliam fugavit. Quod per hospitem dictae tabernae et quemdam probum virum judex se obligat, probaturum dicens etiam per hoc primam pacem per arbitrium factam in se violatam. De parte vero adversa unus dicit, quia causa sedandae discordiae tamquam mediator et sequester ad praedictam dissensionem accurrerit judex autem pacem inter eos factam infringendo in caput cum vulneravit, de quo vult ipsum judicem vincere per tot honestos testes, sicut sibi per iuratos sententialiter fuerit adinventum. Quaerimus ergo, cui praeceptorum scilicet iudici vel vulnerato prius in alium agere competitat ipso jure. Super quo sententiatum fuit: quod judicis querimonia prius est audienda; cum enim judex vices domini gerat, et sibi ratione sui officii in favorem justitiae ab omnibus suae subjectis jurisdictioni sit obediendum, ipsumque populus, quandoeunque ad lites intercipiendas, insolentias compescendas et inter partis ad ponendam pacem ad aliquem strepitum accurerit tamquam membra, caput et inferiores superiores sequi, et non prohibere, sed potius pro viribus juvare debant, contemptus vero et violentia sibi et suo officio exhibita laesioni partis aduersae in magnitudine sunt merito praferenda. Et de juratis est eodem modo in simili sententiendum.

25. De actionis prioritate, pro volleist et vulnere. (H 9<sup>b</sup> A 1. 24. B 3<sup>b</sup> 1. C 2<sup>a</sup> 13. D 6<sup>b</sup> 2. K 102<sup>b</sup> 4.) Si accusatus pro Volleist homicidii tempore ejusdem homicidii plano vulnere leviter fuerit vulneratus, prius respondebit pro Volleist, quasi agat pro vulnere. Si autem membro mutilatus vel graviter vulneratus fuerit, tunc rationabiliter prius admittitur ad agendum.

26. De actionis prioritate, quantum ad insidias. (H 9<sup>b</sup> A 1. 28 B 3<sup>b</sup> 2. C 2<sup>a</sup> 14. D 6<sup>b</sup> 3. K 103<sup>a</sup> 1.) Quamvis pro excessibus sive vulneribus factis illius prima sit querimonia, qui prior judicem accessit, tamen hoc non obstante

insidias alteri ponens, eum expectans vel invadens adversario petente ab actionis prioritate repellitur ipso jure. Sic sententiatum est civibus de Hainrechis.

27. De actore et reo, quantum ad duellum. (II 9<sup>b</sup> A 1. 26 B 3<sup>b</sup> 3. C 2<sup>a</sup> 15. D 7<sup>a</sup> 1. K 103<sup>b</sup> 2.) Cum quesitum esset a juratis de Nausarlicz<sup>1)</sup>, utrum actore criminaliter in reum agente et ad probandum suam actionem duellariter se obligante oporteat, reum<sup>2)</sup> secundum juris rigorem de duello respondere. Sententiatum est diffinitive, quod non, cum enim praedictus actor, nec per testes, nec per instrumenta, nec per juramentum, sed per duellum, quod non est aliqua species probationis intentionem suam voluerit probare, reus poterit simpliciter affirmando vel negando ad ejus querimoniam respondere. Ex duello etiam, quod actor non practendit, non est praesumendum, quod justam ducat causam. Quare praesumptio, quae ex allegatione duelli generatur, est temeraria et insufficiens, et non debet movere animum judicis, alia est autem praesumptio necessaria et vehemens, utputa si in loco secreto vir solus cum sola, et nudus cum nuda inveniatur, praesumitur, quod eam carnaliter cognoverit. Et talis praesumptio animum judicis aliqualiter movere potest.

28. Quantum ad duellum in causa criminali. (II 10<sup>a</sup> 1 A 1. 27 B 3<sup>b</sup> 4. C 2<sup>a</sup> 16. D 7<sup>a</sup> 2. K 103<sup>b</sup> 4.) In Wissaw actor conquestus fuit de reo, quod ipsum appellaverit malum et infidelem virum, adjungens, quod hoc gladio suo super caput ejus probare vellet. Et cum reus de dicta querimonia super gratiam consisteretur, judex quaesivit sibi emendam excessui tali debitam inveniri. Super quo diffinitum fuit: quod reus duplicitate excessit, videlicet verba confusa proferendo et duellum indicendo. Et licet ratione verborum teneatur ad emendam duorum talentorum, tamen ratione duelli obligatur etiam in tribus talentis; et sic solvet quinque talenta. Et est iste reus tamen leviter pro tanto emendandus, quia super gravem excessum suum confessus fuerit. Unde advertendum est, quod ex indicione duelli non legitima probatio sed tantum praesumptio generatur. Et ergo quicunque frivole coram juratis et coram judicio hominem probum de crimen accusans, vel verbis turpibus cum obruens duellum sibi indicere praesumpsit, tamquam calumniator et temerarius citator solvet emen-

<sup>1)</sup> Nausarlicz D. <sup>2)</sup> Fehlt H.

dam quatuor marcarum, nihilominus emendis, quae criminibus et verbis turpibus correspondent salvis, et si calumniator talis pecunia caruerit sex septimanis in cippo punitur, si autem levis et dishonesta persona fuerit ad statuam, quae dicitur schraint ligatus flagelletur, et de civitate postea repellatur.

29. De a c t o r e e t r e o , q u a n t u m a d o c c u p a t i o n e m . ( II 10<sup>a</sup> A. B 3<sup>b</sup> 5. C 2<sup>b</sup> 1. D 7<sup>b</sup> 1. K 103<sup>b</sup> 1.) Jurati de Raussenis sunt informati, quod in quoconque iudicio actor invenit reum, in illo potest pro causa pecuniali de eo querulari, et ipse tenetur suis querimonii respondere. Pro causa vero reali, quae est de terris, hereditatibus et possessionibus, recurrendum est ad illud iudicium, in quo possessiones sunt locatae.

30. Utrum a c t o r e t r e u s p o s s i n t c a u s a m s u a m a l t e r i c o m m i t t e r e s i c u t p r o c r u a t o r i . ( II 10<sup>a</sup> A 1. 29 B 3<sup>b</sup> 6. C 2<sup>b</sup> 2. D 7<sup>b</sup> 2. K 103<sup>b</sup> 2 ) De Chremisir scriptum est sic : Reus in termino per judicem sibi et actori praefixo mettereius probare debens debitum quoddam personavisse, pendente termino vices suas, quantum ad eamdam faciendum probationem euidam jurato committens, extra civitatem ad quaedam alia tractanda negotia se receperit ; instantे vero termino actor comparuit : et licet dictum juratum cum duobus testibus, quos reus sibi adjunxerat, coram iudicio praesentes videbat, tamen, cum reus in persona propria non compareret, que sivit sibi sententialiter dictari : utrum propter ejus absentiam non esset suam justiciam executus. Super quo casu definitum fuit, si reus de consensu actoris vices suas jurato commisit, commissio valuit ; et juratus pro procuratorio nomine ad faciendam probationem cum testibus procedere potuit ipso jure. Si vero ad commissionem eandem consensus actoris non accessit, vigorem non habuit, et reus ex ejus absentia cum personaliter sicut et testes in cruce jurare debuerit, causam perdidit, et actor est suam justiciam executus.

31. Utrum ante rationem habitam de bonis p e r s e r v u m p e r c e p t i s e t d i s t r i b u t i s s e r v o a g e n t e d o m i n u s r e s p o n d e r e t e n e a t u r . ( II 10<sup>b</sup> A 1. 30 B 4<sup>a</sup> 1. C 2<sup>b</sup> 3. D 7<sup>b</sup> 3. K 103<sup>b</sup> 3.) Quaesitum est verbotenus a juratis de Broda ungaricali, utrum ad querimoniam servi, quam movit domino de pecunia, quam in ipsius servitio ejusque negotiis et utilitatibus ultra ea, quae dominus sibi tradiderit se asserit expendisse, ipse teneatur dominus secundum justiciam respondere. Quibus responsum fuit : quod in hoc casu

diligenter videndum est, utrum servus deductis bonis domini, cum quibus ejus nomine negotia gessit, aliquid habuerit proprii, quod peculum nominatur. Et si sic compertum fuerit, tunc solutis, in quibus servus domino tenebatur, computandum est, quantum de peculio in rem domini versus sit per servum pro eo. Namque ad querelam servi dominus rationabiliter respondebit. Intelligitur autem in rem domini versus, non solum, quod secundum ejus voluntatem in gerendis negotiis servus expendit, imo etiam, quod fortassis ignorante domino servus in rem ejus necessario expenderit. Veluti si mutuatus pecuniam ejus creditoribus eam solverit aut edificia ruentia fulserit, aut familiae frumentum emerit vel etiam fundum vel aliam quamlibet rem pernecessariam mercatus est. Hacc etenim et his similia per servum lucide probata dominus sibi integraliter resarcire tenebitur pleno jure.

32. De actione et responsione nobilium iudicio terre subjectorum. (H. 10<sup>b</sup> A 1. 31. B. 4<sup>b</sup> 2. C 2<sup>b</sup> 4. D 8<sup>a</sup> 1. K. 103<sup>b</sup> 4.) Licet nobiles et Wladicones in iudicio (sudae) suae provinciae debeant conveniri; tamen si in civitatibus hereditates habent et bona de illis agent, et aliorum querimoniis respondebunt in iudicio civitatis.

33. In actionibus criminum et maleficiorum est protestatio necessaria. (H. 11<sup>a</sup> A. 1. 32. B. 4<sup>a</sup> 3. C. 2<sup>b</sup> 5. D. 8<sup>a</sup> 2. K. 104<sup>a</sup>). Postquam in Hainreichs plures fratres egissent in unum reum, qui fratrem eorum in campo spoliasceret et occidisset, et ipse secundum justiciam per testes innocentiam suam ostendisset, itcum unus ex eisdem fratribus in eum egit, quod fratrem suum jam mortuum calceis denudasset. Quae sit ergo: utrum prima purgatione per reum facta ad secundam teneatur querimoniam respondere. — Super quo diffinitum est, quod non; ex quo enim tempore primae querimoniae omnino non est interposita protestatio, de secunda querimonia facienda reus non respondebit ad eam. In actionibus autem civilibus omissae protestationes et publicationes sequentibus fortassis actionibus non obfuissent.

34. In actionibus criminum et maleficiorum videndum est, cui famae sint actor et reus, et utrum agatur animo calumniandi vel causa inquisitionis veritatis et de probatione et expurgatione, et utrum testes in jurando cadant, vel alio modo deficiant, quia secundum talia sunt emendacae moderandae. (H. 11<sup>a</sup> A. 1. 33. B. 4<sup>a</sup> 3. C. 2<sup>b</sup> D.

**8<sup>a</sup> 3. K. 104<sup>a</sup>)** Jurati de Bisenz scripserunt sic: Actor de reo querimoniam movens de furto ipsum detinere petivit: et cum dies praefixus partibus instaret; reus actoris querimoniam de furto se expurgando metseptimus declinavit; quo facto alter actor superveniens praeceptum reum tamquam suum incendiarium accusavit; ad enjus instantiam iterum detentus cum termino per judicem praefixo statuaretur iudicio, nec actor compareret, fuit justicialiter absolutus. Quærerit ergo jūdēx in quibus emendis sint sibi predicti duo actores obligati. Quibus responsum fuit, quod circa casum praedictum matura deliberatio est habenda. Debet enim videri, utrum actor et reus inculpatae famae sint homines et honestae vitae in moribus et bonis actibus aequaliter se habentes, et si sic compertum esse fuerit, tunc actor sive reum non vincat sive reus se purget et mundum faciat, ad nullas emendas tenetur et reo sufficiat, quod nomen suum bonum et laudabile permaneat illaesum.

Si autem actor et reus prius enormiter viventes, aliquius essent nota criminis maculati, tunc, ut permittitur, actor iterum supportabitur de emenda. Actore vero fide digno et reo minus idoneo et suspecto existente actor ad probandum suum intentum est rationabiliter admittendus: tamen si reus forte ex advocatei sui peritia vel alia de causa, qua multipliciter coram iudicio litigantibus incidit, purgationem contra allegationes actoris obtinuerit, per haec non oportet actorem in emenda condemnari sed reo sufficiat; ut supra.

Contra vero si contingat, tunc videndum est et cum magna diligentia pensandum a juratis; utrum actor infamis reum honestum impetat animo calumniandi vel alia de causa, et si primo modo calumniose in eum agat, et maxime si taliter vindictam in eo sumere voluerit, et in probatione ad quam fortassis se obligaverit, deficiat in probatione, tunc ad poenam obligatur talionis. Alia vero causa sicut fortassis experientiae vel inquisitionis veritatis, quia fama multorum eum ad hoc induxit, quod egit in reum honestae vitae, tunc sive probatione deficiat, sive reus se expurget, de magnis et gravibus supportandus est emendis, quamvis forte si jurati decreverint et expedire viderint, qualitatibus partium consideratis emendas juramentorum secundum numerum eorum solvere teneatur. Et bene consonat aequitati, quod actores maleficiorum non cogantur ad emendas alioquin etiam passis injuriā et violentiā, emendarum metu

daretur materia causas suas querulando nullatenus judicialiter persequendi.

Et ex hoc habetur solutio secundi quaesiti superius de incendario; cum enim idem actor audivit, quod judex ab actore primo de cuius quaerimonia se reus expurgavit, emendas petivit timore tactus, ne similiter ab eo judex emendas peteret, non praesumpsit fortassis iudicio comparere. Notandum est tamen, si reus prima vice pro maleficiis in causam tractus vel actore non probante, in probatione deficiente vel se purgante absolutus fuerit, quicunque ex prima suspicione, qua contraxerit eum, accusaverit, postea vel judicialiter convenerit, quocunque modo res judicata fuerit, nullo modo obligabitur ad emendam. Considerandum etiam, quod actor obligans se ad convincendum reum de maleficio per testes duobus modis cadit a proposito. Primo, quia fortassis testes nec habet, nec statuit nec statuere potest, et in hoc casu obnoxius est emenda secundum arbitrium juratorum taxandae praehibitis distinctionibus ponderatis. Secundo vero modo, quia testes statuit et cum iurare debuerunt formam jurandi corrumpendo ceciderunt: et sic sufficit, quod solum ad emendas juramentorum et non ad alias obligetur. Requirere infra sub rubrica „de actionibus utrum de furtis et criminibus incusatus quarta vice se possit expurgare. Require infra sub rubrica de actionibus utrum de furtis et criminibus incusatus quarta vice se possit expurgare. Require etiam in sententiis de emendis furtis et poenis.“

35. In actionibus criminum et maleficiorum, utrum transeant ad heredes. (H. 12<sup>a</sup> A. 1. 33. B. 4<sup>b</sup> 3. C. 2<sup>b</sup> 9. D. 9<sup>a</sup> 1. K.) Jurati de Galicz ore proposuerunt hunc casum: Maleficio quodam mortuo actores, quos idem tempore vitae suae bonis eorum spoliaverat, in ejus heredes agere volunt; quaerimus ergo, utrum talis actio sit secundum iustitiam concedenda. Ad quod diffinitive responsum fuit: quod licet filius non portet iniquitatem patris nec puniendus est pro ejus excessu, tamen si ex maleficiis patris, veluti ex furtis, rapinis et consimilibus aliqua ad heredes successores vel alios quoscunque talia injuste occupantes pervenerunt pro illis et veri possessores, quibus ablata sunt, et eorumdem heredes ceterique posteri omnes, quorum interest, agere possunt ipso jure. Est tamen necessarium, in maleficiis manifestis per principales personas, quae damnificatae sunt de talibus actionibus ex causa legitima in futuram suspensis, pro-

testationem publicam interponi; sic enim et heredibus dantur et contra ad heredes transcurrunt. Item si pater pecuniam vel reipublicam, vel quando aliquid superfuerit de aliqua administratione publica et ipse in usus suos convertit, cui erat illa administratio commissa, tunc iterum actio competit in heredem. „Require infra de mortificationibus, traditoribus et eorum bonis.“

36. De actionibus religiosorum claustralium. (II. 12<sup>a</sup> A. 1. 34. B. 4<sup>b</sup> 4. C. 2<sup>b</sup> 11. D. 9<sup>b</sup> 1. K. 105<sup>a</sup> 1.) Sententiatum est in judicio civitatis: Cum religiosus praefato subjectus nec possessor proprietatis nec propriae suae liberae sit voluntatis, sine abbatis et superioris sui licentia ad agendum de possessionibus non admittitur ipso jure.

37. De actione homicidii, cui potius competit agere pro homicidio, uxori vel pueris, quando discordant. (II. 12<sup>a</sup> A. 1. 35. B. 4<sup>b</sup> 5. C. 2<sup>b</sup> 12. D. 9<sup>b</sup> 1. K. 105<sup>a</sup>) Occiso Conrado uxor ejus legitima egit in Henricum, tamquam in homicidam mariti sui. Pueri autem dicti Conradi, quos ex alia priore uxore genuerat, egerunt in Petrum tamquam in homicidam patris eorum. Queritur ergo ejus actio sit potius admittenda. Et est sententiatum in judicio civitatis: quod querimonia puerorum super occisione patris est praeserenda querimoniae uxoris de occisione mariti. Unde actio puerorum est potior actione uxoris, potest enim uxor alium maritum superducere, pueri autem alium patrem non habebunt. Nam relativa posita se ponunt, et perempta se perimunt ex regula logicorum.

38. De actore et reo fidejussoribus poenis, emendis et aliis casibus diversis circa homicidium contingentibus. (II. 12<sup>b</sup> A. 1. 36. B. 4<sup>b</sup> 6. C. 2<sup>b</sup> 13. D. 9<sup>b</sup> 2. K. 105<sup>a</sup> 3.) Jurati de Wyssaw scripserunt sic. Quidam de nostris pro homicidio accusatus positis fidejussoribus secundum jus civitatis, cum per testes innocentiam suam ostendere deberet, in juramento cecidit et a judicio fugitive recessit. Quae sierunt ergo primo, qualiter fidejussores judici et actori satisfacere teneantur. Et secundo, cum reus, si non ellugisset capite privandus fuisset, utrum fidejussores non debeat similiter decollari. Et tertio, quid iuris ad personam rei, qui evasit, competit fidejussoribus judici et actori. Quibus per plenum consilium ad primum responsum fuit sic: quod fidejussores in summa L talentorum, quae XXX marcas faciunt, de quibus tertia pars judici, tertia actori, tertiaque

civitati dabitur, ut in juribus continetur originalibus, obligantur. Ad secundum autem responsum fuit sic: quod fidejussores ejusdem rei, qui postquam in causa cecidit, fugam dedit, capitibus non privantur, sed tantum pecuniam XXX marcarum solvent. Unde si aliquis ex fidei pietate seu compassione pro alio, qui de excessu inculpatur, mortali fidejusserit, talem fidejussorem ex fuga alterius vita privari magis est crudele quam justum. Super tertio vero quesito diffinitum fuit quod reus qui ex negligentia judicis et actoris, quia in bona ipsum non habuerunt custodia, judicium declinavit, absolutus est a judice et actore. Quantum nempe in eo fuit, fidem non fregit. Nam captivo, ut vitam salvet, licitum est, carcerem et vincula evadere, si potest. Cum etiam vigilantibus et non dormientibus jura subveniant, quidquid detrimenti judex et actor in fuga rei habent, suae debent improvidentiae imputare. Et insuper, cum fidejussores pro reo fugitivo judici et actori satisfecerint, non esset conveniens, quod ipse reus ad satisfactionem secundariam teneretur. Sicut enim deus qui est judex justissimus non punit bis in id ipsum, sic judex temporalis tenetur facere suo modo. Propter istam tamen absolutionem, per quam reus in alio loco vitam salvat, non conceditur sibi ad locum, a quo fugit, redire, nisi secundum proborum virorum ordinationem pro anima occisi peregrinationibus et piis operibus satisfaciat iuxta posse. Fideiussores autem, ne abutantur fide sua possunt reum pro emenda, quam pro ipso solverunt, proscribere, vel alio modo ad ejus solutionem compellere judicis et juratorum consilio et auxilio mediante.

39. De actore homicidii quando cadit ab actione. (H. 13<sup>a</sup>.A. 1. 34. B. 5<sup>a</sup> 1. C. 2<sup>b</sup> 18. D. 10<sup>a</sup> 1. K. 105<sup>b</sup> 1.) De Nausedlicz judex et jurati scripserunt sic: Nobis tribunali praesidentibus postquam dominus Potha de Wildenberk de Peffkone judge de Hodyeticz quaerimoniam movisset, quod famulum suum Jacobum in campo sagittando occidisset et ipse Peffko, quia de hoc innocens esset, respondisset, uxor et heredes Jacobi occisi petierunt sibi dari sententiam diffinitivam, si Peffko querimoniam domini Potho in ipsum decretum eis etiam pro dicto homicidio, si agere nis evaderet, verint, non debeat judicialiter respondere, cum tamen a tempore, quo dictus Jacobus interiit, duo anni et XX hebdomades transiverunt usque modo. In quo quidem toto tempore per uxorem et heredes ejusdem Jacobi occisi nec proclamatio nec aliqualiter publicatio est facta coram judicio de

homicidio memorato. Quibus definitive rescriptum fuit, ex quo uxor et heredes Jacobi occisi tanto tempore tacuissent nec proclamationem nec publicationem de hujusmodi homicidio nec aliqualem protestationem coram judicio, quia de occisione mariti et patris eorum scrutari, et tandem secundum formam juris querulari vellent, interposuissent, et modo astantes judicio sub silentio transivissent, quod dominus Potho pro dicto homicidio in ipsum Pfeffkonom egisset, nec eum ab actione repulissent, ipseque Pfeffko dictae actioni respondisset, jus summi quantum ad actionem hujusmodi perdiderunt, nec oportet Pfeffkonom de cetero querimoniae respondere. Dictum enim homicidium tamquam una causa sufficienter unius actionis querimonia terminatur; heredes et uxor praescripti Jacobi interfici a jure suo propria negligentia ceciderunt: sicut enim loquendo, quae sunt tacenda, sic tacendo, quae sunt loquenda coram judicio homo renuntiat suo juri.

40. De actore et reo ratione homicidii et vollaist, quantum ad arbitrium et confessionem. (II 13<sup>a</sup>. A 39. B 5<sup>a</sup> 2. C 3<sup>a</sup> 1. D 10<sup>b</sup> 1 K.) Cives de Crisans scripserunt sic. Jacobo occiso per tres fratres puta Chonradum, Heinricum et Erhardum et cognati occisi juramento calumniae tacta cruce corporaliter prius facto, Erhardum tamquam homicidam, Chonradum autem et Heinricum tamquam cooperatores ejus in eodem homicidio accusarunt. Erhardo igitur suam innocentiam allegante, cum metseptimus eam ostendere deberet, probi viri interloquentes causam eandem de consensu partium et judicis sibi tamquam arbitrii assumpserunt. Promulgato itaque arbitrio cum dicti tres fratres ad faciendum cognati occisi homagium super sepulchrum Jacobi ducti suisserunt, Conradus homicidium Erhardo fratri suo impositum sibi ascripsit dicens: Ego confiteor me proch dolor Jacobum occidisse et Erhardum fratrem meum de hoc immunem esse, et paratus sum et per omnem modum emendare et satisfacere, sicut per arbitros fuerit pronunciatum. Quo auditio petiverunt pro se sententiari. Primo Erhardus, utrum ipse non sit liber de incusatione homicidii, cum frater suus se reum esse homicidii, confessus sit. Secundo pars adversa, cum Conradus animo deliberato confessus sit, se eorum cognatum oocidisse, utrum pro eo capiti plecti non debeat ipso jure. Tertio judex, utrum non uterque Conradus, quod confessus est, et Erhardus, quod arbitrio se submisit, et per hoc reum se fecit, secum de homicidio componere teneantur. Et ultimo quis per opera

Conradi, antequam causa arbitris committeretur, imposita satisfactione sibi et actoribus teneretur. Quibus responsum fuit de primo, quod Erhardus de satisfactione homicidii, de quo manifeste est accusatus, et pro quo respondens ex eo praecepue, quod in arbitros consensit, vicem rei sibi assumpsit, ex confessione Conradi subsecuta secundum rigoris juris exigentiam, nisi consensus partis et judicis ad hoc accesserit, non poterit liberari. Si enim efficaciam talis confessio sortiretur, absens, et qui carcerem evasit pro praesente et vinculato mendicus pro divite vel aliquis in dignitate constitutus, sicut superior et potens pro inferiori et simplici persona homicidii vel cousimilis gravis excessus se reum posset confiteri; propter quod actor impedita seu sublata satisfactione justitiam suam minime consequeretur. De secundo vero, quod Conradus ex confessione extra judicium, et postquam causa ratione arbitrii in rem judicatam iam transiverat, facta sententia puniri non meruit capitali, sicut enim talis confessio personam rei non statuit sic nec ad poenam reatus obligat et astringit. Ex hoc patet tertium et quartum, scilicet quod tantum Erhardus tamquam reus, cum praesertim una poena pro uno debito sufficiat, pro homicidio sibi imposito, et Conradus per opera sibi principaliter imposta componere teneatur.

41. Ad idem quantum ad diversos reos, quorum unus de homicidio accusatur, et alter se homicidium perpetrasse confitetur. (H 14<sup>a</sup> A 40. B 5<sup>a</sup> 2. C 3<sup>a</sup> 2. D 11<sup>a</sup> 2. K 106<sup>a</sup> 1.) Petro occiso in Praczaw<sup>1)</sup> Martinus et Ditlinus pro eodem homicidio sunt detenti, et cum amici Petri Martinum pro reo accusarent, Ditlinus in cippo vinculatus Martinum excusans confessus est, dictum homicidium manu propria perpetrasse. Quaeritur ergo, quis dictorum dñorum pro homicidio respondebit. Super quo diffinitum fuit, si amici occisi accusant tantum Martinum de homicidio et juramenta calumniae, sicut de jure consuevit fieri, de Martino tamque de vero reo fecerint, Martinus pro homicidio respondebit non obstante excusatione<sup>2)</sup> Ditlini, quamlibet coram deo fortassis sit justa, tamen etram hominibus suspicionis scrupulo carere quodammodo non videtur.

42. Reus praescriptus quia nullo accusante confessus est, se homicidium perpetrasse, ideo spiritualiter emendabit. (H 14<sup>a</sup> A 1. 41. B 5<sup>b</sup> 1. C 3<sup>a</sup> 3.

<sup>1)</sup> Proczaw D. <sup>2)</sup> accusatione B. K.

D 11<sup>a</sup> 2. K 106<sup>a</sup> 1.) Cum in Pisenez<sup>1)</sup> homicidio facto Martinus et Ditlinus tamquam rei capti fuissent, et amici occisi ad eosdem captos ducti Martinum, quamvis Ditlinus secum in cippo detenus eum excusans se homicidii teste conscientia sua reum esse confiteretur, de homicidio inculparent, et idem Martinus secundum formam justitiae dictorum amicorum querimoniam, cum in Ditlinum agere nollent, judicialiter evasisset, tamen iudex de Pisenez sibi sententialiter inventari petivit, in quo Ditlinus ratione confessionis propriae, per quam homicidiam se constituit, sibi obnoxius teneretur et infra. Super quo diffinitum fuit: quod, cum querimonia unius homicidii de uno reo mota per ejusdem rei responsionem et absolutionem sufficienter terminetur, ex quo Martinus de dicto homicidio judicialiter est absolutus, non oportet, quod Ditlinus judici pro eo, cum actores in eum non egerint, in aliquibus teneatur emendis. Sed si<sup>2)</sup> reum homicidii se noverit sicut confessus est, corde contrito ad illum recurrat, qui in foro spirituali poenitentiam sibi imponere habuerit salutarem: tamen si de mortificatione, furto et consimili reatu criminoso per aliquem confessio facta fuerit, super eo jurati, qualiter sententia ferenda sit, cum diligentia cogitabunt.

43. De actore et reo quando mulieres per incantationes et experimenta dicuntur homicidium procurasse. (II 14<sup>a</sup> A 1. 42 B 5<sup>b</sup> 2. C 3<sup>a</sup> D 11.<sup>b</sup> 1. K 106<sup>a</sup> 3.) Quidam juvenis in Lauezscheniis decumbens vocato patre suo et probis viris protestabatur coram eis, quod per incantationes et maleficia seu experimenta duarum mulierum, quas nominabat et infirmaretur et breviter moreretur. Eo itaque in dicta infirmitate mortuo, pater ipsius egit in praedictas mulieres tamquam in homicidas, querulans, quod per earum incantationes filius ejus finiverit vitam suam. Mulieres autem quaerunt, cum diebus vitae suaे juxta status feminei dignitatem honeste se conservaverint et nunquam de infamia tali inculpatae fuerint, neque in corpore praedicti juvenis vulnus seu plaga mortalis apparuerit, sicut circa occisos de jure fieri debet, per iuratos visa fuerit, utrum ad motam eis querimoniam teneantur, tamquam pro homicidio respondere. Super quo diffinitum fuit, quod non obstantibus juvenis protestatione et patris ipsius querela, si allegationes mulierum verae inventae fuerint, non est rationabile, quod respondeant, sicut pro homicidio consuevit judicialiter re-

<sup>1)</sup> Bzenecz D. <sup>2)</sup> reum homicidii II.

sponderi; tamen, quia communis regula juris civitatis dicit; quod ad omnem querimoniam actoris reus affirmando vel negando respondeat, sufficit quod mulieres simpliciter respondeant, et juramento simplici se expurgent. Unde cum circa crimina probatio requiratur clarissima et multo major quam circa causas civiles, cum agitur de incantationibus et truffis consimilibus, quae non manifeste sed secretissime fieri consueverunt, recurrendum est ad ea, quae generant praesumptionem, videlicet, si aliqua mulier concubina fuerit alterius viri, et si fortassis coram fide dignis, qui audiverunt, de eodem viro dixit: nisi talia fecerit, vel a talibus cessaverit machinabor in mortem suam. Et praecipue, si cum incantationibus circuire consuevit, et in actu tali quandoque raptâ fuerit. Talis enim mulier in causa, sicut est ista, de quo agitur, in proposito tracta ad judicium indiget, quod tamquam homicida cum testibus se expurget. In omnibus igitur causis non exigitur probatio aequae fortis, imo secundum causarum diversitatem probatio et expurgatio rationabiliter variantur.

44. Quod actor personaliter debet agere proxore deducta. (H. 15<sup>a</sup> A. 1. 43. B. 5<sup>b</sup> 3 D. 12<sup>a</sup> K. 106<sup>b</sup> 1.) Pragenses cives scripserunt, quod Fridlinus deduxisset Andreae uxorem suam, petentes, ut latori litterarum earundem, quem Andreas procuratorem suum constituerat exhiberetur justitiae plenitudo. Mara vero, quae uxor Andreae in dictis litteris scribebatur, astans judicio ad litteras civium de Praga respondit, quod Andreae ante plures annos legitime fuerit tradita. Postea vero audiens, Andream aliam uxorem habere, spe salutis mola officiale episcopi Pragensis accessit, qui vocatis vocandis de causa cognovit, et inter ipsam Maram et Andream divortium canonicum celebravit. Quare petivit intuitu justitiae ab eodem officiali de veritate inquiri, et Andream personaliter vocari, ejus querimoniis parata esset respondere. Requisitus ergo dominus officialis, cum nihil certi describeret, nec Andreas vocatus personaliter venire curaret, in termino peremptorio ad hoc praefixo Mara fuit sententiata libera. Et insuper per juratos pensatum, quod bene conveniret actorem, in causa tali non per procuratorem agere, sed propria in persona.

45. De actione juris patronatus. (H. 15<sup>a</sup> A 1. 44. B. 5<sup>b</sup> 4. C. 3<sup>a</sup> D. 12<sup>a</sup> 2. K. 106<sup>b</sup>.) Si quaestio est inter partes de jure patronatus, illa ex eo, quod tale jus est annexum spirituali, est judicio canonico decidenda.

46. Utrum excommunicatus possit agere in judicio seculari. (H. 15<sup>a</sup> A. 1. 45. B. 5<sup>b</sup> C. 3<sup>a</sup> D. 12<sup>a</sup> 3. K. 106<sup>b</sup> 3.) Ad interrogationem juratorum de Chremisir sententiam est, quod excommunicatus in judicio seculari agere potest, licet forte secus sit in judicio spirituali.

47. Utrum ad actoris querimoniam de hereditatibus motum reus semper debeat responderem. (H. 15<sup>a</sup> A. 1. 46. B. 5<sup>b</sup> 6. C. 3<sup>a</sup> 9. D. 12<sup>a</sup> 4. K. 106<sup>b</sup> 4.) Mortuo indice in Radisch Elisabeth filia sororis suae, quae in Gostel residentiam habebat, supervenit proponens coram judicio quod idem judex avunculus sungs XL marcas grossorum, quas mater ipsius sibi ad servandum dederat in sua potestate tenuisset, quam pecuniam, si uxor et heredes dicti judicis avunculi sui sibi restituerent, ipsam cum gratiarum acciperet actione. Si vero de ea negarent sufficienti proborum virorum testimonio, suam vellet querulam justificare, petens pro se dictari, cum de infirmitate praescripta avunculi sui nihil sibi intimatum fuerit, nec ad eum pervenit, utrum ad producendum suum testimonium non sit juridice admittenda. Pars vero adversa allegavit, cum a morte sororis judicis septendecim<sup>1)</sup> anni, in quibus dicta Elisabeth de pecunia prae nominata nec protestationem, nec publicationem fecit, in quibus etiam annis judex ipse plures graviter decubuit, transiverint, modoque in extremis suis dictus judex, cum de rebus suis disponeret, præhabitaæ Elisabeth nullam de XL marcis mentionem faciens tantum tres marcas deputaverit. Utrum, si hujusmodi verisicare poterit allegata, teneatur Elisabeth querimoniae respondere. Super quo sententiatum fuit, cum contra partem inauditam, quae directe tantum auditur respondendo, sententia non sit ferenda; cum etiam ex communi regula juris civilis reus ad querimoniam actoris affirmando vel negando respondere debeat, uxor et heredes judicis debent ad querimoniam ipsis motam secundum justitiam respondere.

48. Quod actor potest excipere contra reum. (H. 15<sup>b</sup> A. 1. 48. B. 6<sup>a</sup> 1. C. 3<sup>a</sup> D. 12<sup>a</sup> 1. K. 106<sup>b</sup> 5.) Cum in Lechowicz<sup>2)</sup> quodam tempore nocturno mortificato, reus in fuga detenus ante tribunal, quod responderet, ductus fuisset, actor excipiendo<sup>3)</sup> contra eum proposuit, ex quo pro mortificatione nocturna in pede fugitivo captus esset, et prius frequenter, ut judici et juratis constaret, de nocte per tabernas et

<sup>1)</sup> Quatuordecim A. <sup>2)</sup> Letawicz D. <sup>3)</sup> excipiens D.

angulos, quod in consilio prohibitum sibi fuerat, divagari consuevisset, utrum advocatus, qui verbum suum loqueretur, de jure sibi non deberet negari, sed tamquam convictus condemnari.

Super quo sententiatum fuit, si judex et jurati de his, quae actor in exceptione proposuit, testabuntur, reus non potest prolocutorem habere, et debet mortificationis supplicio puniri.

Et est advertendum, quod in aliis consimilibus<sup>1)</sup> excessibus gravibus, sicut, si aliquis committit homicidium iuratis videntibus vel coram judicio, pacem violat factis vel opponit se judicio, vel aliud consimile nefas perpetrat, dictus modus servatur; scilicet, quod reo, si actor petit, prolocutor non datur, sed<sup>2)</sup> statim ut convictus condemnatur.

49. Reus potest excipere contra actorem. (H. 16<sup>a</sup> A. 1. 48. B. 6<sup>a</sup> 2. C. 3<sup>a</sup> D. 12<sup>b</sup> 2. K. 107<sup>a</sup>) Actor in Boskowitz conquestus fuit de reo, quod annonas suas de campo sibi furtive deduxisset: reus autem excipiendo contra actorem quesivit, cum ipse fideliter et honeste se conservaverit, et actor in Gewiczka, ubi prius mansionem habuit pro furto, de quo convictus fuit, emendas notorie solverit, et infamis sit; si hoc in ipsum probaverit, cum nec annonae subtractae apud eum inventae sint, nec in actu deductionis sit raptus, utrum teneatur ejus querimoniae respondere. Super quo sententiatum fuit: si reus potest actorem convincere<sup>3)</sup> testimonio sufficienti, sicut forma juris requirit, quod prius in Gewiczka pro furto emendas notorie solverit, ipse fruetur, et non tenetur ad ejus querimoniam, quae reputatur temeraria ac frivola, et ex dolo procedere, respondere. Fraus enim et dolus nulli debent patrocinari, qui etiam semel fuit malus, semper postea praesumitur esse malus<sup>4).</sup>

50. Actor potest excipere contra judicem. (H. 16<sup>a</sup> A. I. 49. B. 6<sup>a</sup> 3. C. 3<sup>a</sup> 12. B. 6<sup>a</sup> 3. D. 13<sup>a</sup> 1. K. 107<sup>a</sup> 2.) Filius judicis in Lethowicz<sup>5)</sup> quemdam occidit, et cum judex pro eodem homicidio judicio praesidere vellet, actor contra eum exceptit, quia ex hoc suspectus sibi esset, quod super filium suum querulari haberet. Judice vero respondentem, utrum in judicio suo hereditario non liceat sibi actum debitum

<sup>1)</sup> D. casibus vel. <sup>2)</sup> sed H. <sup>3)</sup> vincere D. <sup>4)</sup> et cetera. — das Ende fehlt in D. <sup>5)</sup> Letawic D.

exercere, quæsitum est a juratis, quid sit juris. Et est responsum diffinitive, quod non obstante judicis hereditate exceptio actoris est tamquam rationabilis admittenda, unde propter suspicionem tollendam nec judex debet præsidere, nec vices suas alteri committere; sed jurati pro eodem homicidio judicem eligant, personam scilicet communem partibus competentem.

51. Quod reus potest excipere contra judicem et juratos simul. (H. 16<sup>a</sup> A. 1. 50. B. 6<sup>a</sup> 4. C. 3<sup>a</sup> 13. D. 13<sup>a</sup> 2. K. 107<sup>a</sup> 3.) In Broda Ungaricali judex et jurati simul per magistrum civium, cui vices suas pro persona actoris commiserant, unum de valentioribus eorum concivibus, quod collectum de bonis injuste solvisset judicialiter convenerunt. Ille vero excipiendo proposuit, cum illud, quod aliquis per alium facit, per se facere videatur. Ex quo judex et jurati in diuisim per magistrum civium in eum agant, utrum ad talem actionem et causam judicandam non debeant aliis judex et alii jurati statui, coram quibus paratus sit, suam justitiam demonstrare. Super quo sententiatum fuit, quod exceptio rei efficax est et justa. Unde in tali casu, in quo judex et jurati simul agant, sive per se, sive per interpositam personam, non possunt simul et agere et officiorum suorum actus debitos exercere. Aliquem enim simul esse judicem, actorem et sententiam diffinitivam dictantem, non consonat aequitati.

### **Capitulum de accusationibus.**

52. De actionibus <sup>1)</sup> criminum in genere. (H. 16<sup>a</sup> A. 2. 1. B. 6<sup>a</sup> 4. C. 3<sup>a</sup> 14. 15. D. 13<sup>b</sup> 1. K. 107<sup>a</sup> 3.) Saepeissime sententiatur in jure civitatis, quod nemo invitus agere vel accusare cogi debet, nisi incepit agere et accusare. Qui etiam accusatur de crimine ab uno accusatore, ab alio de eodem crimen accusari non potest, tamen si ex eodem facto plura crima nascentur, tunc per unum de uno crimen, per alium de alio crimen non prohibetur aliquis accusari.

53. Quantum ad tempus accusando. (H. 16<sup>b</sup> A. 2. 2. B. 6<sup>a</sup> 4. C. 3<sup>a</sup> 16. D. 13<sup>b</sup> 2. K. 107<sup>a</sup> 4.) Ad interrogacionem juratorum de Alba Ecclesia sententiatum est, quod mortificationes et reatus, consimiles si in medio habitationis hominum tempore diurno fiant, sunt per actorem infra triduum

<sup>1)</sup> accusationibus W.

ad judicis audientiam per querimoniam deferendi. Si autem in campis et extra dictam habitationem, vel tempore nocturno contingent, terminus dicti tridui potest actori, si petit per juratos rationabiliter prolongari.

54. De actionibus adulterii et fornicationis. (H. 16<sup>a</sup> A. 2. 3. B. 6<sup>a</sup> 5. C. 3<sup>a</sup> 17. D. 13<sup>b</sup> 3. K. 107<sup>a</sup> 5.) Sententiatum est juratis de Praeza w, quod homo extraneus mulierem sanguine sibi non conjunctam de adulterii seu fornicationis accusans vitio, licet actionem hujusmodi effectualiter testibus demonstrare possit, tamen pro temeraria tali praesumptione, qua famam proximi sui, quod ejus non interfuit, maculavit, correctionem et emendam a juratis juxta eorum conscientiam sibi impositam merito sustinebit. Talis enim frivola accusatio judicem non movebit, nam ubi non est accusator legitimus, non fatigetur accusatus. Unde, quicquid sit, de consanguinibus mariti vel uxoris maxime maritus legitimus uxorem super dicto detestando vitio licite accusabit. Sed iterum in hoc casu per se et non per procuratorem agere debet; potest tamen familia domestica, vel vicini ne tali vitio consentire videantur, ipsum juratum proponere secrete, ut ab eo cessetur.

55. De accusationibus, quas faciunt damnati sententialiter ad mortem vel malefactores in vinculis detenti. (H. 16<sup>b</sup> A. 2. 4. B. 6<sup>b</sup> 1. C. 3<sup>b</sup> 1. D. 13<sup>b</sup> 4. K. 107<sup>b</sup> 3. 4.) Commune jus habet, quod hoc pro maleficiis ex sententia lata mortis deputatus suppicio, quamvis aliquem accuset, tamen talis accusatio non fidem sed tantum vehementem, ex quo non est condemnandus accusatus, generat praesumptionem. Et similiter intelligendum est de accusatione facta per maleficum ante sententiam latam in vinculis captivatum.

56. Quod accusatio vulnerum est infra triduum facienda de jure. (H. 17<sup>a</sup> A. 2. 5. B. 6<sup>b</sup> 2. C. 3<sup>b</sup> 2. 3. D. 14<sup>a</sup> 1. K. 108<sup>a</sup> 1.) Jurati de Chremisir sunt informati, quod si vulneratus infra triduum nullum pro volta ist accusaverit, postea neminem poterit accusare, nisi impedimentum tam legitimum, sicut loquendi impotentia vel consimile intervenerit: seu protestatio tam rationabilis interposita fuerit, propter quam terminus dicti tridui merito debet prolongari. Si vulnerato mortuo ejus propinqui, quorum interest accusare, absentes fuerint, non currit eis tempore tridui, in quo accusatio fieri debet, a die mortis vulnerati, sed solum a die notitiae, quo vulneratum mortuum cognoverant, et adhuc illud tempus, quod incipit a die notitiae secundum distantiam, in qua sunt

absentes, a loco, in quo propinquus eorum vulneratus fuerit, et secundum hoc, quod commode judicem accedere poterit, est mensurandum.

57. De actionibus, utrum defurtis et criminibus incusatus quarta vice se posset expurgare. (II. 17<sup>a</sup> A. 2. 6. B. 6<sup>b</sup> 3. C. 3<sup>b</sup> 4. 5. D. 14<sup>a</sup> 2. K. 108<sup>a</sup> 2.) De Chrisans jurati scripserunt sic. Cum homines duarum villarum ad nos venissent, unus ex eis euidam de nostris equum arrestavit, quem die quinta precedente sibi receptum fuisse per spolium affirmabat. Alter autem ad quem arrestatus equus devolutus est respondit, se ipsum emissum in foro publico, pro sua bene quaesita pecunia clara die: Et cum hoc per hospitem, in cuius domo manebat, et duos probos viros, quos emtionis et venditionis equi praedicti mercipotum, quod vulgariter lit knp, leich auf dicitur, biberant, probasset coram judicio, ab actoris instantia fuit judicialiter absolutus. Quo facto secundus de praedicto reo conquestus fuit, quod equum sibi ablatum spolio apud ipsum invenerit in campo; et cum socios suos pro judice ut equum eundem forma juris arrestaret, misisset, ipse violenter cum lapidibus eum a se repellens, et ascenso equo ad fugam se convertens usque in aliam villam tamque fur et spoliator suus dictum equum equitavit, quem furem et raptorem sic cum crida et clamore valido insequebatur. Reus autem innocentiam suam, quam negando proponebat, cum septem testibus idoneis demonstrans, actoris evasit querimoniam ipso jure. Postea tertius iterum conquestus est de eodem, quod se duobus equis spoliaverit, cuius querelam similiter declinavit cum septem testibus idoneis se expurgando. Ultimo vero quartus saepedictum reum impetens, quod equum duas marcas valentem sibi de silva furtive deduxit, petivit pro se sententialiter dictari, cum tribus vicibus de furte et spolio accusatus jurejurando se expurgaverit. Utrum modo quarta vice non debeat contra se testimonium pati, tamquam fur et spoliator secundum justiciam convincendus. Super quo, cum jurati de Chrisans sententiando reo expurgationem induxissent, actor ab eorum sententia ad consilium juratorum Brunnensium appellavit, et omnia dicta placita in uno die, in uno judicio sunt peracta. Jurati ergo Brunnenses super praemissis in pleno consilio dissenserunt, bene esse sententiatum et male appellatum, ex quo enim dicti quatuor actores simul astantes judicio primo reum a jure suo rigore justitiae non repulerint quærentes, utrum per septem testes eum vincere possent, sicut in ultimo facere

nitebantur, rationi consonat, quod jure sibi concesso gaudere debuit eodem saltem actu judicij continuato, praesertim, si inculpatae vitae et illesae famae fuit homo; quia, si prioribus vicibus notam criminis contraxisset, et hoc primo per actorem contra eum probatum fuisse, juri suo fortassis per judicium interrogasset. Est etiam verisimile, quod praescripti actores modos, quibus conquerendo processerunt, dolose composuerunt, cogitationes, quod reus simpliciter tribus vicibus impetratur, et, si testibus carendo vel in jurando cecederit, est convictus; sin autem, tunc quarta vice impetratus per testes convincetur. Et quia fraus et dolus nulli debent patrocinari, ideo merito ipsorum malo desiderio sunt fraudati.

58. In accusationibus criminum, cujusmodi sunt incendia, mortificationes et consimilia, non obstantibus litteris jurati personaliter sunt vocandi et de circumstantiis necessariis inquirendi. Secundo, utrum in criminibus per communitatem et per litteras possit fieri testimonium. Tertio, quod numerus septenarius testium est, quasi de substantia juris. Quarto testimonium multitudinis maxime habetur per auditum. Quinto, quod credibilius est testimonium juratorum unius loci pro singulari criminis, quam plurium locorum pro eodem crimen. Sexto, quod testimonium multitudinis est suspectum. Omnes isti articuli ordinatim sub distinctione paragraphorum ad plenum, sicut concretum est in civitatis consilio, ac lucide in subscripta sententia continentur, ut hic patet in sequentibus. (H 3<sup>a</sup> 1) A 2. 7. B 6<sup>b</sup> 4. C 3<sup>b</sup> 6. 7 D 14<sup>b</sup> 1. K 108<sup>a</sup> 3.) Jurati de Galicz<sup>2)</sup> scripserunt sic. Quidam civis de Praczaw ad nos veniens duos de hominibus nobis commanentibus patrem videlicet et filium, de quibus conquerebatur, quod ipsum et oppidum in Praczaw cremassent, in causam traxit, obligans se ad verificandum querimoniam suam per XII juratos de Praczaw et per totam communitatem ibidem; et similiter per XII juratos de Pisencz<sup>3)</sup> et per totam communitatem ibidem. Rei vero postquam per quaerimoniam incacerati

<sup>1)</sup> Ist in Hs. H. gleich zum Beginne des Rechtsbuches gesetzt.

<sup>2)</sup> Skalicz D. an Stellen, wo H. Galicz hat. <sup>3)</sup> Bzenecz D., wo H. Pisenz hat an allen Stellen.

ad judicium sine ligamentis ferreis, et sine signis incendii ducti fuissent, petiverunt pro se sententiari, utrum res, corpus et honorem non debeant potius defendere, quom possint vinci. Jurati vero de Galicz cum sententissent pro eis, sententiam actor arguens ad consilium civitatis Brunnensis appellavit. Quo facto cum appellatio et causae processus ad consules Brunenses pervenissent, vocaverunt duos discretiores, quos causa non taugebat, de juratis de Praezaw, et similiter duos de juratis de Pisenez, et etiam duos de juratis de Galicz, volentes ab ipsis de dicta causa et ejus circumstantiis plenius informari. Qui cum venissent, illi de Praezaw et de Pisenez patentes exhibuerunt litteras, in quibus continebatur, quod ipsis et communitati eorum cognitum fuisset, quod Lacharius et filius suus, quos in Galicz convenissent, oppidum in Praezaw pluries cremassent, et adhuc per amicos et cognatos eorum cremare quotidie non cessarent. Jurati vero de Bronna, cum quaererent divisim primo a juratis de Praezaw, et postea ab aliis de Pisenez, utrum hoc vidissent, vel audivissent, vel qualiter eis hoc constaret, et utrum dicti Lacharius et filius suus prius apud eos residentiam fecerunt, et qualiter ab ipsis recesserunt, et quid eos movere deberet ad praescriptum incendium faciendum. Responderunt concorditer, quia non ex visu, sed hoc solum ex auditu scirent; adjungentes, quod saepe Lacharius ante XXX annos cum quatuor filiis suis in Praezaw manserit, et cum unus filiorum pro furto suspensus fuisset, ipse cum aliis tribus a Praezaw recedens breviter postea horreum cum annonis in Praezaw cremavit; et postea per intervallum iterum cremavit; ac tandem frequenter successu temporis fere totum oppidum Praezaw incendio devastavit et in diversis locis hincinde, per quae dicti pater et filii medio tempore tamquam fugitiivi divagabuntur, coram clericis et laycis hoc sunt confessi, dicentes insuper, quod nec quamdiu vixerint, ab incendio vellent quiescere supradicto. Ista verba ad plures ex nobis et etiam ad plures ex communitate nostra per illos, qui ab ore dictorum incendiariorum ea audiverint, sunt devoluta: et tandem unus ex nobis alteri hoc narravit, itaque tam jurati quam communitas illud habent pro manifesto. Jurati vero de Galicz de vita et fama dictorum patris et filiorum interrogati dixerunt, quod plusquam anno eis commanserint, et quod interim nihil de eis audiverint ac percepient nisi bonum. Consideratis igitur omnibus praedictis jurati Brunenses tam moderni quam antiqui ponderaverant pro parte eorum, quod de minis incendii ante cremationem factis

non fuerant accusati et qui etiam in fuga non fuerunt detenti propter quod ipsis expurgatio esset concedenda Pro actore vero pensaverunt, quod super abundans esset testimonium XXIV juratorum et communictatum duorum oppidorum et quod non esset conveniens, quod contra testimonia juratorum reo daretur defensio expurgationis. Perpenderunt etiam, quod jurati extra metam judicij proprii non possunt testari, nisi sicut alii communes homines: et quod eorum testimonium juramento corporali tacta cruce in alieno judicio confirmare debent, quamvis de hoc in judicio proprio supportentur. Inspexerunt etiam quod testimonium communictatis, quae multitudinem includit, quodam modo est suspectum: difficulter enim unus actus, uno loco, et uno tempore factus a communictatis multitudine nosceretur. Unde credibilis esset testimonium juratorum unius loci pro aliquo singulari actu, quam testimonium juratorum plurim civitatum pro eodem actu, idem enim actus a juratis ejusdem loci bene percipi potest, sed quod a juratis diversorum locorum acque bene percipiatur vel ita plene cognoscatur, hoc videtur absurdum. Unde etiam testimonium multitudinis maxime habetur per auditum. Et ergo requirendum est, a quo tale factum principaliter sit publicatum et sic frequenter pervenitur solum ad unum testem, qui primo uni dixit, et ille alteri, et sic successive tota multitudine fuit instructa: et quia unus testis est insufficiens et suspectus, testimonium communictatis, cum ab uno principium traxit, rationabiliter est suspectum. Sententiatum est ergo in pleno consilio ex universis praenotatis motivis, et ex hoc maxime, quod rei voluntarie juri paruerunt, quod actor de Praeczaw debet patrem et filium, quos de incendio accusavit vincere secundum formam juris unumquemque videlicet, metseptimus testium side dignorum. Magis enim consonat rationi quod septem cognoscant veritatem dictae causae quam duae communictates; quia etiam numerus septuarius testimonii est de substantia juris: non oportet, quod propter superfluum testimonium, ad quod actor se obligavit, suffocetur. Unde dicta superabundantia testimoniis et etiam testimonium literarum, quas jurati de Praeczaw et de Pisencz obtulerunt, nihil plus faciunt, nisi quod reis defensionem prohibent. Actorem vero ab his, quae rigore juris deserviunt non excusant. In casu etiam praedicto puta incendiis, qui gravis est et in generale damnum vergit, praescriptis reis defensio negatur, quod forsitan non fieret in casibus non periculosis. Unde etiam in multis juribus pro minis incendiis convincitur mettercius quamvis pro facto incendiis sit metsepti-

mus convincendus: dumnum enim minorum certitudiniliter taxari non potest: factum autem taxari potest.

## Capitulum de advocatis.

59. De **advocatis et protonotariis quantum ad officia<sup>1)</sup>**. (H. 18<sup>a</sup> A. 3. 1.—6. B. 7<sup>a</sup> 2. C. D. 16<sup>a</sup> 1. K. 108<sup>b</sup>). Jurati de Broda Ungaricali petentes informari de officio advocatorum instructi sunt in consilio:

a) Quod actor et reus possunt per se ipsos coram iudicio proponere, quidquid habent placitare.

b) Revocationem verborum quae vulgariter holunge dicitur nisi perlocutores verba eorum proponant, non habent. Unde necessarium est et utile, quod unusquisque per advocationem proponat et respondeat, quidquid habuerit quaerulari. Judex ergo homini juste petenti advocationem denegare non debet.

c) Etsi duo unum simul petierint advocationem, primus cum obtineat: tamen si idem advocationem per unam partem ante horam iudicij pretio fuerit conductus, pro illa, non obstante petitione alterius advocabit.

Judex etiam videat, nec per potentes copia advocationum pauperibus subtrahatur, immo judex ex officio debet non habentibus advocationes assignare.

Potest etiam homo verba advocationis sui vel per judicem interrogatus vel per se affirmare vel negare.

Uno etiam advocatione rejecto alium statim potest assumere licentia iudicis accedente.

60. De **advocatis et protonotariis quantum ad prohibitionem, excusationem et poenam**. (H. 18<sup>a</sup> A. 3. 6. 8. B. 7<sup>a</sup> C. 3<sup>b</sup> 9. 10. D. 16<sup>a</sup> 2. K. 108<sup>b</sup> 2.) Si actor invitat advocationem ad domum suam et coram amicis suis secreta causae sua ratione consilii sibi revelat talis advocationis postea in iudicio excipiente actore ad advocationem contra ipsum pro reo admitti non debet.

Item si causa partis, quam fovet advocationis induciata seu suspensa fuerit, durante tali suspensione advocationis pro parte contraria in eadem causa de jure advocationem non debet.

Item si advocationis pro officio rogatus, publice dicat sic: Domine judex scio veraciter causam talis hominis

<sup>1)</sup> distinctio patet W. Es ist in H. W. S. gewöhnlich nach der Überschrift die Bemerkung: „distinctio patet“ beigefügt.

esse injustam, quare peto contra conscientiam meam ad soven-dam ipsam, me per vos non compelli; judex, si advocatus juramento suo hoc confirmaverit, advocatum pro causa tali du-cenda contra deum et iusticiam non compellet.

Ista tamen confessio advocati vel ejus juramenti, parti pro qua non advocabit, nullum prejudicium generabit.

61. Propter carentiam advocati est parti terminus prolongandus. (H. 18<sup>a</sup> 9. 3. 7. B. 7<sup>a</sup> C. 3<sup>b</sup> B. 16<sup>b</sup> K. 108<sup>b</sup>) Si duo advocati consueverunt esse coram judicio, et quandoque partibus comparentibus unus eorum sit absens, tunc alteri partium petenti, si tamen causa gravis sit et ardua, ut sibi de advocate provideat, est terminus prolongandus. Sic sententiatum est in judicio civitatis, cum Marcus et Matheus ratione testamenti patris eorum ad invicem litigarent.

62. De advocatis et prolocutoribus. (Ibidem.) Reo propter hoc quod impetratur tamquam mortificator non est advocatus denegandus (ipso jure) <sup>1)</sup>.

63. De salario advocateorum. (H. 18<sup>b</sup> A. 3. 9. B. 7<sup>a</sup> C. 4<sup>a</sup> 1. D. 16<sup>b</sup> 3. K. 108<sup>b</sup> 3.) Sciendum est, quod salarium est pretium advocateorum, scriptorum et aliorum officialium actori et reo deservientium. Consideratur causarum tractibus difficultatibus et quomodo ad finale decisionem praelactationibus partium facultatibus et officialium eoruundem foliaturdiniibus, ceterisque considerandis sunt secundum juratorum conscientiam moderanda. Sic responsum est ad interrogationem civium in Radisch.

64. De coadjutore advocatei. (H. 18<sup>b</sup> A. 3. 10. B. 7<sup>a</sup> 3. C. 4<sup>a</sup> 2. D. 16<sup>b</sup> 4. K. 108<sup>b</sup> 3.) Diffinitive inductum est, si pars petit, non obstante advocate, etiam cooperator qui vulgariter dicitur *ste wer* sibi dari debet.

65. Utrum pars plures advocates habere potest. (H. 18<sup>b</sup> A. 3. 11. B. 7<sup>a</sup> 4. C. 4<sup>a</sup> 3. D. 16<sup>b</sup> 5. K. 108<sup>b</sup> 4.) Diffinitum est, quod plures advocates una pars pro sua pecunia potest convenire, dummodo hoc captiose et malo dolo non faciat, ita scilicet quod isto modo altera pars advocate non copia privetur. Sic sententiadum est rusticis de Puehenicz.

66. Advocatus cui est denegandus. (H. 18<sup>b</sup> A. 3. 12. B. 7<sup>a</sup> 4. C. 4<sup>a</sup> 4. D. 17<sup>a</sup> 1. K. 108<sup>b</sup> 4.) Qui de maleficio confitetur, vel in ejus actu rapitur, vel facti evidentia convin-citur ille advocate denegatur licet instanter eum petat.

<sup>1)</sup> W.

**67. De advocante pro se ipso propria voce.** (H. A. B. 7<sup>b</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 5. D. 17<sup>a</sup> 2. K. 108<sup>b</sup> 4.) Licet supra scribatur, quod actor et rens coram judicio per se causas suas proponentes, revocationem verborum quae vulgariter holunge dicitur, non habent; tamen si in principio de hoc caveant pententes, per judicem hujusmodi revocationem, deliberationem, et alia, quae advocati consueverunt, pro jure partium praemittere, sibi concedi, tunc si fuerint, eis indulta habent singula, quae competitur advocatis. Unde cum in Gurayn advocatus quidam in caput vulneratus, omissa petitione holunge, querimoniam suam in haec verba procrumpens de reo proposisset: Domine Judex, questionem sibi moveo, quod in caput mihi vulnus dedit, de quo a vita usque in mortem perveni. Et reus hoc audito in sententia juris pro se distiniri petivisset, cum actu viveret, et verbis propriis se mortuum esse consiteretur, utrum ab ejus quaerimonia tamquam mortui, non esset justicialiter absolutus, praesertim quod holunge habere non possit. Sententiatum est pro reo quod pro dicto vulnera capitis actoris querimoniam evasisset. Postea vero de vulneribus aliis cum diversos reos impeteret modo debito non ut prius fecerat, mortuum se affirmans, et illi sicut primus reus quererint utrum querimoniis mortui respondere deberent. Sententiatum fuit pro actore: cum enim primum errorem revocans in aliis querimoniis non mortuum sed viventem se sit confessus rei debent ad suas querimonia respondere.

**68. De appellctionibus et provocationibus in genere.** (H. 18<sup>b</sup> A. 4. 1.—6. B. 7<sup>b</sup> 8<sup>a</sup> C. 4<sup>a</sup> 6.—16. D. 17<sup>a</sup> 3. K. 109<sup>b</sup>.) Locorum diversorum judices et jurati super his, quae circa modum appellationis occurrunt, de subscriptis saepius sunt instructi. Cuilibet parti a gravaminibus legitimis, et sententiis inquis est licitum appellare. Appellationis<sup>1)</sup> enim remedium non est ad defensionem iniquitatis sed ad innocentiae praesidium institutum. Unde non a verbis cominatoriis, sed tam tam a gravaminibus legitimis, quae vergunt in praejudicium juris illius, qui appellat, est appellandum. Non enim ad appellandum quemquam trahere debet propria voluntas, sed tantum necessitas importuna. Si enim judex justiciam facere recuset vel exequendo modum excedat vel si jurati deliberationem interlocutoriam parti denegant ab eis ratione talium gravaminum et

---

<sup>1)</sup> C. beginnt bis importuna nur unwesentlich abweichend.

aliorum istis consumilium ad altius judicium, sed ad principis terrae consilium rationabiliter appellatur. Nec debent sibi judex et jurati pro injuria reputare, si gravatus in defensionem juris sui ad appellationis beneficium convolavit. A sententiis etiam inique latis poterit pars contra quam feruntur appellare. Et non oportet sicut mala consuetudo multorum habet locorum, quod appellans fixus stet, nec pedem de loco moveat nisi prius a sententia lata appelleat; imo si petit, deliberatio est sibi concedenda utrum in sententiam latam relit consentire vel ab ipsa ad majorem audientiam appellare. Non est etiam necessarium, quod appellans statim appellatione interposita, sententiam quam dicat meliorem sententie contra eum perferat sed sufficit quod dicat sic:

Domine judex: Sententiam a juratis contra me latam arguo offerens me meliorem ab illo loco a quo de jure teneor illaturum; et iste quidem modus servandus est, quando sententia fertur super aliqua de rubia ex proprio ingenio vel industria juratorum. Si autem fertur de jure scripto, sic dicat: Domine judex, sententiam, quam jurati ex jure scripto contra me tulerunt, credo salva eorum reverentia ex malo scripturae juris intellectu processisse: unde ab ipsa apello petens eam instanter ad principis, a quo jus scriptum est, editum, audientiam, prævenire cum ejus sit interpretari, cuius est condere.

Pendente appellatione nihil est in eadem causa innovandum, vel aliqualiter moderandum quounque probabitur, utrum bene vel male fuerit appellatum. Debent insuper jurati appellantares, vel cum viris fide dignis, qui totam processum causæ proponant, vel cum suis literis allegationes partium et causam appellationis continentibus ad principis capitanei vel alterius ad quem appellatum fuerit praesentiam expedite et breviter expedire, omnis dilationis materiam amputando.

Appellans, nisi legitime præpeditus fuerit, si infra sex septimanas suam persecutus non fuerit appellationem, pro non appellante habeatur.

Notandum tamen, quod non obstante judex appellatione in causa debet procedere sicut de jure fuerit procedendum (et hoc in timorem faciliter appellantis) ut hoc saltem timore perterritus in gravamen alterius non praesumat quos faciliter appellare.

Processus (appellationis) futurus est appellanti per judicem et juratos, antequam iter prosecutionis appellationis arripiat, solemniter intimandus. Mora vero si quam ultra dictas sex

septimanus hoc est sicut vulgariter dicitur tres XIII dies interim principis vel illius ad quem appellatum est dummodo interim nec propriis nec aliis intendat negotiis fecerit, appellanti non obstabit. Quae autem sit emenda sententiam juste latam contumaciter arguentis, require infra sub illa rubrica: de emendis in genere quinto pars cedit judici et quarta civitati.

69. Spe appellationis interpositae non est deliquendum. (H. 19<sup>b</sup> A. 4. 67. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 14, 15. D. 18<sup>a</sup> 1. K.) Si pars ad majorem audientiam appellans appellatione pendente excessus committat et delinquat, pro illis debet interim per judicem proprium appellatione non obstante corrigi justicialiter et puniri. Non enim remedium appellationis ideo est inventum, ut alicui a disciplinae observantia exorbitanti debeat in sua malitia patrocinium exhibere: tamen si post appellationis vocem emissam judex et jurati appellantem pro excessibus forsitan longe prius commissis gravare voluerint, propter hoc ab eis tamquam a suspectis iterum rationabiliter appellabit. Consueverunt igitur judices et jurati, quod ab eis appellatur, moleste ferre, quam plurimum et indigne. Et est considerandum quod talis appellationes gratia manifestae suspicionis factae non debent poena bursali aliqualiter emendari.

70. Appellationis causa sublata cessat appellatio. (H. 19<sup>b</sup> A. 4. 8. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 16.—19. D. 18<sup>a</sup> 2. K.) Cum appellatur a gravaminibus tunc eis sublati cessat appellatio. Et similiter si appellatur a sententia ex ingenio juratorum lata, tunc ea per juratos revocata appellatio est cassata. Si autem appellatum fuerit a sententia ex jure scripto lata, tunc distinguendum est; vel enim scriptura ex qua fertur sententia ad diversos sensus trahi potest vel non. Si primo modo tunc appellatio est admittenda. Secundo vero modo, si scriptura ita est plana, quod tantum unum sensum habet illum videlicet, ex quo tracta est sententia, tunc appellatio est mala, nec ei est aliqualiter deferendum. Item si appellat, aliquis, cuius non interest, non est audiendus. Item si appellans eodem judicio, quo appellavit, appellationi sponte et publice renuncians, confessus fuerit, se male appellasse, tunc ipsum judex emenda remissa, appellatione cessante, in juribus sibi competentibus procedere patiatur. Ad honorem enim juratorum sufficit, quod appellans verba propria revocet cum rubore. Debent etiam jurati, ne de crudelitatis severitate possint argui in emenda appellationis magis se faciles quam difficiles exhibere.

71. Maleficorum appellationis sunt inānes. (H. 20<sup>a</sup> A. 4. 11. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 20. D. 18<sup>b</sup> 1. K.) Si excessus malefici evidentia rei vel ejus confessione vel ex sententia lata vel alio modo legitimo fuerit manifestus ejus appellatio, quae defensionem iniquitatis praetendit, non est admittenda. Si autem excessus sit dubius, tunc factum non est praecepitandum.

72. Appellatio non est propter juramentum interpositum prohibenda. (H. 20<sup>a</sup> A. 4. 11. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 21. D. 18<sup>b</sup> 2. K.) Licet judices et jurati juraverint, appellationibus se nolle deferri, licet etiam partes jurent se nolle appellare, tamen his non obstantibus juramentis, si aliquis gravatus rationabiliter ad majorem audientiam appellaverit ejus appellatio est admittenda.

73. De appellationibus non admittendis. (H. 20<sup>a</sup> A. 4. 12. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>a</sup> 22. D. 18<sup>b</sup> 3. K.) Si res dilationem non recipit non est appellatio admittenda, veluti: ne testamentum defuncto testatore, illis, quorum interest, intimetur, ne frumentum ad pascendum servos familicos in farinam conteratur vel ne scriptus heres in possessionem inducatur, vel ne pignus tempore debito creditorem vendere liceat, vel ne vinum defecatum et omnino clarum et maturum, cum quasi desicere jam incipiat in denarios convertatur. Et si pars se dicit literas principi dedisse et responsum expectare et ob hoc appellaverit volens propter adversam fatigare talis appellatio non est admittenda. Item si ex perpetuo edicto praecipitur aliquid faciendum tunc non est permittendum, appellare contra illud edictum.

74. Appellatio unius aliquando prodest alteri, quandoque non. (H. 20<sup>a</sup> A. 4. 13. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>b</sup> 1. 2. D. 18<sup>a</sup> 4. K.) In communi causa quoties alter appellat, et alter non, alterius victoria etiam illi proficiet, qui non provocavit et hoc si eadem causa fuit defensionis. Si aliqui divisim fuerint condemnati, quamvis ex eadem causa hoc fiat, tamen pluribus appellationibus opus est eis.

75. Appellatio contumacis, quandoque non valet. (H. 20<sup>a</sup> A. 4. 14. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>b</sup> 3. D. 18<sup>b</sup> 5. K.) Illi qui contumaciter absens noscitur nullam competere provocationis licentiam, manifestissimi juris est, nisi venerit judice adhuc pro tribunali sedente. Item cum a principe causa committitur judici remota appellatione, tunc non auditur appellans, etiam partes ab initio possunt remittere sibi, ne appellant.

### Capitulum de aquis.

**76. De aquis et earum meatibus, vulgariter dictis aeh.** (II. 20<sup>b</sup> A. 5. 1. B. 11<sup>b</sup> 3. C. 4<sup>b</sup> 4. D. 19<sup>a</sup> 1. K.) Aquae meatus, vulgariter dictus aeh duplex est. Quidam naturalis, in quo aqua a sui origine fluxit, et ipsum loca petens decliviora per se fecit. Et hunc meatum aqua in utroque litore quandoque ampliat et quandoque coartat: nec propter hoc habentes hereditates in eisdem litoribus ad emendam vel reformationem aliquam obligantur. Alius autem est meatus violentus, in quo aqua artificialiter mediantibus obstaculis, et quodammodo violenter per fossata ad hoc facta fluere compellitur, ratione molendariorum, hortorum, agrorum, vel aliarum heriditarum quibus proficit et praebet plurimum incrementum. Et talis meatus apud magistros molendinatores determinatam secundum latitudinem et profunditatem habent mensuram, quam habentes hereditates in litoribus, hujusmodi meatus aquae contingas nec amplabunt nec compriment, imo si per aquarum inundationem erupta fuerit, fossatis purgatis eandem omnimodo reformabunt sicut emendas per voluntatem juratorum eis impositas voluerint declinare. Sic cribratum est per juratos et magistros molendinatores, cum fluvius dictus Swittavia obstaculo remotiori rupto extra meatum, quo versus civitatem fluit per campos versus Schuttm et patibulum defluxisset.

**77. De aqua pluviali, quantum ad vicinos ordinarios.** (II. 20<sup>b</sup> A. 5. 1. B. 11<sup>b</sup> 3. C. 4<sup>b</sup> 4. D. 19<sup>a</sup> 2. K.) In Chrisans tres vicini, cum in quadam declivitate ordinarie residerent, et quilibet eorum aquam pluvialem intra septa superiorum suorum edificiorum, ne vicino noceret, capere deberet; medius cum inferiori pro censu nominato pactus est, quod aqua sua in curiam ejus flueret, quando cum superior percipisset, et aqua de medio ad inferiorem plusquam anno transivisset, ordinavit cum medio superfluxu aquae suaee, sicut et ipse medius prius ordinaverat cum extremo. Postremus ergo, qui est inferior agens in medium petivit pro se sententiari cum ipse tantum de aqua sua secum ordinaverit, utrum ipse fluxum aquae superioris vicini etiam capere debeat cum in pacto inter ipsum et medium facto non fuerit de hoc cautum. Super quo diffinitum est quod pacta ex conventione legem accipient, quod solum medius debet aquam suam propriam et non vicini sui superioris in fundum inferioris derivare. Et si promisit medius superiori aquam suam capere, eam capiat et sine danno

inferioris, vel ipsum intra metas suas retineat vel alias educat, ne inferiori sit nociva.

78. De aqua pluviali et stillicidiis in edificiis villanis. (H. 21<sup>a</sup> A. 5. 1. B. 11<sup>b</sup> 3. C. 4<sup>b</sup> 4. D. 19<sup>b</sup> 1. K.) Si in villis ubi pro stillicidiis tectorum intersticia vulgariter w e r dicta (mezirka) raychen dimittuntur, vicinus exaltat tectum super tectum vicini cavere debet, ne stillae descendentes tectum inferioris tangant, alioquin stillas easdem ad stratam publicam per canale deducere compelletur. Unde nota, quod aqua pluvialis dicitur, quae de aëre cadit, et si illa naturaliter noceat, de ipsa tunc actio non dabitur vicino contra vicinum nec altericuique. Si autem talis aqua opere manu facto noceat, secundum quod vicinus aliquid aedificet, vel fundum suum exaltet, vel tale quid faciat, propter quod aqua vicino nocere incipiat, ex hoc dabitur actio aquae pluviae arcendae. Sic enim quisque suam domum meliorem facere debet, ne vicini faciat deteriorem. Unde quilibet stillicidia suorum tectorum capere debet, nisi jus habeat, quod super vicinum cadant.

79. De aqua pluviali quantum ad agros. (H. 21<sup>a</sup> A. 5. 1. B. 11<sup>b</sup> 3. C. 4<sup>b</sup> 5.—8. D. 19<sup>b</sup> 2. K.) Jurati de Alba Ecclesia proposuerunt in consilio, quod rustici villarum frequenter coram eis conquerantur, unus de alio, quod in agro suo faciat fossatum, in quo aquam pluvialem capiat in tanta copia, quod ager vicinus arridus maneat nec rigetur. Petiverunt ergo informarniari. Super quo sunt instructi, si rusticus serere et arare possit sine talibus fossatis, qui dicuntur sulci aquarii, tunc sulcos tales non faciat, et si facit, tenetur hac actione, licet agri colendi causa videatur fecisse. Sed si aliter seminare non posset, nisi sulcos aquarios faciat, non tenetur. Item si opere facto aut in partem superioriem aqua pluvialis pellitur, aut in partem inferiorem derivatur actio aquae pluviae arcendae competit. Unde dicitur et bene aquam pluvialem in suo retinere vel super abundantia ex fundo vicini in suum derivare, dummodo opus in alieno non fiat, omnibus jus esse: prodesse enim unusquisque sibi, dum alteri non noceat, non prohibetur. Et sciendum est hanc actionem superiori adversus inferiorem competere ne aquam, quae natura fluit, opere facto inhibeat, per suum agrum decurrere, et etiam inferiori adversus superiori, ne aliter aquam mutet superior, quam fluere natura solet. Et nunquam competit haec actio, cum ipsius loci natura aqua nocere possit; tunc enim verius est dicere non aquam sed loci naturam nocere. Unde in summa actio aquae

pluviae arcendae locum habet, si aqua pluvialis, vel quae crescit ex pluviae, nocet non naturaliter, sed opere facto, nisi agri colendi causa illud opus factum sit. Nota, quia tria sunt, propter quae inferior locus superiori servit, lex, natura loci et vetustas, id est servitus ejus non extat memoria, quae semper pro lege habetur, minnendarum et breviendarum scilicet litium causa, et saepe natura loci, et vetustas cedunt legi supervenienti: quandoque etiam lex et natura loci cedunt vetustati, quia ut plurimum, cum occurrit questio de talibus, recurritur ad senes, quorum determinationi, qualiter ab antiquo res se habuerit, statur; illi etiam, qui tempore medio credentes jus sibi competere, praedicta, sive sint fossata facta, sive antiqua fossata obstructa et complanata vel alia quaecunque consumilia possiderunt; postea, cum ad pristinum statum redacta fuerint, ad emendas non tenentur, cum primus excedens dudum forsitan sit defunctus.

**80. De aqua pluviali in aedificiis urbanis.** (II. 21<sup>b</sup> A. 5. 1. B. 11<sup>b</sup> 3. C. D. 20<sup>a</sup> 1. K.) Cum domus Petri Judicis in Chrisans esset vendita, et exaltasset emptor parietem tectumque domus intantum extendisset et prolongasset, quod stillae, quae prius tectum vicini non tangebant jam super tectum cadere solebant. Quaesitum est, quid sit juris in hoc casu. Super quo responsum fuit, quod parietem licet exaltare, dummodo tectum taliter ordinetur, quod stillicidium cadat in illum locum terrae, quem prius tangere consuevit. Unde reduci potest stillicidium, quia in nostro magis incipiet cadere; sed produci et prolongari non potest, ne alio loco cadat, stillicidium, quam in quo posita est servitus; levius enim facere poterimus sed artius non. Et omnino sciendum meliorem vicini conditionem per nos fieri posse, sed deteriorem non posse, nisi aliquid nominatim in servitute imponenda exceptum sit. Et est hoc generale in omnibus servitutibus in quibus vicinus vicino et domus domui servit, ejusmodi sunt fenestrarum et luminum in curiam vicini receptio, aedificorum altior exaltatio, specialium parietum ratione pacis factio, stillicidiorum aversio, vel in canale vel in tectum vel in terram captio, imittendorum signorum in parietem vicini missio, foraminum antiquorum ampliatio vel arctatio, vel quantum ad numerum multiplicatio vel minoratio, vel in alio loco, quam prius fieri consuevit nova positio, et sic de multis aliis consumilibus.

**81. De aqua fontali et fontium fissione.** (II. 21<sup>b</sup> A. 5. 2. B. T1<sup>b</sup> 3. C. 4<sup>a</sup> 8.—11. D 20<sup>a</sup> 2. K.) De Scardiez

interrogatum est, in qua distantia vicino, a fonte vicini, quem habuit ab antiquo, novum fontem fodere liceat. Super quo responsum est, quod in suo fundo cuilibet licet fontem fodere, ita profundum sicut placet, sicut et in altum aedificare nulli prohibetur. Et quamvis in suo fodiens, vicini avertet fontem vel exsiccat, tamen propter hoc cum ipso agi non potest, nec etiam actioni de dolo, si non animo nocendi, sed sui causa profectus id fecit. Item qui habet haustum fontis alicujus de jure, iter quoque habere videtur ad hauriendum. Sicut etiam tugurium in tuo mihi habere licet, si habeo pascuorum servitutem. Equitare vero vel cum curru fontem accedere illi non licet, qui tantum iter ad hauriendum habet. Item si fons, qui serviebat, exaruit et per longum tempus iterum fluere coepit, servitus recuperatur, quia non per negligentiam vel culpam talis servitus amissa fuit.

### **Capitulum de arbitris.**

82. De arbitris et consiliariis in genere.  
(H. 20<sup>a</sup> A. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 4<sup>b</sup> 12. 13. D. 20<sup>b</sup> 1. K.) Jurati de Praczaw de arbitris et consiliariis et conditionibus circa arbitrationes et amicabiles ordinationes servandis quaerentes taliter sunt instructi. Postquam arbitris causa est commissa tunc quantum ad ipsam auctoritas judicis expiravit: quia de caetero non est per strepitum judicii sed per arbitrium decindenda: potest tamen judex arbitros, si negligentes fuerint, ad causae decisionem infra dies quatuordecim faciendam et arbitrium pronunciandum partesque arbitrium contradicentes ad poenam qua vallatum fuit, solvendam compellere justitia mediante. Item arbitri concordare non volentes, de consilio arbitri, quem eligere possunt, vel de consilio juratorum communiter, quod rogati in maniloquio eis exhibebunt causam ipsis commissam, sine debito terminabunt. Item omne arbitrium vallandum est poena, cujus metu partes ad ejus ratihabitionem cogantur. Item si facta pronunciatione arbitrii statim, vel una pars vel ambae, partes ipsum reclamaverint sine remissione, poenam solvant et arbitrio cessato in causa procedant, sicut de justicia fuerit procedendum. Si autem partes audita pronunciatione in arbitrium consenserint, tunc non obstantibus contradictionibus et reclamationibus quibuscumque, quas postea fecerint, super arbitrium poena gratiose soluta in suo robore permanebit. Unde cum ad breviandum lites labores et ex-

pensas et fatigas partium sit ad arbitros recurrendum, debent discreti arbitri, cum emenda bursali arbitrium in factis magnis et arduis etiam poena, casus et privationis omnis juris, causae totalis vallare. Timore namque talis poenae arbitrium finem debitum consequitur et omnis processus juris et judicii tollitur, et simpliciter submovetur.

**83. Qualiter emenda et poena arbitrii sit moderanda.** (H. 22<sup>b</sup> A. B. 8<sup>a</sup> 2. C. D. 21<sup>a</sup> 1. K.) Sententiatum est in Chrisans, si partes per se, vel cautione fidejussoris magna poena puta centum marcarum ad servandam pacem inter ipsas posita, vel per arbitrium ordinatum stringuntur, non oportet, quod aliqua earum leviter excedens totam poenam vel emendam solvat, ymo juxta qualitatem excessus est emenda secundum juratorum conscientiam moderanda. Primi enim arbitratores pacem inter partes ponentes more sapientum ad majus et gravius, sicut est homicidium vel consimile, quando posset accidere, respiciendo emendam vel poenam agravant vel augmentant.

**84. De arbitris quantum ad processum.** (H. 22<sup>b</sup> A. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 4<sup>b</sup> 14. D. 21<sup>a</sup> 2. K.) Cum arbitrium semper debeat procedere et nunquam retrocedere, si tres sint electi arbitri, duo poterunt in causa procedere, et ipsam diffinire, si tertius citatus malitiose vel voluntarie nolit adesse; dum tamen justo impedimento non impediatur, ac si tertius praesens esset.

**85. De arbitris quantum ad privilegia et instrumenta.** (H. 23<sup>a</sup> A. B. C. 4. D. 21<sup>a</sup> 3. K.) Sententiatum est in Praczaw, licet testes instrumentis inscripti de jure debant esse rogati, tamen arbitri causae decisionem de alto et basso in manibus habentes quidquid arbitrati fuerint, in litteris possunt scribere et sigillis propriis et aliorum, sicut eis placuerit sigillare. Cum enim ad arbitrandum primo rogantur, non oportet, quod ad litteras scribendum et eas sigillandum, quod est tamquam accessorium, secundario rogitentur.

**86. De arbitrationibus super excessu verborum et factorum.** (H. 23<sup>a</sup> A. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 4<sup>b</sup> 15. D. 21<sup>a</sup> 4. K.) Jurati de Alba Ecclesia scripserunt sic. Lite inter partes per arbitros sub ista poena decisa, quicumque verbis ipsam inchoaret judici et juratis in tredecim talentis denariorum tenetur; quicumque vero factis ipsam innovaret manum pro manu, pedem pro pede et vitam pro vita solveret pro emenda. Accidit quod in taberna unus de numero dictarum partium alium partis adversae vita privavit: et postquam excessus hujusmodi ad judicem et juratos per querimoniam devenisset, quaesiverunt

a partibus, unde delictum tale verbis an factis originaliter processisset. Actor vero, puta frater, occisi respondit, quia protestaretur in hospitem tabernarium, quod non per fratrem suum lis, propter quam occisus esset, fuerit inchoata. Tabernarius, autem idem super dicenda veritate requisitus dixit, quod nolle testari per se ipsum, sed alios duos, quos vocauit sibi vellet assumere pro suo testimonio confirmando. Depositus ergo tabernarius, quem videret, quod ille cui homicidium imponebatur fratrem actoris pugno et cultello evaginato laedere voluit, nisi ipse intercepisset. Alii vero duo testabantur solum, quod viderint, quod tabernarius occisum et illum, cui imponitur occisio, ab invicem separasset. Quaerit ergo actor, cum tabernarius, quem ipse pro teste nominaverit, et in cujus testimonio contentari velit, pro se sit testificatus, utrum ejus testimonium sibi non debeat justitialiter suffragari. Ex parte vero rei quaeritur, utrum testimonium duorum, quos tabernarius assumpsit, non sit testimonio solius tabernarii merito praferendum et infra. Interrogatur ergo primo, quae partium XIIII talenta, per quae arbitrium, quantum ad violentiam verborum est vallatum, potius secundum dictum testimonium solvere teneatur. Et secundo, quam vim testimonium hospitis tabernarii habere debeat, utrum aequipolleat testimonio jurati, vel sit minus. Et tertio, utrum prius sit agendum in casu praescripto de excessu verborum, de quo partes contendunt, vel de homicidio perpetrato: et utrum per homicidium subsecutum non sit poena arbitrii, quantumque ad excessum et inchoationem verborum posita, extincta penitus, et sublata. Super quorum primum diffinitum fuit, cum nec hospes tabernarius nec alii duo, quos assumpsit, testificati sunt expresse, quae pars litem verbis inchoaverit, nec de eorum testimonio suprascripto appareat, neutra partium de inchoatione litis, quantum ad verba per testes hujusmodi est convicta. Ad secundum autem dictum fuit, quamvis circa villanos testimonium hospitis aequipolleat testimonio jurati, tamen in jure civitatis non consuevit hoc observari et maxime in causis magnis et capitalibus, et praeccipue cum hospites sint tabernarii, talibus enim non consuevit tanta fides sicut ceteris hospitibus non tabernariis adhiberi. Ad tertium autem dictum fuit, cum excessus factorum major sit excessu verborum, rationabiliter prius agendum de excessu facti sicut homicidii est, quam verborum; poena etiam verborum in praescripto arbitrio contenta merito judicatur mortua ex homicidio, cui debetur poena capitinis subsecuto. Volunt etiam multa, jura sicut est rationabile, quod poenam capitis

seu vitae privationem sustinens ad poenam aliam nullatenus obligetur.

87. **Utrum arbitrorum testimonium preeferatur testimonio juratorum.** (H. 23<sup>a</sup> D. 21<sup>b</sup>.) Postquam duo arbitri, in quos partes compromiserant, coram sex juratis pro testibus per eos ad hoc rogatis arbitrium pronuntiassent et poenam arbitrii parti arbitrium non servant solvendem deputascent, accidit per medium annum, quod actor conquestus est de reo, quia termino per arbitros statuto pecuniam decem marcarum sibi solvere neglexerit. Petivit ergo pro se sententiari, si ambo arbitri de praeteritione termini testarentur, utrum reus in dictis decem marcis et in poena arbitrii non esset justicialiter obligatus. Reus vero respondit, quod testaretur in sex juratos, quos arbitri in pronunciatione supra se pro testibus statuerunt, quod terminus solutionis dictarum decem marcarum nondum advenerit, et in poena arbitrii non esset justitia-liter obligatus. Quaesivit ergo, si jurati de hoc testarentur, utrum eorum testimonium non sit arbitrorum testimonio preeferendum. Contra quam responsionem actor replicando quaequivit, cum ipse et reus in arbitros solummodo tamquam in diffinito res causae inter eos ventilatae consenserint, nec juratos pro testimonio petiverint, et arbitrium, qualiter factum et ordinatum sit, plus sit notum arbitris, qui ipsum et statuerunt, et antequam statuerent, saepius cribraverunt quam juratis, qui ipsum tantum semel tempore pronunciationis audiverunt, cum eliam arbitri in his, quae arbitrio deserviunt, juratis aequipolleant in testando, utrum in hoc casu eorum testimonio non sit standum. Super quo diffinitum fuit, quod licet allegationes actoris tamquam validae, quando validiores non obstant, sunt rationabiliter admittendae; tamen, quia in casu praesenti arbitri in arbitrando et in pronunciando coram testibus et maxime juratis officio suo plenarie functi sunt testimonium juratorum, quos arbitri, quantum ad hoc sibi quodammodo substituerunt, imo preefecerunt, est deinceps audiendum. Sic secus esset, fortassis si pro testimonio pronunciationis arbitrii vocarentur testes et non jurati vel tales, quibus non esset tanta fides sicut arbitris adhibenda. Sic sentiatum est in Radiis.

88. **Modus pronunciandi arbitrium.** (H. 24<sup>a</sup> A. B. C. D. 22<sup>a</sup> K.) Rustici villarum instructi sunt, quod ad pronunciandum arbitrium per arbitros rogandi sunt testes, jurati, vel alii, quibus possit tanta fides sicut arbitris exhiberi. In quorum praesentia primo arbitri quaerant a partibus utrum re-

cognascent et conlitantur, quod de omnibus causis et quaestionibus inter eos ventilatis in ipsos tamquam in arbitros consenserint et promiserint. Quibus respondentibus, quod sic arbitri super eo facta protestatione concordent partes ad invicem etiam tactu manuum, si causa sit ardua, injungentes eisdem, quod boni amici sint mutuo favore, diligentia et promotione quibuslibet se semper prosequentes, quodque omnes et singulos, qui amore ipsorum faciunt vel dimittunt, ad eandem servandam amicitiam inducant sine dolo. Postea vero promissa poena vallationis arbitrii ipsum, sicut statuerunt, pronuncient. Quam promulgationem, si causa est temporalis vel memoriae, testium comedent, vel quod tutius est, scribant. Si autem est perpetua ipsam redigant in scripta sigillis autenticis roborata.

89. Arbitrorum assumptio judici in suis juribus non praejudicat. (H. 24<sup>b</sup> A. 6. B. 8<sup>a</sup> 1. C. 4<sup>b</sup> 16. D. 22<sup>b</sup> 1. K.) In causis civilibus et criminalibus, quae non sunt dishonestae, sicut est furtum, spolium, mortificatio, stuprum, incendium et consimilia et quae in praesentia judicis et juratorum vel contra eorum prohibitionem non sunt factae, et in quibus pax iudicata non est violata, partes possunt etiam irrequisitio judice, dummodo non contemnatur, de scitu tamen juratorum in quacunque parte litis in arbitros consentire. Talis enim consensus judici in suis juribus non praejudicat aliquo modo. Ex protervia vero temeritatis si partes judice non rogato in arbitros compromiserint, compromissio vigorem habet et quaelibet partium solvet LXXII parvos denarios pro emenda. Sic sententiatum est in consilio civitatis.

90. Uxor ratum habebit arbitrium, cui maritus subjecit se sponte. (H. 24<sup>b</sup> A. 6. B. C.) Si vir in arbitros consensit ratione debitorum, uxor viro ante arbitrii pronunciationem mortuo arbitros ipsos rejicere non potest, imo ad audiendum arbitrium compellitur ipso jure et similiter heredes: tamen, si aliqua sunt promissa personalia, quae solum personam respiciunt singularem, sicut homagia et consimilia, illorum arbitria non ligant heredes, nisi in compromisso de heredibus fiat mentio specialis. Sic sententiatum est in concilio Juratis in Gayow.

91. Arbitri pro se ipsis de compromisso testari non possunt. (H. 24<sup>b</sup> A. 6. 5. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 5. D. 22<sup>b</sup> 3. K.) Sententiatum est juratis in Schirnabicz, si una partium vel ambae partes negant arbitros et compromissum in eos factum,

tunc si alii non sunt testes, arbitri pro se ipsis de compromisso testuri non possunt. Nemo enim sibi ipsi testis idoneus esse potest. Unde arbitri electi praecipue in causis magnis, in hoc cauti esse debent, quod a partibus super compromisso in eos facta litteras petant, vel sub bono testimonio arbitrium assumant.

92. Si unus arbitrorum moritur alius assumatur. (H. 25<sup>a</sup> A. 6. 5. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 5<sup>a</sup> 3. D. 23<sup>a</sup> 1. K.) Propter mortem unius arbitri causa non est litigialiter inchoanda, sed potius in locum mortui alius assumatur, qui cum ceteris arbitris causam de novo tractans ipsam amicabiliter terminabit.

93. De superarbitris. (H. 25<sup>a</sup> A. 6. 6. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 5<sup>a</sup> 4. D. 23<sup>a</sup> 2. K.) Ex his quae jurati de Gostel in causam eujusdam judaei mortui proposuerunt, sententiatum est. Si causa committitur sepsem arbitris ita, quod quidquid major pars eorum ordinaverit, debeat observari, et tandem tres eorum auctoritatem suam committant quarto ex eisdem septem, alii vero tres committant vices suas euidam alteri dicto numero septenario non inclusu; tunc ille quartus quem primi tres assumpserunt potius est superarbiter dictae causae, quam extraneus, quem ultimi tres eligere curaverant.

94. Arbitri de alio judicio possunt eligi. (H. 25<sup>a</sup> A. 6. 7. B. 8<sup>a</sup> 2. C. 3<sup>a</sup> 5.—6. D. 23<sup>a</sup> 3. K.) Ad interrogationem civium de Chremisir sententiatum est. Quamvis sit consilium, quod viri discreti in judicio, in quo causa ventilatur aliqua pro litis ejusdem causae decisione, residentes pro arbitris elegantur, tamen si arbitri alterius loci seu judicii per partes electi fuerint, electio valet. Error autem, labor, expensae, seu fatiga, quae ex hoc partibus insurrexerint, eorum improvidentiae rationabiliter imputantur. Pronunciatio vero arbitrii et vallatio poenae, qua ratificatur, solum coram juratis seu probis viris judicio ventilationis causae subjectis, ut futuris tollatur materia quaestionis, sunt necessario facienda.

### **Capitulum de armis.**

95. De armis et eorum emendis. (H. 25<sup>a</sup> A. 5. 2. B. 8<sup>b</sup> 1. C. 5<sup>a</sup> 7.—8. D. 23<sup>a</sup> 4. K.) Dominus de Chrisans scripsit sic. Postquam Martinus Petrum vulnerasset, et de Chrisano in quandam villam proprium habentem judicem fugisset, idemque judex in providendo Petro de justitia moram traheret, judex de Chrisano cum suis juratis dictam villam

subintrans judicio praesedit et actu judiciario finito gladium ac arma caetera, quibus Martinus in vulnerando Petrum usus fuerat, secum extra villam deducere volebat. Petiverunt ergo judex et jurati villaे sententiari utrum actus judiciarius, quem judex de Chrisano eis irrequitis exercuit effectum debitum sit sortitus. Secundo querunt utrum gladius et arma praedicta ad proprium judicem villaе et ad judicem de Chrisano vel ad dominum, cuius Martinus est subses et homo, ad quem etiam emendaе judiciales per Martinum solvendaе spectant de jure debeant pertinere. Tertio interrogant utrum in omni casu vulnerationis judex habeat potestatem a reo arma recipere, vel si aliquis sit casus, in quo ipse non debeat exigere de jure. Ultimo queritur, quae sit emenda evaginationis gladiorum et aliorum armorum. Quibus responsum est ad primum, quod nisi consensus propriae villaе accesserit vel ratihabitatio ipsius sit subsecuta actus judiciarius quem judex de Chrisano in villa praefata fecit, non valuit. Sicut nec confessio coram alieno judice non praejudicat, sic nec sententia a non suo judice lata, vigorem habet. Ad secundum autem, quod gladius et arma nec ad judicem de Chrisano, nec ad dominum Martini, sed tantum ad proprium judicem villaе sicut et ad quemlibet alium judicem, coram quo causae vulnerationum et insolentiarum agitantur, et judicialiter tractantur, pertinet pleno jure. Nisi enim hoc concederetur et judices ad compescendum insanias inter homines alterius dominii se non interponerent, nec etiam laboribus et fatigis ac vitae periculo se et eorum familiam pro eo velut saepius accidit exponerent quoque modo. Circa tertium vero est distinquendum, quod si incusatus pro causa sanguinis vel indisciplinae respondendo confessus fuerit, quod id fecerit, vim vi repellendo, id est notwer, et hoc secundum justiciam probaverit, tunc judex non habet jus ad arma. Talia euim sunt arma defensoria, quibus est licitum homini uti, sicut licet sibi a violentia se et sua defendere. Si autem alio modo responderit, et in causa ceciderit vel composuerit, tunc arma sunt judicis. Talia namque sunt arma offensoria, quorum usus est prohibitus, sicut et offensio est prohibita, vicem jure etiam naturali. Ad quartum vero responsum fuit, quod pro simplici evaginatione gladii cedunt judici decem grossi pragenses, de extractione videlicet LX et de intrusione similiter LX denarii parvuli. De evaginatione vero facta (in die forensi, et de balistae, vel arcus tensione, quocumque tempore) facta, aliquis convincitus solo jurato vel duobus testibus idoneis, et solum

de evngiuatione tali judici duo et civitati tria talenta solvat. De tensione vero arcus et ballistae judici tria talenta et civitati duo, vel manus ipsius perforetur cultello. Quicunque vero cum gladio praefixo tali aento inventus fuerit, vel per juratum seu duos testes idoneos de hoc accusatus fuerit, judici tres fertones grossorum et civitati fertonem solvet pro emenda. Lancea, cuspis, securis et caetera talia offendicula sub emenda consimili prohibentur. Item apud quemcumque infra ambitum civitatis cultellus longus, qui dicitur misericor, stecch-messer, cingulo suspensus deprehensus fuerit, dabit judici unum talentum, et assignabit cultellum, vel ipsius manus transfodiantur cultello. Qui vero cultellum talem in caliga latenter portaverit et furtive, judici det quinque talenta vel manum amittat. Arma vero reliqua, puta pancerium seu loricam, galeam, mitram ferream, thoraceam, cirothecas concathenatas et alia hujusmodi ad vulnerandum directe non ordinata judex a portantibus ad nocendum et offendendum recipere poterit pleno jure. Sed nulla poena bursalis est sibi et armis talibus persolvenda.

### **Capitulum de arrestatione.**

95. De arrestationibus pecorum, vestium, rerum propriarum, alienarum, concessarum, obligatarum, venditarum, depositarum, vectoribus commissarum et aliis in genere. (II 26<sup>a</sup> A 7. 1-2 B 8<sup>b</sup>. 3 C 5<sup>a</sup>. 9-11 D 24<sup>a</sup> I K 111<sup>a</sup>. 1.) Antiquum jus habet: quod arrestatio facta de equis, vaccis et rebus aliis tempore generalis guerrae sub vexillo seu banirio principis receptis cassa est et nulla. Item sententiatum est <sup>1)</sup>, in judicio civitatis quam tam ad loca diversa <sup>2)</sup>, quod res domini in potestate servi seu procuratoris <sup>3)</sup> pro debitibus servi, in quibus obligatur pro se ipso arrestari non possunt; pro debitibus autem domini possunt, et si talis arrestatio fiat in alieno judicio, et praecipue quod non subjacet juri Brunnensi <sup>4)</sup>, quanvis fiat per arrestatorem qui est residens cum dominio rerum in uno judicio vel est ejus concivis seu vicinus; tamen adhuc idem dominus cum arrestatore ad aliud judicium, ubi res arrestatae sunt, pro eis disbrigandis declinabit. Item si dominus res non per servum et procura-

---

<sup>1)</sup> A. discussum. <sup>2)</sup> HD. <sup>3)</sup> AK. <sup>4)</sup> A. jurisdictioni dominii arrestati, K. in quo dominus rerum residet.

torem, sed per aliquem sibi concivem vel vicinum, qui etiam proprias res habet ad locum alterius judicij transmittit: tunc si hoc notorium est vel coram probis viris de transmissione rerum et commissione protestationem prius fecit, quamvis apud eundem, qui res dicit, arrestentur pro debitis, in quibus idem prose ipso tenetur, vel pro aliquo delicto, quod committit, dato etiam, quod consiteatur res casdem suas esse, adhuc talis arrestatio domino rerum nullum praejudicium generabit.

Immerito enim dominus pro debitibus et culpis vel ex falsa confessione ductoris rerum rebus propriis fraudaretur. Item si debitor et creditor ambo sint in eodem judicio residentes et creditor contemto judge proprio debitorem, qui adparendum juri certus fuit, coram judge cum rebus, quas dicit occupet alieno, pro contemtu tali nisi causam rationabilem, quae ad hoc ipsum moveat, assignet, solvet emendam bursalem, quam jurati duxerint (sibi) imponendam; et non taxatur ad tantum vel ad tantum nominatum talis emenda, quia secundum juratorum conscientiam consideratis personis et causis occupationis potest aliter et aliter moderari.

96. Sententiatum <sup>1)</sup> est (Juratis in Crumplaw <sup>2)</sup>), quod equi, vestes et quaecumque res mobiles alicui <sup>3)</sup> concessae vel obligatae et per illum ulterius delusae, venditae, vel alio modo quocumque alienatae non apud illum, in cuius potestate inveniuntur, sunt arrestandae, sed ab illo sunt justicialiter repetendae, cui primo fuerint concessae, vel obligatae; et hoc intellige <sup>4)</sup>, de personis honestis et fide dignis, quia secus est, de personis levibus et suspectis, quae una cum rebus possunt occupari, donec fidem faciant, per quem modum res in eorum venerint potestatem.

97. De arrestationibus equorum, quantum ad exclamationem, mortem, furtum, spolium et alia. (II 26<sup>b</sup>, A 7. 3. B 9<sup>a</sup>. 1. C 5<sup>a</sup>. 11-15 D 24<sup>b</sup>. 1. K 111<sup>b</sup>. 1.) Qui equum errantem in campo vel alibi ceperit propter hoc tractu temporis cum obtinere non potest, quod in foro publico de ipso exclamationem voce praeconia fieri procurat. Item si equus arrestatus et pecunia taxatus, antequam dies judicij, in quo obtineri debet, venerit, moriatur: obtentor super cute equi cum testibus jurabit sicut in equo, si viveret, jurasset; si autem equum per furtum vel spolium amiserit, in cruce jurabit cum testibus, et si ipse vel aliquis testium in juramento ceciderit,

<sup>1)</sup> definitum K. <sup>2)</sup> D. <sup>3)</sup> aliter A. <sup>4)</sup> Intelligendum est.

tuxam solvet. Item si ille, cui equus arrestatur petit, debet sibi statim super cautionem fidejussoriam, quod cum suo vulgariter dicto geschol<sup>1)</sup> ad mansionem ducat, propriam assignari; et non oportet quod judex octo diebus eum apud se retineat, sicut in villis aliquibus fieri consuevit.

98. De arrestationibus equorum; ad quot possint devolvi et quanto judicio debeant obtineri. (II 27<sup>a</sup> A 7. 4. B 9<sup>a</sup> 2. C 5<sup>a</sup> 15. D 24<sup>b</sup> 2. K 111<sup>b</sup> 2.) Antiqua (civitatis)<sup>2)</sup> statuta dicunt sic: Si de equo arrestato ille qui occupatus est, suum statuerit venditorem, liber erit et sic de ceteris; propter hoc tamen quamvis ad tertium, quartum, quintum et sic deinceps, equus devolvi<sup>3)</sup> possit, semper in tertio judicio equus debet obtineri vel amitti ad parcendum partium laboribus et expensis. Item si arrestatus devolvit equum ad aliquem in terra residentem, illum per dies XIV in uno judicio uuos, ad alium, ille ad tertium, et idem ad quartum, et quartus ad quintum et sic per ordinem quotquot sunt, equum devolvere possunt et similiter fieri potest quovis tempore medio inter dicta tria judicia currente. Item si arrestatus termino praefixo illum ad quem equum devolvit quem non nominatim expressit et ad quem statuendum se voluntarie obligavit in persona propria non statuerit, nisi legitimum obstet impedimentum, arrestans sine juratis<sup>4)</sup> et testibus equum obtinet ipso jure.

99. Arrestatores equorum ignoti et eorum testes sunt divisim examinandi et de locis temporibus ceterisque circumstantiis diligenter interrogandi. (II 27<sup>a</sup> A 7. 5. B 9<sup>b</sup> 1. C 5<sup>b</sup> 1. D 25<sup>a</sup> 1. K 112<sup>a</sup> 1.)<sup>5)</sup> Cuidam homini fide digno (de Boz kowic z)<sup>6)</sup> equus arrestatus fuit. Qui cum XXti probis viris vicinis suis veniens, et equum per modum repulsionis obtinere volens, ex eo, quod unus testium in juramento ceciderit equum perdidit eundem pro quo dominus ejus Jessco de Boz kowic z juratis scripsit quod<sup>7)</sup> multum miraretur de hoc jure<sup>8)</sup>, quod ignotus veniens et equum arrestans, ipsum potius mettertius deberet obtinere, quam arrestatus cum fidelibus hominibus vicinis suis equum, quem in sua habet potestate, valeat conservare, cum tamen

<sup>1)</sup> geschub A. D. K. <sup>2)</sup> iurium A. <sup>3)</sup> volvi D. <sup>4)</sup> juramentis A. K. <sup>5)</sup> accidit quod K. <sup>6)</sup> H. D. <sup>7)</sup> D. H. dagegen A villa K illius hominis. <sup>8)</sup> jurando quacret A.

jus commune habeat, quod quilibet homo bonae famae melius honorem res et corpus suum potest defendere, quam sibi possint per alium decertari.

Eodem modo postea anno fere transacto <sup>1)</sup> quidam veniens de Gostel equum cuidam noto et honesto viro civi de Iglavia arrestans cum equum eundem mettertius obtinere vellet, arrestatus de Iglavia <sup>2)</sup> communitatem cujusdam villaे dictae Gozel adduxit, qui circa XXX existentes omnes exhibuerunt, se ad jurandum, quod dictus equus de cabella ad hunc in Gozel (sua) existente genitus esset, et quod per totam vitam suam a dicto cive Iglaviensi habitus fuisset, et de hoc etiam jurati de Iglavia <sup>3)</sup> suis litteris testabuntur scribentes similiter, quod mirarentur de jure, quo mettertius gaudere debet arrestans, quoscumque testes adduxerit contra superabundans et fide dignum testimonium arrestati. Ordinatione itaque inter arrestantem et arrestatum amicabili facta <sup>4)</sup>; jurati et (sapientes consilii) <sup>5)</sup> cribrantes, quod frequenter fraus et dolus circa arrestatores hujusmodi fieri <sup>6)</sup> consueverunt visum est eis rationabile esse, quod arrestans si non est bene notus secundum mansionem famam et vitam diligenter est examinandus et interrogandus de tempore, loco et aliis circumstantiis, quas judex et jurati pro experienda veritate viderint expedire. Et similiter testes sui divisim et secrete sunt peraudiendi et requirendi. Unde sint, utrum vicim arrestantis sint, et qualiter eis constet, quod equus arrestatus per ipsum habitus fuerit?

Utrum sibi sit genitus, ipsum emerit, vel ipsum latrocinio obtinuerit, sive furto? Ista enim sunt pro tanto facienda, quia si arrestans per testes arrestati repulsus fuerit, non solum equum perdet, imo cum duobus testibus suis tamquam perjuri linguis sunt privandi, si eas cum XV talentis non habuerint liberare, a qua poena arrestatus, quamvis repellendo cadat in testimonio, est exemptus.

100. De arrestationibus, quantum ad obtentorem, tempus et modum obtinendi. (H 27<sup>b</sup>. A 7. 6 B 10<sup>a</sup>. 1-3 C 5<sup>b</sup>. 2-5 D 25<sup>b</sup>. 1 K 112<sup>b</sup> 2.) In Chremisir sententiatur est, quod arrestans equum, quem arrestat, potest mettertius (probabilium virorum) <sup>7)</sup> obtinere; et si arrestatus vult

<sup>1)</sup> Item in alio casu B. <sup>2)</sup> praelibatus K. <sup>3)</sup> Illius loci R. <sup>4)</sup> cribratus est casus iste quod K. <sup>5)</sup> A. <sup>6)</sup> accidere D. <sup>7)</sup> K.

enim repellere, debet de hoc, antequam super equo juret, protestationem facere, qua ommissa si arrestans metterius super equo juraverit, testimonium suum ulterius repelliri non potest. Et similiter cum arrestans repulsionem arrestati vult repellere, debet de hoc protestari, antequam jurare incipiat, super cruce; et si volens repellere petit, induciae quatuordecim dierum sibi sunt dandae pro suis testibus statuendis. Item si arrestans ad arrestati seu judicis interrogationem de rata tanti vel tanti temporis coram judicio confessus fuerit, puta si dixerit, quod infra tres annos equum perdididerit, et arrestatus obliget se ad probandum, quod ante quatuordecim annos equum emerit et interim<sup>1)</sup> in sua potestate tenerit; talis probatio est probationi arrestantis rationabiliter<sup>2)</sup> praferenda. Et similiter si arrestans dixerit, se equum ante decem annos perdidisse et arrestatus per facti evidentiam videlicet per dentes poledrales (qui vulgariter Fullezend dicuntur)<sup>3)</sup> probaverit, equum non tanto tempore vivisse, arrestans equum perdet. Item equum obtinens frenum et equi babbata non obtinebit<sup>4)</sup> ipso jure.

101. De arrestatione equorum, quantum ad testes et testium repulsionem et modum jurandi.  
(II 28<sup>a</sup> A 7. 7 B 10<sup>a</sup>. 3 C 5<sup>b</sup>, 5-7 D 25<sup>b</sup>. 2 K 112<sup>b</sup>. 2.) Equum arrestatum obtinere debens, jurabit metterius in equo. Et si pars adversa ipsum voluerit repellere, jurabit in cruce cum XX testibus sibi assunitis, quod primus et sui testes false juraverint; et si tertio iterum adversa pars eosdem XX et unum voluerit repellere: pro quolibet statuet septem, hoc est, V solidos longorum sine tribus, qui similiter jurabunt in cruce, quod predictus XX<sup>ii</sup> et unus falsum praestiterint juramentum; et ulterius testium repulsio non procedit. Protestatio tamen semper debet repulsioni praemitti, (sicut in praecedenti sententia continetur).

102. De arrestationibus equorum concessorum.  
(II 28<sup>a</sup> A 7. 8 B 10<sup>a</sup>. 4 C 5<sup>b</sup>. 7 D 26<sup>a</sup>. 1 K. 113<sup>a</sup>. 1.) (Sententiatum est in concilio civitatis)<sup>5)</sup> si Petrus Paulo equum concessit et Andreas equum eundem a Paulo emit, talem equum Petrus de jure non poterit apud Andream arrestare, imo Paulum cui ipsum prima vice concessit, debet pro eo impetrare forma juris; secus autem esset fortassis si Paulus equum Petro subtraxisset.

<sup>1)</sup> secundum terminum K. <sup>2)</sup> rationaliter A. <sup>3)</sup> D. fehlt H. <sup>4)</sup> obtinet A. <sup>5)</sup> D. Discussum est A. Definitum est K.

**103. De arrestatione equi subtracti.** (H 28<sup>b</sup>. A 7. 9 B. 10<sup>a</sup>. 5 C 5<sup>b</sup>. 8 D 26<sup>a</sup>. 3 K 113<sup>a</sup>. 3.) Jurati de Chremisir scripserunt sic <sup>1)</sup>: Equo arrestato actor coram judice est conquestus quod equum eundem noctis tempore sibi subtractum velit justicialiter obtainere. Reus vero respondit, quod equum eundem tempore diurno emerit, de quo suum vellet statuere venditorem. Quod cum termino statuto non ficeret, sed tantum personaliter compareret; quaesitum est a judice, cum de crimine furti se non expurgaverit, nec venditorem equi statuerit, in qua sibi obnoxius sit emenda.

Super quo sententiatum fuit: ex quo actor non est conquaestus, quod reus equum sibi subtraxisset, et quod ipsum de furto vincere vellet, sed tantum dixit, quod equum sibi subtractum obtainere vellet: sufficit quod reus equo perditio, si tamen est homo bonae famae et prius honeste se conservavit, honorem suum simplici defendat juramento. Quo facto ab instantia judicis absolvetur, vel saltem pro juramento LXXII parvos denarios ratione emenda judicii praesentabit.

**104. De arrestationibus et confessionibus mutatis.** (H 28<sup>b</sup>. A 7. 10. B 10<sup>b</sup>. 1. C 5<sup>b</sup>. 9. D 26<sup>a</sup> 2. K 113<sup>a</sup> 3.) Cives de Wyssaw scripserunt sic: Equo nobiscum arrestato et usque ad quartum qui pro eo respondere deberet devoluto: idem inhabitatione sua coram probis viris et scabinis negavit equum esse suum; postea vero astans pro tribunali dixit per abrasuram seu tonsuram equum in tantum immutatum esse, quod eum prima viè non cognoverit, sed modo ex certis signis plenius instructus confiteatur eum suum esse. Quaeritur ergo ab adversario, utrum talis mutatio confessionis sibi non praejudicat in suo jure? Super quo diffinitum est, quod negatio extra judicium facta eidem non obstat, postea in judicio consitenti; ad hoc enim quod negatio noceat consitenti requiritur, quod sciens non per errorem facti confiteatur, alias enim confessio sibi non praejudicat, dummodo ante sententiam probaverit se errasse.

**105. De arrestationibus equorum quantum ad judicia diversa.** (H 28<sup>a</sup>. A. 7. 11. B 10<sup>b</sup>. 2. C 5<sup>b</sup>. 10. D 26<sup>b</sup>. 1. K 113<sup>b</sup> 1.) Cives de Chremisir scripserunt sic: Unus de nostris cuidam advenae equum vendidit, qui paulo post in oppido dicto Potenstat est occupatus. Veniens ergo advena ad nos nostrum convicem monuit, quod

<sup>1)</sup> D. fehlt in A. Nota casum K.

in Potenstat veniret et equum arrestatum disbrigaret. Quod facere recusans dixit: quia jus chremisirens habet, quod equus in domum suam praesentandus esset. Cui advena respondit; quia nequam hoc facere posset, ex eo, quod oppidum Potenstat uteretur jure Magdburgensium, in quo servaretur quod equus in loco, ubi arrestatur, tam diu servandus est, donec causa arrestationis finaliter fuerit decisa. Modo quia emitor, qui venditorem statuere non potest equum perdidit, quaeritur in ejus damnum eadem debeat perditio redundare. Super quo diffinitum est, quod in venditores; cum enim ille in Potenstat ubi viget jus Magdburgense et non chremisirens venire noluerit emitori ad solutionem valoris equi et ad interesse rationabiliter obligatur. Et hic collige, quod actor et reus consuetudines et jura locorum, in quibus litigant, observare debent, licet fortassis in aliis locis, ubi alia vigent jura, residentiam habeant corporalem: unde cum dicitur, quod actor forum rei sequi debet; ibi rei potest etiam exponi pro causa, ita quod sit genitus hujus nominis res, et non tantum hujus nominis reus, sicut patet in casu praesenti.

**106. De arrestationibus rerum sacerdotum.** (II 29. A 7. 12. B 10<sup>b</sup>. 3. C 5<sup>b</sup>. 11. D. 26<sup>b</sup>. 2. K 113<sup>b</sup>. 2.) Si sacerdos seu persona ordinata cum equis et famulis domum hospitis intraverit et expensas ibidem fecerit pro expensis talibus ab illo tempore factis hospes equos et res alias talis personae claudere et licite poterit arrestare. Sic sententiatum est in broda ungaricali.

**107. De arrestatione equi sacerdotis.** (H 29<sup>a</sup> A. 7. 13. B 10<sup>b</sup> 4. C. 5<sup>b</sup> 12. D 26<sup>b</sup> 3. K 113<sup>b</sup> 3.) Cives de Gayan scripserunt sic: Accidit apud nos in oppido nostro, quod ante curiam dotis plebano nostro a quodam homine arrestabatur de justitia una cabella, et sic actor (a nobis) super eo judicium, sicut in hujusmodi causis fieri assolet, petit: plebanus recusans dixit, quia non esset de foro saeculari sed potius de spirituali. Petimus igitur informari, si pro tali causa nostra vel ecclesiastico jure talis debeat respondere. Quibus resonsum fuit sic: Ex quo talis arrestatio est de cabella quae non est res ecclesiastica, ut puta calix, ornatus etc., plebanus tenetur super causa tali in jure civili respondere; plebanus enim ipse bene quidem est de foro spirituali, cabella autem, de qua est quaestio, ad forum pertinet seculare.

**108. De promisso absolutionis arrestationis et occupationis.** (II 29<sup>a</sup> A 7. 14. B 11<sup>a</sup> 1. C. D

27<sup>a</sup> 1. K 116<sup>a</sup> 1.) In Chremsir civis invitavit rusticum de villa in domum suam sub hoc promisso, si occuparetur in ci-vitate vellet ipsum absolvere sine damno. Rusticus autem ci-vitatem intrans et coram judice stulte loquens incidit in emen-dam. Quaeritur ergo utrum civis rusticum absolvere debeat tali ab emenda? Super quo sic sententiatur, quod occupatio in qua civis promiserit rusticum absolvere, intelligenda est quantum ad facta praeterita et non ad futura; quod autem postea coram judice rusticus ex culpa propria in emendam incidit hoc non est occupatio nec oportet quod civis ipsum ab ea redimat.

109. De arrestationibus, quibus non rei occu-pant pro reis in judiciis diversis. (H 29<sup>a</sup> A 7. 15. B 11<sup>a</sup> 2. C 5<sup>b</sup> 13. D 27<sup>a</sup> 2. K 114<sup>b</sup> 1.) Cum Jacobus de Zahars Paulo de Hostradicz <sup>1)</sup> medium marcam grossorum statuto non solveret termino, misit procuratorem suum in Zahars, qui Jacobum in causam trahens con-quaestus est vice domini sui pro media marca debiti et pro damnis et usuris, quae supervenissent eidem. Jacobus autem statim medium marcam numerans <sup>2)</sup> (procuratori) damna ne-gavit cum usuris dicens, quia juramento suo vellet obtinere promissum de dannis solvendis, se non fecisse. Recepta ergo media marca procurator de damnis verba non movens de Zahars recessit. Quod videns Jacobus judici et juratis dixit, quia paratus esset de damnis et aliis objectis Paulo secundum justitiam <sup>3)</sup> (respondere), petens quod hoc ipsum ei in Hostradicz suis litteris demandarent sicut et jam fecerunt. Paulus autem tacens, postea per aliquod septuagintas duos cives de Zahars, quos in Hostradicz repperit, arrestari per judicem procuravit. Qui promittentes termino eis assignato se velle statuere liberi sunt dimissi; postea vero jam termino transacto se non statuissent; iterum alii de Zahars in Hostradicz sunt occupati, qui equis et aliis eorum bonis in Hostradicz relictis, in Zahars redeuntes agunt in Jacobum et in alios prius occupatos, ut bona eorum ab occupatione in Hostradicz eis disbrigent et absolvant, et similiter primi occu-pati petiverunt, per Jacobum se justicialiter absolvi. Quae-ritur ergo, quis ultimos occupatos redimere teneatur? Super

<sup>1)</sup> Host. H. Hostyeradiez daselbst weiter unten. <sup>2)</sup> II fehlt. <sup>3)</sup> pro-videre H.

quo responsum est, quod magis facti quam juris est quaestio. Jacobus enim quia paratus fuit obtemperare, nec primos nec ultimos occupatos liberavit, sed Paulus de Hosteradicz quia et primos et ultimos arrestavit et indebite, ipsis ad omne interesse rationabiliter obligatur; debuit enim pro damnis et usuris a Jacobo in Zahars justitiam sibi fieri petivisse, quod quia facere contempsit, nimis (festine) ad arrestationem processit, justitia sibi prius in Zahars non denegata.

110. Quod bona rei possunt arrestari sicut reus. (H 29<sup>b</sup>. A 7. 16. B 11<sup>b</sup>. 1. C 5<sup>b</sup>. 14 D 27<sup>b</sup>. 1. K 115<sup>a</sup>. 1.) Cum euidam Brunensi civi anomae suae essent in Wischaw ratione debitorum occupatae; sententiatum fuit in maniloquio, quod sicut actor potest reum in omni judicio, in quo ipsum personaliter reperuerit pro debitibus arrestare: sic etiam potest res ejus occupare, et ad illud judicium debet reus venire, et res disbrigando, actoris querimoniis respondere.

111. In quo casu possit arrestari non reus pro reo. (H 29<sup>b</sup>. A 7. 17. B 11<sup>b</sup>. 1. C 5<sup>b</sup>. 15. D 27<sup>b</sup>. 2. K 115<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est juratis de Ravseins, quod licet actor forum rei sequatur, tamen pro justitia per actorem coram judice rei quaesita et sibi denegata homines ejusdem judicij in alio judicio de jure poterunt arrestari. Residuum istius materiae quaere infra de interdictis.

112. De arrestationibus equorum et rerum aliarum in theoloneo perditarum. (H 30<sup>a</sup>. A. 7. 18 B 11<sup>b</sup>. 2 C 5<sup>a</sup>. 16. D 27<sup>b</sup>. 3. K 115<sup>a</sup>. 3.) Ad loca diversa sententiatum est, si equus pro neglectione theolonei rite et rationabiliter per theoloniatorem receptus fuerit ad quacumque personam per modum venditionis vel alio justo titulo devenerit in illius potestate repertus judicialiter non poterit arrestari. Et eodem modo intelligatur de rebus aliis arrestandis, persona tamen equum et rem aliam ex dicta negligentia perdens per actorem cuius interest in causam trahi potest.

### **Ein vrtail vmb ein volleist an einem toten.**

Di von Eylaw schriben also, ein man quam fur vns vnd elagt auf einen andern man vmb ein volleist an einem toten seines kindes. des sprach ein ander gemeiner man der do peyflund du tuft ym gar recht er ist di weil da heym gewesen vnd hat geslafen des fragt der richter ab er es nicht vorpusen

sulde vnd ab auch iener zu seinem rechten komen möchte den man der volleist czeiht. Wir tun auch euch kunt zu dem andern mal das derselbe man clagt vmb ein vrhab an einem toden do nam der dem man schult gab einen fursprechen vnd derselbe fursprech der viel an der antwort do er fuld geantwort haben. Do fragt der richter mit we er vorfallen were. Do vber wart geteilt also vber das erst das der gemein man gesprochen hett er tet ym gar recht er wer di weil do heym gelegen vnd hett geslafen diselbe red sol er mit XII hallern vorpusSEN ader mit einem grossen phenning. Czu dem andern mal teil wir auch das der den man einen volleist czeiht an den toten wol zu seinem rechten mag komen vnd vmb di volleist sol antworten. Czu dem dritten mal teil wir euch sint dem maln vnd ir vns geschriben habt wye er gevallen sey. Do fragt wir die Scheppen wy er gevallen wer di vnderweysten vns er hett nur nicht gesprochen ader wy er mit Cristen namen genant ist doch er yn mit rechten namen genant hett. Daruber teil wir euch zu einem rechten etc. Ist das das er yn mit rechten namen hat genant vnd halt nicht darczu gesprochen hat ader wy er etc. er hat dennoch wol geantwort vnd ist mit keiner puz vorfallen.

113. De arrestationibus quantum ad formam in eis servandam. (H 30<sup>a</sup> A 7. 18. B. C. D 27<sup>b</sup> 4. K 115<sup>a</sup> 4.) Cum in <sup>1)</sup> Pisencz civis quidam equum, qui per mercatorem in domum suam ductus fuerat, arrestasset et jurati testarentur, quod idem equus per modum spolii noctis tempore infra spatium duorum mensium eo de Brunna in Pisencz transeunte sibi receptus fuerit. Jurati vero de Broda Ungaricali cum patentibus eorum literis pro mercatore ipsorum concive testimonium dicerent, quod dictum equum per tres annos sine qualibet impetitione habuisset et per Austriam, Moraviam, Bohemiam et alias hic inde libere duxisset: quaesitum est, utrum testimonium juratorum de Pisencz debeat literis patentibus juratorum de Broda ungaricali anteferri vel e converso. Super quo sententiatum est diffinitive: quod, quia praedicta quaestio contra debitam et consuetam formam arrestationis <sup>2)</sup> peccat, ideo ipsa cessante arrestatus suum venditorem vel datorem, qui vulgariter Geschol <sup>3)</sup> dicitur, statuere debet; ita, quod in ejusdem equi arrestatione prout consuevit fieri,

---

<sup>1)</sup> Bzenecz D. <sup>2)</sup> restat H. <sup>3)</sup> geschub D.

forma et modus debitus ordinis judicarii obseruentur et in rebus aliis forma consimilis est tenenda.

**114. Causae absentiae legitimae sunt quatuor.** (II 30<sup>a</sup> A 8. 1. B 11<sup>b</sup> 4. C 6<sup>a</sup> 2. D 28<sup>a</sup> 1. K 116<sup>b</sup> 2.) E Pisenecz<sup>1)</sup> juratis potentibus scriptum est, quod contra partem absentem, causa reipublicae, quae apud vulgares dicitur herrennot, vel causa infirmitatis non fictae, vel causa captivitatis, vel causa inundationis aquarum sententia de jure ferri non debet.

**115. Quod causae absentiae sunt infra triduum demonstrandae, nisi aliae causae intervinerint.** (II 30<sup>b</sup> A 8. 2. B 11<sup>b</sup> 4. C 6<sup>a</sup> 3. D 28<sup>a</sup> 2. K 116<sup>b</sup> 3.) Si pars termino praefixo ex impedimento legitimo judicio astare non possit, per triduum est inducianda; infra quod, si ad terminum veniendo iterum ex causa impediatur legitima, sicut est captivitas vel consimilis: sententia contra ipsam lata vigore carebit, quia impedimento cessante, si comparuerit, eo jure, quod primo termino sibi competisset, gaudere debet.

Item si pars ad allegandam absentiae legitimae causam nuntium miserit, qui in via capiatur, moriatur vel alias impediatur: propter hoc jus suum non perdit, sed postquam impedimentum nuntii cessaverit, vel pars ipsum perceperit, cum eo si vixerit, ad judicium properabit; et probata tam propria quam nuntii absentia legitima, pars talis agendo vel respondendo illum faciet actum, quem primo termino, si impedita non fuisset, facere debuerat, ipso jure. Sic instructi sunt jurati de Pisenecz<sup>2)</sup>.

**116. Quod captivitas et aquarum inundatio non possunt semper infra triduum demonstrari.** (II 30<sup>b</sup> A 9. 3. B 12<sup>a</sup> 1. C. D 28<sup>b</sup> 1. K 117<sup>a</sup> 1.) Termino juratis Wenceslao et Petro sabbatho post epiphaniam domini pro debitis praefixo, Wenceslaus comparens debitum ipsum obtinuit super Petrum absentem: postea vero circa mediā quadragesimā Petrus venit cum littera patenti, in qua scriebatur, quod praepeditus causa legitima, videlicet servitio domini sui Jeskonis de Boscovicz, scilicet judicis, in praedicto sabbatho non potuerit comparere. Quaeritur ergo, utrum propter hoc obtentio debiti per Wenceslaum facta sit cassanda? Et respondetur diffinitive, quod non, cum enim quatuor sint causae legitimae absentiae, praē-

<sup>1)</sup> Bzenecz D. <sup>2)</sup> in Hs. W. fehlt in den übrigen.

tendens infirmitatem vel impedimentum reipublicae seu dominii, ipso die termini praefixi, vel infra triduum continue secuturum per nuntium idoneum seu per literas suam absentiam allegabit; hic vero absens erat, quasi per quartale anni, captivitas autem, quac parti venienti ad terminum in via acciderit, et aquarum inundatio non possunt semper infra triduum per nuntios allegari; unde in causis hujusmodi pars absens gaudet termino longiori.

### **Capitulum de censibus.**

117. De censibus et jure emphiteotico quod vulgariter Purckrecht dicitur. (H 30<sup>b</sup> A 9. 1. B 12<sup>a</sup> 2. C 6<sup>a</sup> 4-7. D 28<sup>b</sup> 2 K 117<sup>a</sup>. 3.) Cives degostel per juratos in pleno consilio de modo circa jus emphiteoticum observando sunt taliter informati. Si homo censualis et emphiteota alicujus domini censem debito termino dare neglexerit: dominus ipsum per se vel per auxilium judicis, quod judex rogatus sibi exhibebit, in bonis, de quibus censuat impignorabit, et sine figura judicij de venditione vel obligatione pignoris, cum proborum virorum tamen testimonio, sibi de censu providebit. Si vero tribus annis continuis pignus in bonis non invenerit; protestatione singulis annis coram judicio de hoc facta, finito termino, de bonis ad ipsum ratione termini censum neglectorum hereditarie devolutis se intromittet. Potest etiam dominus census solus jurando melius censem obtinere, quam emphiteota, quod censem dederit, mettertius demonstrabit. Solutio etiam census aliorum debitorum solutionem antecedit.

118. De censibus perpetuis et temporalibus, quomodo praecedant debita. (H 31<sup>a</sup> A 9. 2. B 12<sup>a</sup> 3. C 6<sup>a</sup> 7-9 D 29<sup>a</sup> 1 K 117<sup>b</sup> 1.) Ad interrogationem juratorum de Lautsch sententiatum est in (consilio)<sup>1)</sup>, quod census emphiteoticus, quem rustici a prima villarum locatione dominis fundi solvunt, emendarum et omnium debitorum solutionem praecedit; est enim talis census inseparabiliter hereditatibus villarum annexus, ita, quod villa invitis eorum dominis, quorum sunt subsides, ab ipso se redimere non possunt. Census autem, qui in civitatibus super domibus vel aliis hereditatibus de novo per aliquem emitur, non praecedit illa debita,

<sup>1)</sup> fehlt II.

quae vendens hujusmodi censum, antequam censum venderet, tenebatur. Item primum censum, quem subsides censuant, dominus non obstante negatione subsidis et rustici, ex communi villarum, quae sub census solutione locantur ab initio, jure et consuetudine obtinet et demonstrat; sed ex eo, quod <sup>1)</sup> seu aliae hereditates civium non consueverunt a principio more villarum sub censu locari, si censualis censum negat, dominus census tenetur ipsum monstrare vel possessione, quia videlicet ipsum percepit tot vel tot annis vel testibus, vel literis, vel probatione alia fide digna.

119. Quod in civitate nec census esse perpetuus, nec in registrum civitatis scribi debet. (H 31<sup>a</sup>. A 9. 3. B 12<sup>b</sup> 1. C. 6<sup>a</sup> 9. D 29<sup>a</sup> 2. K 117<sup>b</sup> 2.) Quaedam monialis de claustro Herbergis <sup>2)</sup> proposuit de quodam cive, quod super domo sua comparuerit marcam perpetui census, super quo literas sub suo et unius jurati sigillo sibi dederit. Petivit ergo, quod in registrum civitatis dicta marca sibi et praedicto claustro pro censu perpetuo poneretur. Qui per plenum consilium fuit diffinitive responsum, quia dominus rex Johannes in favorem communilitatis civitati privilegium dedit, quod nullus in civitate censum perpetuum habeat, si dictus civis censum sponte voluerit solvere perpetuum, potest; in registrum autem civitatis in praejudicium dicti regalis privilegii dictus census scribi non debet, imo, si ipse civis vel quicunque ejus successor cum sex marcis ab ipso se voluerit redimere, monialis seu claustrum non obstantibus literis, quas praetendant ad talem recipiendam redemptionem, compelli debent justitia mediaute.

120. De censibus quantum ad impignoracionem. (H 31<sup>b</sup> A 9. 4. B. 12<sup>b</sup> 2. C 6<sup>a</sup> 10. D 29<sup>b</sup> 1. K 117<sup>b</sup> 3.) Cum Albertus <sup>3)</sup> abbas de Zahars Nicolao Enlendi civem Brunnensem <sup>4)</sup> pro marca census, quam de quodam molendino annuatim suo monasterio solvere debebat, in domo et in aliis bonis suis impignorare voluisse: sententiatum fuit in consilio, quod tantum in molendino, et in bonis ad molendinum spectantibus ipsam impignorare secundum justitiam teneretur; non est enim justum, si homo, plures habens hereditates distinctas, de una earum tantum censuat, quod pro censu hujusmodi non soluto in aliis, quas censuales non fecit impignorationes, aliqualiter patiatur.

<sup>1)</sup> dominus A. <sup>2)</sup> Herbordas D. Herburgis W. <sup>3)</sup> fehlt D. <sup>4)</sup> fehlt in H.

121. Quod pignora census debent recipi de propriis bonis hominis censualis, et quod non sunt obliganda sub usura. (II 31<sup>b</sup>. A 9. 5. B 12<sup>b</sup> 3. C 6<sup>a</sup> 11. D 29<sup>b</sup> 2. K 118<sup>a</sup> 1.) In Chremisir quidam canonicus pro censu non soluto in domo sibi censuali, pignus alterius hominis, quam sui censualis recipit, et sub usura obligari voluit. Quaeritur ergo, utrum hoc facere sibi liceat ipso jure? Et respondetur per juratos, quod utrumque, tamquam injustum, canonicus facere non tenetur. Unde dominus census debet censuali pignus recipere, quod sit suum proprium; quamvis enim extranci bona sua in hereditatibus, de quibus censuatur, repellant et conservent; tamen propter hoc pro censu neglecto, ad cuius solutionem ipsi non tenentur, non sunt impignorandi; sed si ratione conservationis bonorum hospiti hereditatis in aliquo obligantur, illud potest dominus census ab eis recipere, et suo censuali defalcare. Pignus etiam pro censu receptum, quamvis sit veri censualis, tamen sub usura obligari non debet; cum enim census, quia in sorte non defalcatur, damnum includat, inconveniens esset, si damnum gravius, sicut usuram, super se reciperet ipso jure. Et eodem modo intelligatur de pignore census dicti „Hoffzins“; potest tamen pignus, pro censu receptum, pro censu obligari, quamvis non sub usura; et hoc est intelligendum de censu praeципue, qui non est perpetuus, sed qui potest redimi jure civitatis.

122. De censibus, utrum possunt obligari. (II 32<sup>a</sup>, A 9. 6. B 12<sup>b</sup> 4. C 6<sup>a</sup> 12. D 30<sup>a</sup> 1. K 118<sup>a</sup> 2.) Census jure civitatis emptus, si pro rata temporis solvatur, semper redimi potest.

Item censem eundem habens, si invito censuali eum alteri obligaverit, obligatio non est efficax; potest enim per illum, qui censem debet, quando voluerit reemi, nullo habito respectu ad illum, cui census fuerat obligatus; nam etiam, si censualis quocumque tempore a census reemtione prohiberetur, pecuniam solutionis cum censu pro illa vice solvendo juratis ad consilium praesentabit, quem si dominus census assumere noluerit in usum possunt convertere civitatis.

123. De bonis censualibus nihil est alienandum. (II 32<sup>a</sup>. A 9. 7. B 13<sup>a</sup> 1. C 6<sup>a</sup> 13. D 30<sup>a</sup> 2. K 118<sup>b</sup> 1.) Sicut ea, quae in fraudem creditorum de bonis, pignori datis, alienata fuerint, omnino restituenda sunt: sicut de bonis censualibus illa, quae ad ipsa spectant, sive solo et fundo affixa, sive mobilia vel se moventia sint, nec debent nec possunt sine

domini census licentia ad aliquem ultimū transferri. Unde de balneis et braxatoriis patellae in fraudem census, ne capiantur pro pignore, exportari non possunt. Sie sententiatum est sivepius braxatoribus et balnearioribus civitatis.

124. De censu civitatis quantum ad redemtionem. (II 32<sup>a</sup>. A 9. 8. B. 13<sup>a</sup> 2. C 6<sup>a</sup> 14. D 30<sup>a</sup> 3. K 118<sup>b</sup> 2.) Sententiatum est in judicio civitatis, quod dominus census non potest cogere censualem, qui censuat sibi jure civitatis ad redimendum censem; quamvis etiam scriat, eum promptam habere pecuniam, nisi velit. Unde talis census solutio et ejus redemtio non arbitrio domini census, sed ipsius censualis plenarie residebit. Residuum vero istius materiae quaere inferius de sententiis, de emtione et venditione, et locatione emphiteosi et consimilibus.

### **Capitulum de citationibus.**

125. De citatione et vocatione in jus. (II 32<sup>a</sup> A 10. 1. B 13<sup>a</sup> 3. C. 6<sup>a</sup> 15. D 30<sup>a</sup> 3. K 119. 3.) Citatio et vocatio in jus, quae voce praeconis fieri solet, in causa pecuniali est peremptoria, ut parcatur laboribus partium et expensis. Item de citatione facta pro debitis infra fertonem juratus praecottestari potest pro fertone uno et non supra; sed ille, qui citatus esse dicitur, si in cruce jurare praesumserit, quod absens fuerit, vel quod citatio ad eum non pervenerit, citatio retrocedit, et sive bene juret, sive jurando ceciderit statim ad objecta respondebit. Item inqulinus nec hereditates, nec propriam in civitate habens residentiam, quolibet die pro debitis ad petitionem actoris sine citatione praecedente ad judicem, quod ad objecta respondeat, duci potest. Item non oportet, quod reus tantum citetur ad judicium, die immediate judicium praecedente; imo si actor timet, quod judicium effugiat, potest eum quolibet die per praeconem citare, quod sibi respondeat judicio post citationem proxime affecturo. Item si homo hereditatem suam alteri locavit, ad respondendum de tali hereditate non ille, qui eam convenit, sed qui hereditatis possessor est proprius, ad judicium est citandus, et si est absens et forte in alio loco residentiam habet, tunc per litteras judicis et juratorum, quod tali die compareat, et actori tali vel tali de hereditate sua ad objecta respondeat ad judicium est vocandus. Item si aliquis parvulos relinquens heredes,

in extremis suis, tam heredes quam eorum bona alicui viro sive digno, tamquam executori testamenti, et tutori committit, qui agere vult in eosdem heredes et bona, non ipsos, sed potius executorem et tutorem ad judicium citare debet. Item civis propriam habens residentiam, quamvis coram judicio per actorem inveniatur, tamen si illuc citatus non fuit, ad nullas querimonias respondebit.

126. Secundum diversitatem causae et judicii citatio praecedit proscriptionem. (H 32<sup>b</sup>. A 10. 2. B 13<sup>a</sup> 4. C 6<sup>a</sup> 21-24. D 30<sup>b</sup> 1. K 119<sup>b</sup> 1.) Injure civili triplex citatio debet praecedere proscriptionem, diversimode tamen; in judiciis enim simplicibus in tribus, XIV diebus tribus citatur vicibus proscriptus, nisi causa fuerit mortificationis, tunc enim eodem tempore citatio per verba ter praemittitur et statim eodem finito judicio, praescriptio subinfertur. In judiciis vero peremptoriis tribus diebus continua per ordinem proscriptus citatur, et die quarto proscriptione damnatur. Et si proscriptus post triam citationem judicio comparuerit, sine ulterioribus terminis et judiciis ad objecta per modum expurgationis, defensionis vel alium, qui sibi videbitur expedire, respondebit.

127. Non citetur tribus edictis, qui pacem violat factis. (H 32<sup>b</sup>. A 10. 3. B 13<sup>a</sup> 4. C 6<sup>a</sup> 24. D 30<sup>b</sup> 2. K 119<sup>b</sup> 2.) Sententiatum est rusticis in villa Droholez<sup>1)</sup>, quod quicunque pacem a judice sibi indictam, videntibus juratis, factis infrigerit et pro eo effugerit, statim primo judicio proscriptetur.

### **Capitulum de contractibus.**

128. De contractibus et conditionibus etc. interpositis puta fidejussoribus, obstagis dannorum et expensarum solutionibus, et promissis diversis. (H. 33<sup>a</sup>. A. 11. 1. B. 13<sup>b</sup> 3. C. 6<sup>a</sup> 25. D. 31<sup>a</sup> 1. K. 120<sup>b</sup> 3.) Hendlinus<sup>2)</sup> (Leonis)<sup>3)</sup> obligavit Petro Schmetzlino<sup>4)</sup> duas marcas<sup>5)</sup> census pro XI marcis<sup>6)</sup> sub ista conditione: Si in termino ad solutionem statuto eas non redimeret, Petrus ipsas venderet, sicut posset. Et si in vendi-

<sup>1)</sup> fehlt in H. A. K. <sup>2)</sup> D. Heinlinus. <sup>3)</sup> fehlt H. B. Heinricus A. Pono exemplum Petrus K. <sup>4)</sup> fehlt A. Paulo K. <sup>5)</sup> sexagenas K. <sup>6)</sup> certa pecunia K.

tione de XI marcis aliquid deficeret, hoc sibi refundere vellet. Adveniente itaque termino, cum Hendlinus dictas II marcas census non redimeret, Petrus ipsas tantum pro IX marcis vendidit, promittens emtori, quod ipsum secundum jus civitatis de eis pagare vellet, videlicet, quod quamlibet marciam pro VI marcis ad redimendam dare deberet. Modo quaerit Hendlinus primo, utrum emtor dictum censum, quem pro IX marcis emit, non teneatur sibi iterum revendere pro IX marcis; et secundo, utrum promissum, quod Petrus emtori fecit, cum sibi sit praecordiale, non debeat irritum revocari.

Petrus vero econtra quaerit, cum Hendlinus in obligatione dederit sibi potestatem vendendi censum, prout posset, utrum et venditio, quam fecit et promissum suum non debeat vigorem habere. Et insuper, utrum Hendlinus residuas duas marcas, quas de XI principalis debiti ex venditione census nondum perceperit, sibi non teneatur, adhuc superaddere pleno jure.

Super quibus sententiatum fuit, quod ex prima conditione, quam Hendlinus in obligatione interposuit, omnia praescripta quae sit sunt soluta. Ex ea namque tam venditio, quam promissum per Petrum facta rata stabunt, et Hendlinus adhuc in duabus marcis, quae de venditione census non cesserunt, sibi satisfacere tenetur, nec emtor remissius, quam pro XII marcis, nisi benevolenter voluerit, ad redimendum censum Hendlinus dabit. Cum enim causa lucri, sicut alia res emitur, dictum censum emerit; jure civitatis est in suo, velle levius quam secundum taxam ejusdem juris ipsum vendere, cui placet. Unde in obligationibus, fidejussionibus et promissis seu contractibus quibuscumque, si conditions intervenient, secundum eosdem, quia juri communi, quod restringunt, quodammodo derogant, diffinitivae sententiae sunt ferendae.

129. Qualiter in judicio sit agendum. (H 33<sup>b</sup>. A. 11. 2. B. 13<sup>b</sup> 2. C. 6<sup>b</sup> 1. D. 31<sup>a</sup> 2. K. 121<sup>b</sup> 1.) Diffinitum est per consilium civitatis: Si duo debitores promittunt uni creditori debitum aliquod in solidum, seu conjuncta manu, quod vulgariter dicitur mit gesammter hand<sup>1)</sup> talis creditor adveniente termino debet pro facienda solutione ambos monere, et si ipsum non pagaverint, potest uno absoluto ab alio totum debitum, cum ad ejus solutionem ratione conditionis importatae

---

<sup>1)</sup> A. B. K. fehlt in H. D.

per verbum in solidum uterque teneatur, integraliter extorquere. Idem tamen habet suum condebitorem, quem creditor liberum dimisit, pro parte cum contingente, vel illis modis specialiter, quibus creditor ipsum occupat, angariare, vel modis, qui communiter justitiae conformes fuerint, coartare.

130. Quantum ad obstagium in causa contractus. (II 33<sup>b</sup>. A 11. 3. B 14<sup>a</sup> 1. C 6<sup>b</sup> 2. D 31<sup>b</sup> 1. K 121<sup>a</sup> 1.) Cribratum est per consilium, quod jus antiquum et privilegia civitatis habent, quod nullus captivus duci debeat extra civitatem, quamvis civis, qui promisit creditor, quod obstagium in alio loco servare velit, et monitus per ipsum hoc non faciat; tamen eidem, quod de civitate ducatur, non est praesentandus, sed solum si justitiam petit talis creditor, ipsa in civitate est sibi facienda, et in aliis conditionibus promissorum specialium justitia et consuetudo civitatis similiter observentur.

131. Quantum ad expensas obstagii. (II 33<sup>b</sup>. A 11. 4. B 14<sup>a</sup> 2. C. D 31<sup>b</sup> 2. K 121<sup>b</sup> 1.) Cum Wenceslaus et Joannes Pragam ad praestandum obstagium, sicut in solidum promiserant, vocarentur: Wenceslaus coram iuratis in consilio petivit Joannem, quod una secum Pragam ascenderet. Qui respondit, quod ad parendum expensis obstagii partem debiti, eum contingenter, vellet breviter ordinare. Wenceslaus igitur hac interposita protestatione, quia promissum, suum monitiones importunas audire nolens, servare vellet, obstagium intravit, et cum per multos dies in ipso continuasset, quaesivit, utrum Joannes ratione promissi, per eos in solidum facti, expensas, quas in obstagio fecisset, in parte media solvere non deberet. Joannes vero quaequivit e contra, cum ipse in prima vocatione obstagium contradixerit, et interim monitiones verecundas sustinuerit, utrum de solutione dictarum expensarum non debeat supportari. Super quo diffinitum fuit, quod allegatione Joannis, cui promissum obviat, non obstante, petitio Wenceslai est tanquam rationabilis admittenda. Unde tanta est vis promissi importati per dictionem in solidum, quod Joannes expensas per Wenceslaum factas solvere tenetur medias ipso jure. Circa istam materiam diversi casus occurront, quorum diffinitiones quaeras inferius sub titulis: qui ad contractus multiplicies retorquentur.

132. Quantum ad fidejussores. (H 34<sup>a</sup>. A 11. 5. B 14<sup>a</sup> 3. C. D 32<sup>a</sup> 1. K 121.) Jurati de Broda scripserrunt sic: Tres nostri concives cuidam nobili in quibusdam debitibus obligati, cum eos ulterius sine cautione fidejussoria

inducire nollet, petiverunt quartum etiam nostrum concivem, quod pro eis in solidum fidejuberet. Quod cum fecisset, instantे termino solutionis nobilis praedictus, quia per debitores pagatus non fuerat principales, totum a fidejussore debitum repetivit, qui judicio, seu forma juris compulsus, debitum, quod cum magno danno nobili persolvit ab uno principalium debitorum, qui ad hoc sufficere sibi videbatur, ceteris duobus, quia rebus carent, liberis dimissis postulat iudicialiter et requirit. Allegans: quod ipse rogatus sincera cum fide pro tribus debitoribus in solidum se constituerit fidejussorem; utrum non justicialiter dicti tres similiter ad redimendum cum indemnem ab hujusmodi fidejussione in solidum teneantur. Ille vero, quem aliis solutis impedit, pro se sententiari petit: cum ipse mettertius eum absolvere et non in solidum redimere promisit: utrum per tertiam partem debiti non debeat a fidejussoris petitione rationabiliter liberari. Quibus sententiatum fuit sic: Cum fidejussor fide, quam pro alio interponit, abuti non debeat, tres debitores principales debent quartum eorum fidejussorem, dato etiam, quod in promisso fidejussionis nominatum hoc expresse non fuerit, in solidum redimere; sicut ipse fidejussorem se constituit in solidum pro eisdem. Unde ille, quem impedit, a toto ipsum absolvere tenetur debito justitia mediante; in hoc enim, quod fidejussor in solidum pro debitoribus promisit creditori, sufficienter intelligitur et implicatur, quod debitores ad redimendum ipsum sibi obligantur similiter in solidum vice versa. Quare obligatio facta contra eum, quia fraudem et dolum, quae nulli patrocinari debent, practendit, nullius valoris et firmitatis penitus est censenda.

Insuper cum dicti tres debitores in solvendo obligati fuerint in solidum creditoris: multum esset inconveniens, si non tenerentur in redimendo, similiter in solidum fidejussori.

### **Capitulum de commodatis.**

133. De concessionibus equorum, vestium et rerum mobilium in genere. (II 34<sup>b</sup>. A 12. 1. B 14<sup>a</sup> 4. C 6<sup>b</sup> 3.—8. D 32<sup>a</sup> 2. K 122<sup>a</sup> 1.) Commodatum est, alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuita facta concessio et non translatio; et dicitur signanter concessio et non translatio, quia is, qui commodat, dominium retinet et possessionem rei commodatae; et dicitur **commodatum**, quia commido utens datum; et ideo etiam dicitur **gratuite**, quia, si interveniat merces,

transit in locationem, vel in contractum innominatum. Ideo etiam dicitur ad aliquem usum, vel notetur differentia inter depositum et commodatum; depositum enim ad servandum datur sine usu ex bona fide. Unde et statim repeti potest; commodatum autem conceditur ad certum usum, qui, si exceditur, ille, qui rem commodatam recepit, defectum ejus emendabit; sicut verbi gratia: Concedo tibi equum, ut ad villam eum equites, tu vero equum ad bellum duces, si vero ibi occiditur, ad ejus solutionem obligaris; et consistit commodatum in rebus mobilibus, et sc̄ moventibus, et quandoque etiam in immobilibus; et debet homo rei sibi concessae diligentiores custodiam adhibere, quam rei propriæ, et debet rem talem commodanti remittere per nuntium certum et idoneum, si culpam noluerit sibi imputari; debet etiam res concessa restituī debito tempore, quia ex mora facta in restituendo homo cadit in culpam.

Item si res commodata perit eo modo, quo apud commodantem fuisset peritura, ex hoc ille, qui rem concessam recipit, non tenetur ad culpam. Ex istis possunt sumi diversae sententiae, quae frequenter quaeruntur de rebus concessis.

**134. De concessionibus equorum specialiter.** (H 34<sup>b</sup>. A 12. 2. B 14<sup>b</sup> 1. C 6<sup>b</sup> 8.—12. D 32<sup>b</sup> 1. K 122<sup>b</sup> 1.) **Sententiatum est in Chrisans:** Si homo alteri gratis equum concedit, et si talis in via equum eundem perdit, ipsum sibi solvet; debuit enim equum eundem diligentius, quam si suus fuisset proprius, custodisse. Si autem morte naturali moritur, dummodo per equitantem ultra modum voluntarie fatigatus non fuerit, non solvetur. Ex necessitate vero legitima, si equitans mortem equi procuravit, sicut si captivitatem vel vitae periculum evadere volens, equum ad cursum excessivum incitavit et coēgit, ipsum solvet. Debet tamen in dicta equorum concessione diligenter videri, si equus sanus vel infirmus et debilis, roganti concedatur vel ad ejus praeces equitetur; secundum hoc enim, si equus in via moritur, jurati super ferenda diffinitiva sententia, utrum sit solvendus vel non, mature cogitabunt. Item equus pro pretio conventus, si in via perditur, non solvetur; si autem ultra vires sine necessitate legitima per aliquem voluntarie fatigatus fuerit, ita, quod moriatur, tunc est solvendus. Item si unus alteri sub hoc pacto equum concedit, dicens: Equum meum concedo tibi per duos dies ad aratrum tuum sub hac conditione, quod per alios duos dies equum tuum ad aratrum meum mihi reconcedas; quidquid equo

sic concessio, dummodo nimis fatigatus non fuerit, acciderit, alter non solvet.

Unde secundum conditiones, quae talibus concessionibus interponuntur, est partibus de justitia providendum.

135. Res concessae perditae quandoque non solvuntur. (II 35<sup>a</sup>, A 12. 3. B 111<sup>b</sup> 2. C 6<sup>b</sup> 13—15. D 33<sup>a</sup> 1. K 122<sup>b</sup> 2.) Cum Petro <sup>1)</sup> (per fures) <sup>2)</sup> noctis tempore fabrica sua fracta, et res tam sue quam aliorum, pro quibus, ut eas solveret, impulsabatur, subtractae fuissent: sententiatum fuit in consilio: Si homo cum rebus propriis etiam rebus alienis per infortunium, sicut per furtum, incendium, naufragium vel aliud tale factum privatur, ad solutionem rerum hujusmodi justicialiter non tenetur; si autem per familiam propriam res tales sibi deportarentur, tunc secundum allegationes actoris et rei, jurati consideratis considerandis super diffinitive ferenda sententia diligentissime cogitabunt.

136. Concessum et depositum semper est reddendum. (II 35<sup>a</sup>. A 12. 4. B 111<sup>b</sup> 3. C 6<sup>b</sup> 15—18. D 33<sup>a</sup> 2. K 123<sup>a</sup> 1.) Ad loca plura sententiatum est, quod praetextu debiti restitutio commodati vel depositi non probabiliter recusatur. Unde nec qui commodatum vel depositum habet, ex mandato judicis pro debitibus, in quibus commodans vel deponens prius sibi tenebatur, apud se ipsum potest interdicere forma juris; gladium tamen commodans vel deponens, si vesanus fiat et interim gladium repeatat, ejus restitutio usque vesania transeat, differatur.

137. De concesso et commodato quantum ad nuntios. (II 35<sup>b</sup>. A 12. 5. B 14<sup>b</sup> 3. C 6<sup>b</sup> 18—21. D 33<sup>a</sup> 3. K 123<sup>a</sup> 2.) Famulum suum civis in Redisch ad judicem cuiusdam villae pro equo sibi concesso cum misisset, idemque famulus equo recepto recessisset: quae situm est cui perditus habetur. Super quo responsum est, sic distinguendo: Commodatam rem missus qui repeteret, cum recepisset, fugit; si dominus ei dare juss erat, domino perit, si commovendi causa miserat, ut referretur res commodata, illi cui commodata est, perit. Et quid, si mentitus est, dicens: sibi rem reddendam, cum tantum causa commonendi missus est? Respondetur, quod non nocet commodanti, quia ei imputandum est, qui cre-

<sup>1)</sup> Fridlino aurifabro D. <sup>2)</sup> D.

dulus fuit; unde commodatarius vel depositarius cautus esse debet, cui rem commodatam vel depositam assignet ad reportandam commodanti vel deponenti<sup>1)</sup>.

138. Res pluribus commodata perdita per plures solvetur. (II 35<sup>b</sup>. A 12. 6. B 15<sup>a</sup>, 1. C 6<sup>b</sup>. 21. D 33<sup>b</sup>. 1. K 123<sup>a</sup> 3.) Andreas institutor, cum pluribus institutoribus sociis suis picarium argenteum, ut ex eo biberent, concessisset, et idem picarium eis solatiantibus ammissum fuisset: Andreas ipsos ad consilium juratorum vocans, solutionem picarii ab eis petivit. Super quo jurati, cum concessorem (accomodantem) et socios suos, qui septerant numero, super dicenda veritate, quid de picarii perditione unicuique constaret, virtute juramenti corporaliter praestiti requisissent, et quilibet tam se, quam alios excusaret; talem sententiam protulerunt: Si inter bonae famae plures homines simul sedentes per unum vas expositum fuerit, ut omnes ex eo bibant, et tandem illud subtractum et ammissum fuerit, singuli que tam ille, qui vas concessit, quam alii, divisim jurati et interrogati respondeant, quod tam se, quam alios consocios innocentes credant: unus quisque omnem suam pensionem prae stabit, quod vas solvatur secundum acquam taxam.

139. De conductor et locato etc.<sup>2)</sup> (H 36<sup>a</sup>. A 12. 7. B 15<sup>a</sup> 2. C 6<sup>b</sup> 22—7<sup>a</sup> 3. D 33<sup>b</sup>. 2. K 124<sup>a</sup>. 3.) Domum inquilinus, vel commodum in domo hospitis conveniens, si ante terminum conventionis propriam domum emerit, propter hoc sine hospitis licentia, nisi censu pleno soluto a commodo con vento non exhibet; et similiter e converso, si hospes domum ante finem conventionis commodi inquilini vendiderit, propter hoc inquilinum a commodo, quod convenit, excludere non valebit, sic sententiatum est in consilio civitatis. Tamen si hospes inquilinum laedere voluerit, et ille vim vi repellendo vulneret hospitem: licitum est sibi, cum non sit cautum inimicos simul habitare, censu pro illo tempore debito soluto ad hospitem aliud se transferre. Item conductor domus cavere debet, ne colligat hospites inhonestos et suspectos, alioquin de consensu malorum et fautoria cum maleficiis punietur.

Item exusta civitate Cremsirensi cum hospes quidam ad aliam domum se transtulisset et inquilinus peteret, quod eum secum in eandem domum reciperet, sententiatum est, quod

<sup>1)</sup> fehlt D. H. A. <sup>2)</sup> II. sententia bona et utilis.

exusta domo conductio et locatio finitae sunt. Sed an ex locato teneatur conductor, ut pro rata temporis, quo fretus est cessionem, praestet? Quaeritur et respondetur justum esse eum teneri. Si quis servum docendum conduxit, et non alio modo, eumque secum peregre duxerit, ubi capiatur ab hostibus, vel perent; actio est ex locato. Si sutor puero, parum excedenti, cum forma calcii tam vehementer percusserit cervicem, ut ei oculus effoderetur: ex locato esse actionem, patri ejus placet; quamvis enim magistris levis castigatio concessa sit, tamen iste sutor hunc modum non tenuit. Si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint: ex locato tenetur, quia debuit ab hac re cavere. Et si pallium fullo permutaverit, et alii alterius dederit: ex locato actione tenebitur; etiam si ignarus fecerit; quia cum erraverit in suo facto, non est probabilis ignorantia.

### **Capitulum de confessionibus.**

140. Quae praejudicent et quae non. (II. 36<sup>a</sup>. A. 13. 1. B. 15<sup>a</sup> 3. C. 7<sup>a</sup>. 7-15. D. 34<sup>a</sup>. 1. K. 124<sup>b</sup>. 1.) De Heinrichs<sup>1)</sup> scripserrunt sic: Quidam hospes ad nos veniens unde concivibus nostris equum arrestavit, et cum coram judicio pro eodem equo placitare vellet, ad colloquium suum causa consilii nos petens coram nobis est confessus, quod a tempore, quo equum perdidisset, transiverunt duo anni: postea vero coram tribunali in quaerimonia sua tres annos nominaverat: quaeritur ergo, utrum talis mutatio confessionis non debeat sibi praejudicium generare. Super quo responsum est diffinitive: quod non obstante prima confessione, quam coram juratis in colloquio tanquam coram consiliariis, qui quidquid ibidem audiunt, fideliter apud se tenere et in palam deducere non debent, quid actor praedictus fecit: secunda confessio, quam coram tribunali fecit, vigorem habet, et secundum eam est sibi de justitia providendum. In causis tamen criminalibus, cuiusmodi sunt furta, homicidia et consimilia, si pars animo deliberato coram juratis in colloquio aliqua, quae ad rem pertinent, dicit, et postea coram tribunali hujusmodi negat: super hoc jurati, quod parti adversae debita fiat justitia, cum diligentia cogitatunt.

<sup>1)</sup> Henrico D. Heinris H.

Item praescriptus, quia confessus fuit coram tribunal, et talis confessio vigorem habuit, ergo per contrarium confessio extra judicium facta non est tantae virtutis, quod confessus sine juris cognitione aliqua condemnetur.

Item confessio facta pro se nulli valet, eo, quod nullus in propria causa poterit esse testis; contra se autem bene creditur confitenti. Item in confessione requiritur, quod aliquis confiteatur sponte et voluntarie et non coactus, quia quae vi metus tacta fuerint, rata utique non habentur. Unde confessio tempore tormentorum facta non condemnat aliquem, nisi post tormenta in confessione perseveret. Item requiritur, quod aliquis confiteatur de re certa, vel quantitate certa, alias non valet confessio, nam super re, vel quantitate incerta non est ferenda sententia diffinitiva.

Item ad interrogationem judicis et juratorum partes respondere tenentur, confitendo vel negando: super eo tamen, si petunt, et si modus interrogationis, vel causae cognitio hoc patiantur, est ipsis deliberatio concedenda.

**141.** Utrum confessio patris negantis filium privet, eum hereditaria portione ipso jure, vel non. (II. 36<sup>b</sup>. A. 13. 2. B. 15<sup>b</sup> 1. C. 7<sup>a</sup>. 15. D. 34<sup>b</sup>. 1. K. 125<sup>a</sup>. 1.) Brodae ungaricalis cives scripserunt sic: Unus de nostris, cum adhuc viveret, uxorem suam in adulterio rapiens, ipsam tribus vulneribus vulneravit, post eandem vero vulnerationem puerum adhuc superstes peperit, quem vir confessus est, non ex suo semine processisse. Super quam confessionem amici viri prae-notati jam praemortui ex una, judex civitatis ex altera, et dominium districtus ex parte tertia se fundantes, et puerum a bonis paternis mobilibus et immobilibus non paucis excludere volentes, quilibet dictorum, trium ad bona talia jus competere sibi dicit. Petimus ergo doceri, quo jure quisque in bonis gaudere beat supradictis.

Quibus responsum est sic. Quia pater vivens communibus quodammodo verbis forte ex solatio vel ex ira prolatis puerum non suum verum confitebatur; nec protestationem cum solemnitate juris de tali confessione simplici, ad quam vos pro testimonio memoriali vocaret et rogaret, fecit, nec ipsum puerum a portione hereditaria animo deliberato, cum compos rationis esset, exclusit: sententiamus diffinitive: quod talis puer in bonis per patrem relictis partem eum de jure contingentem debet habere, et hereditarie possidere. Cum enim propriam allegans turpitudinem, sicut in dictis verbis pater fecit, non sit audiendus;

cum etiam ille sit haeres, quem nuptiae demonstrant, et praenotatus pater cum muliere praescripta, sicut cum legitima cohabitaverit, et eam manifeste tamquam uxorem possederit, nec eam velut in adulterio deprehensam et sufficienter secundum juris canonici processus de hoc convictam a thoro suo repudiaverit, et tandem dictum puerum eam ab alio concepisse et generasse probaverit: idem puer haeres et de matrimonio natus legitimo, praesertim cum tantum de manifestis homines judicare habeant, est censendus.

### **Capitulum de curatoribus et tutoribus.**

**142. De curatoribus et tutoribus pupillorum seu furiosorum et eorum bonis.** (H. 37<sup>a</sup>. A. 14. 1. B. 16<sup>a</sup>. 1. C. 7<sup>a</sup>. 16. D. 34<sup>b</sup>. 2. K. 125<sup>b</sup>. 1.) Mortuo judice in Radisch cum pueris suis juvenibus bona reliquisset hereditaria et mobilia, nec aliquem praefecisset eis provisorem: quae situm est a juratis; quis bona talia debeat gubernare. Quibus responsum fuit sic: Qui ultimas dispositiones relinquunt, quibus nullum dispensatorem proposuit: illorum loco judex et jurati curatorem seu tutorem fide dignum cum legitima fidejussione, si alias certi non sunt, rebus talibus et juvenibus dare debent, qui res gubernent, donec personae, quibus legatae sunt, perfectam veniant ad aetatem. Et similiter est faciendum, si aliquis bona relinquens et heredes minores amnis decesserit intestatus.

**143. Curatores et tutores non semper sunt propinquissimi consanguinei.** (H. 37<sup>a</sup>. A. 14. 2. B. 16<sup>a</sup>. 1. C. 7<sup>a</sup>. 17. D. 35<sup>a</sup>. 1. K. 125<sup>b</sup>. 2.) Si affines linea consanguinitatis plus distantes petunt sibi orphans assignari ista facta fidejussoria cautione, quod annuatim velint eis de bonis ipsorum certum lucrum residuare et insimul reponere, potius sunt eis committendi quam consanguineis propinquieribus, qui talem cautionem facere contradicunt. (Sic instructi rustici de Grabicz.<sup>1)</sup>

**144. Cura seu tutela pupillorum non est creditoribus committenda.** (H. 37<sup>b</sup>. A. 14. 3. B. 16<sup>a</sup>. 2. C. 7<sup>a</sup>. 18—21. D. 35<sup>a</sup>. 2. K. 125<sup>b</sup>. 3.) Cum in Chrisans mortuo quodam rustico divite alter, qui dicebat eundem sibi obligatum in debitis remansisse; curam honorum et puerorum

sibi committi cum instantia rogaret, sententiatum fuit, quod talis rogatio tamquam suspecta non deberet admitti; non est enim cautum, quod aliquis eorum, qui habet obligatas sibi res defuncti, ad gubernationem et curationem bonorum et liberorum defuncti admittatur. Et etiam, si quis tacuerit in principio de obligatione, et factus fuerit curator bonorum et juvenum, merito cadet de actione, quam postea adversus pupillos et minorres annorum movebit. Item non est necessitas curatoribus minorum pecunias foenerare, sed caute reponere et servare; nam melius est eis in antiquis tutum manere, quam usuras appetendo etiam ab antiqua pecunia cadere: potest tamen curator alias negotiari, si tamen pater pupilli consueverit negotiari.

**145. Curatores et tutores etiam mulieres accusare possunt.** (H 37<sup>b</sup>. A 14. 4. B 16<sup>a</sup>. 3. C 7<sup>a</sup>. 22. D 35<sup>a</sup>. 3. K 126<sup>a</sup>. 1.) In Gostel <sup>1)</sup> curatores pupillorum et bonorum petiverunt juratos, quod mulieres quasdam, quae frequenter de negligentia, et inutili dispensatione bonorum eorum fideicommissorum ipsos arguerent, silere facerent et corrigerent. Quaesiverunt ergo jurati, utrum talis petitio sit justa, vel utrum ad verba mulierum inquirere debeant de negligentia curatorum. Super quo diffinitum fuit; quod sicut jurati diligunt, quod post eorum mortem de bonis et eorum pueris bene fiat; sic cum diligentia debent praemortuorum honis et pueris providere: unde ad curam vel tutelam suspectam accusandam debent admitti etiam mulieres, quae pietatis necessitudine ductae ad hoc procedunt, sicut mater, avia, soror vel propinqua, et etiam, si quac alia mulier sit, cuius judex et jurati magnam pietatem intellexerint, admittent eam ad accusandum.

**146. Curatores potius debent esse seculares quam clericci.** (H 37<sup>b</sup>. A 14. 5. B 16<sup>b</sup>. 1. C 7<sup>b</sup>. 1. D 35<sup>b</sup>. 1. K 126<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est in Chremisir, quod de pueris et bonis uxoris et mariti, cum intestati decadunt, frater uxoris laicus existens, dummodo non sit infamis, seu bonorum dissipator, potius nomine provisoris se intromittit, quam frater mariti, religiosus sacerdos vel in sacris existens ordinibus constitutus: multa sunt enim, quae in judicio seculari talibus pueris nunc de jure, nunc de facto, et quandoque casualiter objiciuntur et adveniunt; ad quae disbriganda

<sup>1)</sup> Kostel K.

potius laicus, quam sacerdos, qui cura negotiorum sacerularium postposita, spirituali subjectus est, judicio se intromittit. Debet tamen dictus laicus sacerdotem de hoc certificare, quod bona talia inutiliter non consumat, sed ipsa in usus convertat puerorum suae fidei commissorum.

147. Curatores potius sint consanguinei patris, quam matris. (H 38<sup>a</sup>. A 14. 7. B 16<sup>b</sup>. 3. C 7<sup>b</sup>. 4—6. D 35<sup>b</sup>. 3. K 126<sup>b</sup>. 2.) Civibus de Crumlauf<sup>1</sup>) sententiatum est: Cum pater a quo semen fluit, principium generationis actionum sit, ejus consanguinei propinquiores judicantur esse heredibus, quam consanguinei matris; unde et ipsi intestato patre mortuo, si mater dilapidatrix bonorum fuerit, vel statum viduitatis mutaverit de heredibus et eorum portione, haec tamen matri et ejus consanguineis facta canticione, quod usque ad annos discretionis pervenerint, (ipsis) eam regant, conservent, et sicut eorum essent propria, quantum valent, meliorem faciant: tamquam tutores se possunt intromittere pleno jure.

148. Curatores debent rationem de bonis heredum reddere. (H 38<sup>a</sup>. A 14. 6. B 16<sup>b</sup>. 2. C 7<sup>b</sup>. 2—4. D 35<sup>b</sup>. 2. K 126<sup>b</sup>. 1.) Provisores heredum, sive frater senior sit provisor fratrum et sororum juniorum, sive alter consanguineus vel extraneus curam provisionis gerat, debent heredibus, postquam ad annos discretionis pervenerint, rationem de commissis, perceptis et distributis reddere; et quidquid non probaverint furto, spolio, vel alio infortunio sine eorum negligencia, de bonis talibus deperiisse, hoc de bonis propriis solvere tenebuntur; expensas autem necessarias, si quas in factis dictorum bonorum expediendis fecerint, de bonis eisdem recipient pleno jure.

### **Capitulum de damnis.**

149. De damnis in genere, pro quibus de jure quis agere potest, ut infra continetur. (H 38<sup>a</sup>. A 15. 1. B 16<sup>b</sup>. 4. C. D 36<sup>a</sup>. 1. K 127<sup>a</sup>. 1.) De Hainrichs<sup>2</sup>) scripserunt sic: Petrus conquaeritur de Paulo, quod dolium quoddam sibi concesserit, quod quia tempore decoctionis olerum sibi non restituit, ex hoc damnum in oleribus, quod ad medium florenum estimat, percepit. Et quaeritur, utrum de jure cum

<sup>1)</sup> Crumnaud D. <sup>2)</sup> Hainris H. Heinrico D.

dolio dictum sibi damnum Paulus non debeat sibi refarcire. Paulus vero confessus de dolio petivit sibi justicialiter dictari, utrum pro danno teneatur sibi respondere: de quo tamquam juris ignari petimus informari. Et dato, quod non teneatur respondere, tunc secundo petimus edoceri, utrum simpliciter pro nullo, vel saltem, si aliquod sit damnum, pro quo ad motam quaerimoniam actoris reus debeat secundum justitiam respondere. Quibus ad primum responsum fuit, quod, quia Petrus simpliciter conquaestus est de danno non interseredo, quod Paulus sibi damnum promiserit refundere, restituto dolio, non tenetur pro danno respondere. Lucrum enim et damnum laborantibus in temporalibus sicut casus fortuiti consueverunt pervenire, de quibus velut de futuris contingentibus, haberi non poterit certitudo.

Ad secundum vero, per quod cum generi derogetur, per speciem quodam modo restringitur, primum responsum fuit: quod in duobus casibus praecipue debet actori pro danno justitia non negari, et reus ad ejus quaerimonias respondere; quorum primus est, pro danno hereditario, et secundus pro danno promisso, hoc est vulgariter dicendo: „um Erbschaden vnd vñ gelobten Schaden.“ Unde si actor conquaeritur, quod per depopulationem factam in agris suis, quantum ad tot sulcos vel tot jugera aliquis annuatim damnificaverit, cum in tot vel tot modiis annonae, quas percipisset, si dictos sulcos vel jugera suis seminibus seminasset; vel si conquaeritur, quod vicinus imponendo fundamentum pro structura domus suaee limites areae propriae excedat et cespites sui territorii rumpat, vel parietem specialem pro sua domo sicut ipse sua pecunia construxerit facere contradicat, stillicidia tecti sui per (vel) canale proprium ad stratam et plateam publicam educere non curet, de quo damnum percipiat: in tali casu et simili debet conquaerenti justitia exhiberi et reus suae quaerimoniae respondere. Similiter pro danno promisso, sicut exempli gratia: Heinricus accommodat Conrado pecuniam sub hac conditione, quod, si in tali sibi eam non solvat termino, conquirat ipsam sub danno, quod damnum Conradus promittit sibi solvere, sicut et pecuniam principalem: in hoc casu et simili Conradus conventus judicio per Heinricum debet ejus quaerimonias pro danno respondere, et iudex sibi pro eo de justitia providere. In utroque tamen casu praedicto per actorem, antequam reum trahat in causam, talis protestatio, publicatio vel cautela est facienda: in primo enim danno here-

ditarie debet judicem et juratos ad videndum damnum, de quo vult conquaeri, ad hereditatem ducere, et ipsis qualiter dammificetur ad oculum demonstrare; in secundo vero, cum penam sub damno super illum, qui ipsum sibi refundere promisit damnum, vult recipere, debet privilegiis, testibus vel aliis documentis legitimis coram judge et juratis ostendere, quod termini solutionis transiverint, et protestationem facere, quod tali die quam jurati in memoria habebunt, vel scriptor juratus notabit, apud talem vel talem, quem nominabit, sub tanta vel tanta quantitate damni, quam etiam nominabit, debitum suum receperit. Iстis enim factis cautelis super damno coram judicio in quaerimonia proposito judex tenetur conquaerentibus justitiae complementum exhibere: et hoc est, quod vulgares dicunt: in theutunico: „Man richt, nicht um Schaden, den sunder vmb Erbschaden vnd vñ gelobten Schaden, der do bewart ist.“

150. De damnis hereditariis taxandis. (H 39<sup>a</sup>. A 15. 2. B 17<sup>a</sup>. 1. C 7<sup>b</sup>. 7—11. D 37<sup>a</sup>. 1. K 127<sup>b</sup>. 1.) Jurati de Chremsir<sup>1)</sup> scripserunt sic: Quidam coram nobis aliquamdiu pro interstitiis domorum vulgariter dictis Rain vel reychen<sup>2)</sup> judicio contenderunt, quorum unus eadem interstitia domui suae jure attingentia, evincens danina, quae occasione hujusmodi perceperat, ab altero repetivit, et cum terminum eis finalem de dictis placitandi dannis assignaremus; actor pro se fratrem suum, reus vero sororium suum eorum procuratores constituerunt, protestantes ambo, si dicto personaliter non possent adesse termino, quod quid per procuratores eosdem nomine eorum fieret, contra hoc venire nollent. Ipsi vero procuratores praescripti judicio praesentes dictum procurationis officium se velle recipere nec recusarunt, nec verhotenus expresserunt. Instante tandem termino actor comparuit, reus vero nuntium pro se misit, qui proposuit, eum infirmitatis causa venire non posse; quo auditio actor dixit: Ex quo reus sororium suum responsalem et procuratorem pro se constituit, qui personaliter hic adest; peto, ut ille meis compellatur quaerimoniis respondere. Qui sororius haec verba protulit: Nihil volo sororio meo in judicio perdere vel lucrari nec procuratoris officium gerere sni loco. Actor ergo replicauit, cum reus non per se, nec per procuratorem, cui vices suas commiserat in termino

<sup>1)</sup> Chrisans D. <sup>2)</sup> meze K.

peremtorio jus suum defenderet, petivit ipsum sibi ad damna et ad interesse sententialiter condemnari. Quare petimus et infra. Super quo sententiatum est: Ex quo sororum reus suum causae procuratorem constituit, et idem tacendo procuratoris officium assumserit; verba quae postea alio judicio se nolle perdere, vel lucrari replicavit nullum effectum, cum absente reo ea protulerit, sicut sunt sortita. Unde actor intentum suum, quod de refusione damni proposuit, est justitialiter consecutus. Et hic collige, quod tacens consentire videtur, et praecipue coram judicio contestato, et hoc patet in actore conquacente et reo non respondente, qui ex taciturnitate sua jure suo privatur: secus autem est, si pars ad interrogationem judicis quandoque non respondeat, sed taceat; multum enim interest inter partem et judicem. Tamen si juratus pro experienda veritate visum fuerit expedire, pars ad interrogationem judicis affirmando vel negando publice respondebit. Notandum etiam, quod damna talia, quae dicuntur hereditaria, ex hoc, quod fiunt in hereditatibus, jurati de bono et aequo (ex quo), sicut eis visum fuerit, habent taxare juramento, nihilominus, si necessarium fuerit ab ipso obtentore praestito corporali, quod tamen juramentum taxationi per juratos facienda non obstabit. Is damnum dat, qui jubet dare, ut, si pater vel dominus filiis vel servis praecipit, tenetur, et obediens excusatur, sed si praecipiens nullum jus imperandi habet, uterque tenetur; ejus vero nulla est culpa, cui parere necesse sit. Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet; et pone exemplum in judice, qui dedit damnum alicui contumaci, non tamen ideo tenetur.

**151. De damni hereditarii actione.** (II. 39<sup>b</sup>. A. 15. 3. D. 37<sup>b</sup>. 1. K. 128<sup>b</sup>. 1.) Haec actio cum rei persecutionem habet, et heredi et in heredem perpetuo dabitur, et non solum hospiti domus, sed inquilinis et inquinilorum uxoribus, si domus vicina ruinosa fuerit vel parietem habeat inclinatum et ventosum, cavendum est etiam illis, qui cum eis morantur. Item si quis muniat viam, sive quid aliud in via publica faciat, cautio locum habet, ne per hoc damnum privatum contingat: de cacteris autem locis publicis nihil specialiter cavitur. Item quidquid emtorem et venditorem de damnis hereditatum exceptum et tractatum fuerit, stabit, et secundum hoc quaestione suborta est diffinitiva sententia proferenda. Cetera de talibus damnis quaere infra sub titulis de aedificiis et supra de conducto et locato.

**152. De damnis promissis in specie.** (II. 40<sup>a</sup>. A. 15. 4. B. 17<sup>b</sup>. 1. C. 7<sup>b</sup>. 11. D. 37<sup>b</sup>. 2. K. 128<sup>b</sup>. 2.) Quidam civis Brunnensis promisit euidem civi Pragensi, si in termino praefixo debitum sibi non solveret, omne domum, quod ex hoc perciperet, sibi refundere velle. Transacto itaque termino solutione neglecta, Pragensis famulum summi Brunnam misit, qui cum in eadem via de curru cadens pedem fregisset: quae- situm est a Pragensi, utrum tale damnum, quod famulo suo in pedis fractione acciderit, nou teneatur sibi Brunnensi se- cundum justitiam resarcire. Super quo diffinitum fuit, quod damnum, quod debitor promisit, creditori ratione solutionis debiti intelligendum est principaliter de damno pecuniali, et non de damno seu periculo vel infortunio corporis et personae. Unde ad satisfactionem damni, quod famulo civis Pragensis in fractione pedis casu contingit, Brunnensis non obligatur; sicut enim in confessione generali non veniunt, quae aliquis in specie non esset verisimiliter concessurus: sic intelligendum est de promissis suo modo. Ex hoc patet, quod cum dicitur omne damnum, illud omne tantum ad pecuniae damnum retorquetur, nisi fortassis debitor ultra hoc ad aliqua specialia se nominaret obligaret.

**153. De damnis non promissis et tamen sol- vendis.** (II. 40<sup>a</sup>. A. 15. 5. B. 17<sup>b</sup>. 2. C. 7<sup>b</sup>. 12. D. 38<sup>a</sup>. 1. K. 128<sup>b</sup>. 3.) Si debitor principalis termino statuto fidejussorem, qui ex fide pro eo spopondit, a fidejussione non redimens effugerit, et fidejussor alias solvere non habens, necessitate compulsus, inevitabili super domo vel hereditate, quam habet, nec ita su- bito, sicut creditor debitum exigit, vendere potest, debitum ipsum sub damno conquirit: ad solutionem talis damni debitor principalis quamvis hoc non promiserit, obligabitur ipso jure; ex hoc enim quod fidejussor fide, quam pro alio interponit, abuti non debet, promissum principalis debiti promissum damni accessorii in se implicat et includit. (Sic sententiatum est in consilio civitatis. <sup>1)</sup>)

**154. De damnis contingentibus ex negligentia hominis.** (II. 40<sup>a</sup>. A. 15. 6. B. 18<sup>a</sup>. 1. C. 7<sup>b</sup>. 13. D. 38<sup>a</sup>. 2. K. 129<sup>a</sup> 1.) Hospiti de Ligniez, qui quatuor vasa vini apud citem quendam emerat sententiatum est sic: Quidquid damni in vase, quamdiu in cellario domini vini super lignis dictis

---

<sup>1)</sup> Fehlt D. H.

Kanthner jacuerit, acciderit illud dominus vasis sustinebit. Postquam vero Schröter<sup>1)</sup> (Lisnik<sup>2)</sup>) vasi tractor de vase per scalas suas se intromiserit, damnum in vase per negligentiam laboris sui contingens ipse solvet: et similiter vector, cum vas curui suo fuerit impositum, damnum per negligentiam vecturae suae in vase factum ipsum secundum justitiam patietur.

155. De damnis aliis. (H. 40<sup>b</sup>. A. 15. 7. B. 18<sup>a</sup> 1. D. 38<sup>a</sup> 3. K. 129<sup>a</sup> 2.) Cum civis de Posonio<sup>3)</sup> duo vasa vini, quae Brunnam duxerit, vendere non posset, vectorem cum duobus curribus pro eisdem Pragam ducendis vasis convenit, qui vasis ipsis in curribus impositis de loco primo currus ducens et statim unum pervertens vinum effudit. Dominus ergo vini amborum curruum equos occupans quaesivit pro se justitiariter sententiari: utrum de equorum talium valore et rerum aliarum vectoris, quem pro vinis suis Pragam ducendis convenerat, non debeat sibi vas vini perversum et effusum persolvi. Quidam autem villanus de Gurein<sup>4)</sup>, quem dictus civis de Pozonio pro vectore non convenerat, de equis currus modo perversi se intromittens ipsosque cum curru suos esse asserens, petivit pro se sententiam juris dictari: utrum equos eosdem cum curru, quos tantum illi, qui pro vectore conventus fuerat, concessisset, non posset suo juramento et fide digno vicinorum suorum testimonio obtainere. Super quo diffinitum fuit: Quod civis praedictus equos amborum curruum, quibus vector, quem convenerat vina sua superposnit secundum justitiam occupavit, eundem tamen vectorem villanus de Gurein pro equis et curru sibi concessis debet impetrare forma juris.

Advertendum vero est, si rusticus de Gurein dixisset per vectorem conventum currum et equos sibi fuisse subtractos, tunc secundum hoc jurati deliberasse mature pro diffinitiva ferenda sententia debuissent.

156. De damnis contingentibus per ignem vel casum fortuitum. (H. 40<sup>b</sup>. A. 15. 8. B. 18<sup>a</sup>. 3. D. 38<sup>b</sup>. I. K. 129<sup>b</sup>. 1.) Rusticus in villa Budesspicz cum tres filias reliquisset, unam viduam et duas virgines, quarum unicuique de domo et aliis bonis hereditariis per ipsum dimissis quinque marcis grossorum dari statim eo mortuo deputavit: accidit, quod vidua sororibus virginibus suas portiones dare recusavit, sed lite cum eis incipiens ipsas judicialiter per diversas dilationes

<sup>1)</sup> K. E. <sup>2)</sup> H. <sup>3)</sup> Presburga A. D. B. <sup>4)</sup> Suryn D.

tam diu vexavit, quod domo cremata et aliis bonis in valore tautum minoratis, XV marcis de ipsis haberi nullatenus potuerunt. Quaerit ergo vidua: utrum talis defectus et damnum, quae casu fortuito evenerunt, non debeant sicut sibi sic et sororibus suis virginibus in earum portionibus aequaliter deperire. E contra vero quaerunt virgines: cum vidua contra ordinationem patris venerit et ipsas indebitate tanto tempore judicio occupaverit, quod interim dicta bona taliter, ut praemittitur, defecerunt: utrum talis defectus non debeat solum viduae in sua decrescere portione; cum etiam, si bona praefata medio tempore multum fuisserent meliorata, non plus eis tribueret, quam ex deputatione paterna percipere tenerentur. Super quo diffinitum fuit: Quod allegatione viduae cessante illud, quod quaerunt et petunt virgines, debet fieri tamquam justitiae consonum et admitti.

156<sup>b</sup>. De casibus fortuitis, vini perversione in praejudicium alicujus (D. 38<sup>b</sup>). Sententiatum est in Eywaneziez, quod vector ille, qui vas vini pervertens effundit, tenetur domino vini solvere id ipsum vinum, prout ipse dominus vini apud vos in loco emptionis comparavit et non prout dominus vult extimare. Et dominus tenetur vectori dare praetium de quolibet miliari pro rata juxta conventionem inter eos celebratam.

157. Ad idem de casibus fortuitis aliis. (H. 41<sup>a</sup>. A. 15. 9. B. 18<sup>b</sup>. 1. C 7<sup>b</sup>. 14-17. D. 39<sup>a</sup>. 2. K. 129<sup>b</sup>. 2.) Ad interrogationem mercatorum et vectorum saepius sententiatum est. Postquam vasi tractor in scalis <sup>1)</sup> et funibus seu vector in currus vas habuerit, si debile fuerit et frangatur, vel alio modo sine tamen negligentia et improvidentia vasi tractoris aut vectoris stillaverit, et effundatur, damnum tale vasis dominus sustinebit. Item si sub currus transeunte pons frangatur, damnum equorum et currus vector; damnum autem bonorum eorum dominus patietur. Item si currus ad aquam venerit, quae plus solito inundaverit, et excreverit nisi vector vadum prius diligenter examinet et quaerat, si aquam intraverit improvide, pro damno, quod in bonis, quae dicit acciderit, eorum domino respondebit <sup>2)</sup>.

158. De damnis indebitate capti. (H. 41<sup>a</sup>. A. 15. 10. B. 18<sup>b</sup>. 2. C. 7<sup>b</sup>. 17. D. 39<sup>a</sup>. 3. K. 130<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est in Pisencz: Qui alium indebitate per judicem capi procurat juxta juratorum dictamen et damnum, quod ex captivitate percipit sibi componet et pro confusione bonorum virorum intercessione

<sup>1)</sup> Nachach H. <sup>2)</sup> Diese Rubrik fehlt in W.

ipsum placatum habebit. Et insuper si reus petit, jurabit tacta cruce, quod eum non malo dolo procuraverit captivari.

159. De damnis contingentibus per pecora et alia bruta. (H. 41<sup>b</sup>. B. 18<sup>b</sup>. 2. C. 7<sup>b</sup>. 18. D. 39<sup>a</sup>.) Si pecus domesticum apud homines domari consuetum, aliud pecus domatum laeserit, pro tali laesione dominus pecoris laeden-tis, nisi de negligentia rationabiliter accusari possit, judici non obligabitur in emenda; sed post primam monitionem vel quae-rimoniā dicto domino pecoris laedentis factam vel motam, se-quentibus vicibus si damnum per pecus suum aliis factum fuerit, quia judicis mandatum videtur transgressus, merito tenebitur LXXII hal. vel secundum quod jurati adinvenerint ad emendam. (Sic sententiatum est rusticis de Stritecz et ad idem re-quire supra de sententiis de actore et reo). <sup>1)</sup>

### **Capitulum de debitīs.**

160. Quantum ad virum et uxorem in genere. (H. 41<sup>b</sup>. A. 16. 1. B. 18<sup>b</sup>. 3. C. 8<sup>a</sup>. 1—2. D. 39<sup>b</sup>. 1. K. 130<sup>b</sup>. 2.) Dictatum est in consilio per juratos: Quod vir indebitatus et prae inopia solvere non habens, si mulierem divitem absolute de hoc non carentem in uxorem ducit, de bonis duntaxat ad eam pertinentibus ad solvendum debita prius contracta non ob-stante, quod reclamet, compellitur justitia mediante. Mulier enim ducens virum, ipsum non solum sibi, sed etiam bonis suis om-nibus in rectorem praeficit et magistrum, de bonis vero puerorum talis mulieris idem vir eorum vitricus, nisi consentiant, nullam solutionem potest facere debitorum. Si autem e contra mulier pauper ducit maritum res habentem, de rebus talibus, quarum non est domina, quod solvat debita, in quibus prius tenebatur, compelli non poterit via juris.

161. De debitīs obtentis. (H. 41<sup>a</sup>. A. 16. 2. B. 18<sup>b</sup>. 4. C. 8<sup>a</sup>. 3. D. 39<sup>b</sup>. 2. K. 130<sup>a</sup>. 3.) Triturator quidam in Budespicz <sup>2)</sup> super unum de juratis marcam grossorum in judicio obtinuit et cum judex sibi de pignore providere vellet, petivit in cista jurati denarios quaeri et illos sibi cum denarios obti-nuerit, assignari. Quaeritur ergo, utrum hoc sit secundum ju-stitiam faciendum. Et respondetur, quod sic. Unde secundum petitionem ipsius trituratoris, quae justa est, judex debet procedere et si denarios in conservatoriis et cistis jurati non invenerit, pignus sibi dabit in quo debet contentari: (Umb

<sup>1)</sup> W. Der Nachsatz fehlt in den übrigen Handschriften. <sup>2)</sup> D. bucz.

geld, das auf den andern mit not rechthat erstanden, vorweht er im wol sehn bereit pfennig, wo er ir inne wird, das zu einen andern manne der icht in hat in welcherlei weis das sey<sup>1)</sup>.

162. De debitibus partim negatis et partim confessis. (H. 41<sup>b</sup>. A. 16. 3. B. 18<sup>b</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 4. D 39<sup>b</sup>. 3. K. 130<sup>b</sup>. 5.) Sententiatum est eisdem: Si accusatus pro debitibus partem debitorum negat et partem affirmat, quando pro parte negata jurare debet, partem affirmatum ad crucem ponat.

163. De debitibus obtentis. (H. 42<sup>a</sup>. A. 16. 4. B. 18<sup>b</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 5. D. 39<sup>b</sup>. 4. K. 130<sup>b</sup>. 6.) Hoc est jus antiquum: Qui pro debitibus coram judicio simpliciter accusatus respondebit, quod ea persolverit, tenetur hoc in cruce metterius demonstrare.

164. Ad idem de debitibus non solutis. (H. 42<sup>a</sup>. A. 16. 5. B. 18<sup>b</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 6. D. 39<sup>b</sup>. 5. K. 130<sup>b</sup>. 5.) Si creditor dicat se aliquam pecuniae quantitatem a debitorum in debitibus, in quibus sibi pro se tenebatur, recepisse; debitor autem dicat eandem pecuniam non in debitibus, quae creditor exprimit, sed in aliis debitibus se sibi dedit: in hoc casu potius est credendum debitori quam creditori.

165. De debitibus solutis ante terminum. (H. 42<sup>a</sup>. A. 16. 6. B. 19<sup>a</sup>. 1. C. 8<sup>a</sup>. 7. D. 39<sup>b</sup>. 6. K. 131<sup>a</sup>. 1.) Non est arcendus creditor, quod ante terminum pecuniae partem recipiat, totum autem debitum simul sibi oblatum recipere de jure tenetur; immo si ratione termini censum vel aliud emolumumentum creditor de debito sit percepturus, adhuc illo non deducto, si debitor petit, patietur secundum justitiam se pagari.

166. De debitibus quantum ad rationem. (H. 42<sup>a</sup>. A. 16. 7. B. 19<sup>a</sup>. 2. C. 8<sup>a</sup>. 8. D. 40<sup>a</sup>. 1. K. 131<sup>b</sup>. 4.) Quia frequenter pro ratione seu compoto debitorum partes contendunt: sententiatum est in consilio, quod si una partium ab alia rationem petierit, statim extra bancos judiciarios eadem ratio habeatur; et si rationando seu computando non concordaverint, actori a reo justitia fiat, et hoc, si ambae partes in eodem judicio fuerint residentes. Si autem una pars advena et de alio judicio fuerit, ad ponendum rationem terminum quatuordecim dierum habebunt; et insuper si fortassis una partium de alia terra fuerit, et debita, pro quibus agitur, magna sunt, et ex merci-

---

<sup>1)</sup> K. 130<sup>a</sup>. 4.

moniis vel causis aliis in partibus remotis contracta; terminus pro ratione facienda ad sex hebdomadas protrahatur.

**167. De debitibus quantum ad temporis prioritatem.** (II. 42<sup>a</sup>. A. 16. 4. B. 19<sup>a</sup>. 3. C. 8<sup>a</sup>. 9. D. 40<sup>a</sup>. 2. K. 132<sup>a</sup>. 1.) Cum Jacobus Schmelczlini civis Brunnensis tam in Praga quam in Brunnia diversa contraxisset debita: supervenerunt et dictum civem coram judicio convenientes pro se sententiari petiverunt; cum litterae, super quibus subscriptus Jacobus de suis eos debitibus certificasset, priores essent tempore quam probationes, quas concives sui super suis debitibus obligarent: utrum ipsis non deberet primo de bonis Jacobi de justitia provideri. Brunnenses autem in contrarium pettebant sibi sententialiter inveniri, cum ipsi et Jacobus in eodem judicio essent residentes, bona ipsius Jacobi juri Brunnensi essent subjecta, et super debitibus in quibus Jacobus eis obligaretur, testimonium litterarum juratorum et aliorum fide dignorum virorum ita efficax sicut in jure Brunnensi sufficit demonstrare ac statuere vellent, utrum talis eorum demonstratio et probatio non esset merito antiquitati temporis, quam Pragenses pro se allegabant, secundum justitiam praeferrenda. Itaque pensatis diligenter utriusque partis allegationibus sapientes invenerunt pro jure: Quod Pragensibus non obstantibus Brunnensium allegationibus propter temporis antiquitatem prius esset de bonis Jacobi de justitia providendum.

Unde cum Jacobus pluribus annis de numero consulum civitatis fuerit, et in multis causis sigillum suum sicut jurati consueverunt, facere aliis hominibus per eos rogatus ad litteras, in quibus facta sua conscripserunt pro testimonio, quod efficaciam habuit, appendere, multum esset inconveniens, si in factis propriis convinci per sigillum proprium non deberet. Debet tamen circa tales litteras, quae antiquitatem praetendunt temporis, diligenter videri, utrum obligatio vel promissio in eis conscripta sit personalis vel realis; secundum hoc enim jus et sententia diffinitiva variantur.

**168. Quod debitoris testimonium est suspectum.** (II. 42<sup>b</sup>. A. 16. 9. B. 19<sup>a</sup>. 4. C. 8<sup>a</sup>. 10. D. 40<sup>b</sup>. K. 1. 132<sup>b</sup>. 1.) In Redisch cum quinque creditoribus in unum agerent debitorem, unus eorum pro se sententiari petivit, si ipse, per debitorem ostenderet, quod debitum suum senius esset tempore quam debita aliorum quatuor: utrum ante eos non esset primo pagandus. Alii vero quatuor in contrarium allegabant: cum ipsis antiquitatem suorum debitorum per probos viros demonstrare

possent; utrum tale testimonium debitoris esset suspectum; posset enim unus creditorum occultam ordinationem cum debitore facere, quod pro ipso in dominum testaretur aliorum. Unde testimonium proborum virorum quod illi quatuor pro se allegabant, est potius admittendum.

169. Quod ex antiquitate debitum jus sortitur. (H. 42<sup>b</sup>. A. 16. 11. B. 19<sup>a</sup>. 4. C. 8<sup>a</sup>. 11. D. 40<sup>b</sup>. 2. K. 132<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est in Chremisir, quod ex antiquitate debitum jus sortitur. Unde quamvis creditor res, quas debitori vendidit, in ejus occupet potestate; tamen si creditor antiquior superveniat res easdem impetens, illi prins erit de justitia providendum.

170. Quid sit faciendum, si de prioritate debitorum dubitat. (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 11. B. 19<sup>a</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 12. D. 40<sup>b</sup>. 3. K. 132<sup>b</sup>. 3.) Non obstante quod in solvendis debitis prioritas temporis jus faciat, si hereditas pluribus creditoribus obligata, pro minori pecunia quam sint debita, vendita fuerit, et de prioritate debitorum dubitetur, nec sufficienter probari possit: bene est rationabile quod sapientes computatis debitis uni creditori tantum defalcent in marca, quantum alteri, quidquid enim hujusmodi facta defalcatione unienique creditorum defecrit, in eo debitor sibi obligabitur ipso jure.

171. Quandoque declarandum est, qualiter debita sint contracta. (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 12. B. 19<sup>a</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 13. D. 40<sup>b</sup>. 4. K. 132<sup>b</sup>. 4.) Reo petente iudex debet actorem agentem pro debitis pecuniarum et praecipue magnarum compellere, quod declaret, ex qua re qualiter et quo loco et tempore hujusmodi debita sint contracta.

172. De debitis ratione losungae. (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 13. B. 19<sup>a</sup>. 5. C. 8<sup>a</sup>. 14. D. 40<sup>b</sup>. 5. K. 132<sup>b</sup>. 5.) Si creditor de debitis suis losungam et collectam civitati solvit, talem solutionem non potest a debitore justitiiliter extorquere.

173. De debitis dictis Trinkgeld. (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 14. B. 19<sup>b</sup>. 1. C. 8<sup>a</sup>. 15. D. 41<sup>a</sup>. 1. K. 132<sup>a</sup>. 1.) Viro mortuo non potest pincerna obtinere juramento debitum dictum „Trinkgeld“, super uxorem negantem, nisi fortassis uxor cum viro vivente idem debitum personaliter debiberit in taberna et tale debitum, quod debitum est in taberna intra muros civitatis per pincernam juramento potest obtineri et solum in judicio civitatis et non in alio praeterquam in illo, in quo debitum est. Debet etiam pincerna tale debitum obtinere volens esse fide dignus et non suspectus ita, quod jurati judicent eum idoneum

ad tale debitum obtainendum: unde necessarium est, quod sit hospes domus vel dominus potus et non ganeo vel caupo manuialis. Debitum autem, quod dicitur „Spilgelt“, nec ad judicium est ducendum, nec pro ipso est conquaerentibus justitia facienda, sicut habet consuetudo civitatum antiquitus approbata.

**174. De debitis dictis „lidlon“ et aliis debitibus ut hic.** (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 15. B. 19<sup>b</sup>. 2. C. 8<sup>a</sup>. 17-8<sup>b</sup>. 2. D. 41<sup>a</sup>. 2. K. 133<sup>a</sup>. 1.) Jurati de Wyschaw verbotenus informati sunt, quod servitor et operarius conventus, qui conventionem demonstrare potest, et est de familia quotidiana alicujus domini et vescitur ejus pane, potest pretium debitum dictum „lidlon“ obtinere termino serviendi jam transacto. Item cum dominus dicat in levitico: Opus mercenarii non maneat apud te usque mane. Si moritur paterfamilias domus; de bonis, quae relinquunt servis et ancillis ante alia debita pretium, quod vulgariter dicitur „lidlon“, quod meruerunt usque ad tempus mortis domini, dari debet, sed si possessores bonorum mortui eosdem servos et ancillas seu familiam domus usque ad tempus in conventione servitii eis praefixum tenere voluerint, servent in fine temporis pretium suum integraliter recepturi. Si vero ipsos licentiaverint, et plus de pretio, quam usque ad diem mortis domini percipere debuerint, eis cessit, hoc restituere non tenentur. Item si familia conventa fuit per septimanas vel per menses et quamdiu servierit, dubitatur quantum temporis familia suo juramento confirmabit, tantum de pretio tollat. Si autem super gratiam serviunt, contentabitur in eo quod de gratia fuerit sibi datum.

Item si familia infra tempore servitii moritur, quantum usque ad diem mortis deservivit, tantum illi, qui loco ejus pretium repetit, dabitur ipso jure. Item pretium dictum „lidlon“ judicialiter obtentum est eodem die sole splendente solvendum vel pignus pro ipso per judicem datum statim sequenti die cum scitu testium vendi potest.

**175. Utrum pro debitis solutis hospites et homines de alio judicio possint testari.** (H. 43<sup>a</sup>. A. 16. 16. B. 19<sup>b</sup>. 3. C. 8<sup>b</sup>. 3-4. D. 41<sup>b</sup>. 1. K. 133<sup>b</sup>. 1.) De Geyaw jurati quaesierunt: Utrum pro debitis solutis recipiendum sit testimonium hominum residentium extra judicium, in quo debita sunt contracta. Super quo diffinitum fuit: Quod si tales homines sunt bonaे famae, eorum testimonium est audiendum. Unde licet jura originalia dicant, quod hospes advenam pro debitis admissus debeat vincere cum uno civi civitatis: tamen

in demonstrandis debitibus solutis homines extranei, dummodo sint idonei, testimonium ferre possunt, sicut etiam debita in uno iudicio contracta in alio solvi possunt.

176. Debita regis et reipublicae debitibus aliis praefreruntur omnibus. (H. 43<sup>a</sup>. A. 16, 17, B. 19<sup>b</sup>. 4. C. 8<sup>b</sup>. 5. D. 41<sup>b</sup>. 2. K. 133<sup>b</sup>. 2.) Lieet in debitibus personarum particularium prioritas temporis pinguis jus faciat: tamen hoc non obstante debita regis et reipublicae et universitatis civitatis ut puta Losunga sentaxatio, tributum ungeltum, merces vigiliarum et his consimilia debitibus omnibus praefreruntur.

177. De debitibus et dotalitiis, quod praeccedit alterum. (H. 44<sup>a</sup>. A. 16, 18, B. 20<sup>a</sup>. 1. C. 8<sup>b</sup>. 6. D. 41<sup>b</sup>. 3. K. 133<sup>b</sup>. 3.) Sententia est in Chremisir: Sidebitum est prius contractum quam dotalitium promissum, tunc actor debiti potius admittitur ad probandum intentum suum: si autem sit econverso, tunc si dotalitium promissum per heredes subsequentes legitimos non fuerit extinctum, omne debitum postea contractum rationabiliter antecedit. Sunt autem circa dotalitia conditiones speciales, quae frequenter interponuntur diligenter considerandae et illas respice sub titulis de dotalitiis.

178. De modo servandi captivum pro debito. (H. 44<sup>a</sup>. A. 16, 19, B. 20<sup>a</sup>. 2. C. 8<sup>b</sup>. 7. D. 41<sup>b</sup>. 4. K. 133<sup>b</sup>. 4.) Debitor solvere non habens, si per judicem praesentatus fuerit, manu illi cui tenetur, servabit eum in loco tuto, firmo et clauso sine ferramentis, et pascet eum cum modico pane et aqua, ita quod fame non moriatur, vel assignabit eum subjudici, qui ex hoc quod auctoritate fungitur judiciaria, in cippo vinclum compedibus eum tenebit, transactis autem quatuordecim diebus solvens subjudici pretium pro quo conventus fuerat, quod cum servaret tali conditione dimittetur, quod jurabit in cruce quidquid laboribus suis acquireret et obtinebit de hoc duobus denariis pro se servatis tertium creditori dabit, usque totum debitum sibi solvat. Quo facto quascumque res creditor postea apud ipsum invenerit, de his tertiam partem recipiet; unde etiam de tribus denariatis pannis vel de tribus tunicis etiam potest ab eo auferre; et insuper si una vice valorem totius debiti apud eum inveniret, simul totum sibi recipere licet esset ipso iure. Et si secundus creditor superveniens dictum captivum apud subjudicem interdixerit, illi similiter jurabit, quod pacato primo ipsum postea expediet modo praescripto.

179. De debitibus casus intruncatis. (H. 44<sup>a</sup>. A. 16, 20, B. 20<sup>a</sup>. 3. C. 8<sup>b</sup>. 7 — 8. D. 42<sup>a</sup>. 1: K. 134<sup>a</sup>. 1.) Iudex

et jurati de Rauseins<sup>1)</sup> scripserunt sic: Andrea de Menes<sup>2)</sup> coram nobis in judicio Petru<sup>3)</sup> et Thomae, quos in quatuor marcis grossorum pragens. fidejussorie sibi teneri dicebat, conquaerente Petrus respondit: quia iu media parte dictae pecuniae; puta in septem fertonibus, sibi obligaretur titulo fidejussionis adjungens, quod sibi patienter, donec suis laboribus ad hoc sufficeret, cum induciare dignaretur: non solum dictos septem fertones, immo totum solvere sibi vellet debitum supradictum. Andreas vero ad dicta verba Petri se non convertens, nec ea in nos, scilicet judicem et juratos protestans in Thomam pro quatuor marcis integris, in quibus sibi ex fidejussionis promisso teneretur, egit. Qui cum negaret, Petrus petiit pro se diffinitive pronuntiari: cum Andreas Thomam pro tota praescripta pecunia et insuper pro dimidium marcarum impetisset et convenisset: utrum ipse ab ejus actione non esset justicialiter absolutus. Quo auditio Thomas econtra petivit pro se finaliter dictari; cum Petrus de toto praefato debito fassus fuisset: utrum ipse ei Andreac teneretur quaerimoniam respondere.

Petimus itaque: utrum ambo fidejussores ab Andrea sint absoluti, vel quid juris in hoc casu fuerit nobis vestris litteris declarari.

Quibus rescriptum fuit, quod neuter est absolutus; primus enim, qui fassus est de septem fertonibus adjiciens, quod etiam totam pecuniam, quam cito eam suis laboribus obtinere posset, sibi expedire vellet eandem totam pecuniam actori solvere tenetur, quamvis ipse de eadem protestationem non fecerit; fassione enim coram judicio actuata sufficit confessio quamvis ipsius non fiat protestatio. Et insuper, quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, si videtur Andreae, quod Petrus ad solutionem totius debiti non sufficiat, nec sit certus Thomas; non obstante confessione Petri tenetur pro IV marcis, pro quibus cum impetivit suae quaerimoniae negando vel affirmando juxta suam conscientiam respondere.

180. De debitis decimarum. (H. 44<sup>a</sup>. A. 16. 21. B. 20<sup>b</sup>. 1. C. 8<sup>b</sup>. 10. D. 42<sup>b</sup>. 1. K. 134<sup>b</sup>. 1.) Brodae ungariae civibus sententiatum est: Quod quamvis locator novae villae vel dominus fundi ejusdem villae hominibus de novo ad villam eandem se locantibus censem imponere, vel ipsos a solutione census possit eximere: tamen a decima, ad quam obligantur

<sup>1)</sup> Runsans D. <sup>2)</sup> Mennes D. Mencis A. <sup>3)</sup> Philippo A. K.

jure divino, eos non potest absolvere quoquam modo. Et similiter si inter partes de solutione decimae lis orta fuerit, illa est per spirituale iudicium decidenda. Residuum de debitibus quaere inferius de dotalitiis, de interdictis et de pignoribus.

### **Capitulum de depositione rerum.**

181. De deposito et rebus ad servandum datis. (I. 45<sup>a</sup>, A. 17, I. B. 20<sup>b</sup>, 2. C. 8<sup>b</sup>, 11-14, D. 42<sup>b</sup>, 2. K. 134<sup>b</sup>, 3.) Depositarius dicitur, cui res pro custodia committuntur ex fide. Unde talibus rebus debet adhibere diligentiam sicut in rebus suis propriis, alias earum perditio suae negligentiae imputatur; quia si res suas ponit in archa secura et res depositas dimittit in domo super banco, si tales res perdantur, depositarius eas solvet. Unde si rebus depositarii salvis res apud eum depositae non apparent, culpabilis videtur, quia maxime depositarius ex praesumptione judicatur: bona enim fides abesse praesunitur, si rebus ejus salvis res depositas se dicit amisisse; et quando fides praesumitur abesse, tunc dolus judicatur adesse, quia fides et dolus contraria sunt. Considerandum est tamen, quod in deposito casus fortuitus non imputatur depositario sicut nec in commodato, nisi pactum interveniat scilicet, quod deponens nominatim mercedem depositario solvat; tunc enim casus fortuiti, qui in pacto sunt excepti, in damnum depositarii vergunt. Contractus enim ex conventione legem accipiunt. Item si propter culpam et moram depositarii casus fortuitus acciderit, ille sibi imputatur sicut et in commodato.

Unde non obstante quod apud deponentem res periisset, si ex culpa et mora depositarii perit, suae negligentiae imputatur; sufficit enim quod res non potuit perire.

Item res non deteriorata deposita debet reddi, alias redditia non videtur.

Consistit autem depositum in rebus mobilibus tantum, nisi forte ubi apud sequestrum deponitur.

Cum res aliqua inter plures in controversiam deducitur, et talis depositio non potest fieri nisi a pluribus, tamen rei depositae sicut commodatae proprietatem tenemus et etiam possessionem et potest depositum quandocumque placet deponenti revocari. Et si depositarius non restituit, condemnabitur et infamis efficitur; judicatur enim circa depositum dolose versatus esse: secus autem est in commodato, quod non restituitur nisi post usum completum. Item si plures deposuerant ad unum

depositarium et unum depositum perditur, illud per alterius depositum non compensatur, quia cuilibet deponenti suum depositum est reddendum. Item in hoc privilegiata est actio depositi, quod etiam praedoni restitui debet depositum. Tamen si dominus rei depositae cum fure petat depositum, tunc domino debet restitui de aequitate, unde depositio semper est bonae fidei contractus. Nota quinque casus, in quibus depositarius non tenetur de casu fortuito. Primus, si pactum interveniat. Secundus, si mora praecedat casum. Tertius, si culpa. Quartus, si dolus. Quintus, si gratia tantum accipientis sit depositum.

182. De deposito rerum in cista vel alibi clausarum. (II. 45<sup>b</sup>. A. 17. 2. B. 21<sup>a</sup>. 1. D. 43<sup>a</sup>. 1. K. 136<sup>a</sup>. 1.) Accidit hic in Brunna, quod Paulus fraudem uxoris suae per timescens in cameram concivis sui Nicolai cistam clausam cui vidente Nicolao cum clenodiis etiam X marcas grossorum pragensium in pixide speciali clave serata imposuit, locans cistam eandem ipsi Nicolao sub fide depositi commendavit. Cum autem Paulus frequenter nunc Nicolao, nunc uxore vero sua videntibus dictam cameram intraret et cum clavibus, quas per se servaret, cistam et pixidem reserans exciperet et imponeret, quae volebat: contingit vice quadam, quod more consueto cum uxore Nicolai et quodam juvene cameram per eandem sibi uxorem apertam intrans et eis praesentibus cistam suam reverans in pixide, quam similiter manu propria cum clave, cuius per se custos fuit, aperiens X marcas praescriptas non invenit. Vocavit ergo judicem et juratos, qui cameram intrantes cistam, pixidem et earum seras diligenter intuentes, nullum in eis rupturam vel factam violentiam invenerunt, licet etiam diligenter per angulos dictae camerae in eorum praesentia quaesitum fuisset: nulla tamen pecunia est inventa.

Paulus itaque coram judicio egit in Nicolaum eo modo sicut superius continetur. Nicolaus vero negationem practendens, petivit pro se finaliter dictari; cum nomen suum bonum nullius infamiae macula confutasset: utrum ipse tamquam alter probus homo res, corpus et honorem suum non posset melius defendere, quam per Paulum<sup>a</sup> vinci, ob hoc praecipue, quod Paulus claves tam cistac quam pixidis suaे per se semper habuerit, manu propria reseraverit et seraverit, nec umquam claves eosdem sibi vel uxori suae in signum et testimonium depositi commiserit ad servandum. Super quo sententiatum fuit pro Nicolaō propter hoc maxime, quod non obstante clausae cistac

deposito Paulus per se tum cistam quam pavidem in proprio quodammodo potestate tenuit et clausura. Econverso etiam, quamvis cista signata deposita sit, et ignoret ille qui depositum suscepit, res ibi esse, tamen adhuc et cista et singulae res peti possunt actione depositi. Voluntarie enim talis depositarius res, quas ignoravit, apud se deponi permisit, sed tamen necessarie est, quod actor probet, quod in cista fuerint res, quas repetit. Et similiter intelligatur de sacco ligato et de marsupio sigillato deposito.

183. De deposito perduto etc. (II. 46<sup>a</sup>. A. 17. 3. B. 21<sup>a</sup>. 2. C. 8<sup>b</sup>. 15. D. 43<sup>b</sup>. 1. K. 136<sup>a</sup>. 1.) Cum miles quidam de Schwadiez <sup>1)</sup> ageret in Joannem Anselmi pro deposito X. marcarum et ipse responderet, quod dictae marcae cum sua propria pecunia de cista clausa effracta essent sibi per servum et ancillam suam receptae et deportatae, sicut iuratis statim ut ipsum factum cognoscant et cistam fractam et locum ubi tam militis, quam sua jacuisset pecunia ad oculum ostendisset: sententiatum fuit pro Joanne, quod sine ejus malo dolo hoc accidisset suo deberet comprehendere iuramento, unde si quis sine malo dolo rem apud se depositam amiserit, depositi non tenetur, tamen si ad eum iterum res amissa pervenerit, tunc tenebitur depositi: et non debet depositarius cavere fidejubendo pro re deposita, quia (eum) tamen ex deposito luerum non habeat, onus sentire non debet.

184. Casus de deposito. (II. 46<sup>a</sup>. A. 17. 4. B. 21<sup>a</sup>. 2. C. 8<sup>b</sup>. 16—18. D. 43<sup>b</sup>. 2. K. 136<sup>a</sup>. 2.) Si sacculum vel argentum signatum deposuero et ille, penes quem depositum fuerit, me invito tractaverit mercatus fuerit et perdidit, et depositi et furti actio mihi in eum competit. Item si pecunia vel res, de qua inter partes est contentio, apud sequestrum deposita sit, vel ut in hoc loco vel in illo eam reddat in ejus est arbitrio quo loco exhibeat: sed, si nihil actum est de loco; tunc ipsam exhibebit coram judice et iuratis. Item quae depositis rebus accedunt, non sunt deposita; sicut si homo vestitus deponatur, vestis non est deposita; nec, si equus cum capistro, nam solus equus depositus est: secus autem est, cum dicatur: Depono equum cum capistro vel equum capistratum. Si conveniat ut in deposito culpa praestetur, rata est conventio: illud autem non est probandum, dolum non esse praestandum si convenerit;

<sup>1)</sup> Scheradiez D.

nam haec conventio contra bonam fidem, contraque bonos mores et ideo non sequenda est. Si vestimenta servanda balneatori data perdantur, siquidem nullam mercedem servandorum vestimentorum accepit: tenetur ex deposito et etiam dolum praestabit, si intromisit se ad servandum; si autem accepit mercedem: tunc tenetur ex conducto. Secus autem est, si in stuba balneali vestes amittantur, ibi enim vestium custodiam balneator habere non consuevit. Si in Praga depositum fuerit ut in Vienna reddatur; id actum est, ut non ejus impensa hoc fiat, apud quem depositum sit, sed ejus, qui depositum.

Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo ejus est, apud quem depositum est: ubi vero depositum est, nihil interest. Eadem dicenda sunt communiter et in omnibus bonae fidei judiciis. Si depositor decesserit et duo existant, qui inter se contendant unus quisque solum se heredem dicens: res ei tradatur, qui paratus est adversus alterum reum defendere depositarium, ita quod sibi fiat cautio defendendo; et hoc non est supervacuum, nam si sine cautione praestaret rem, cum jam sit ab altero mota controversia, dolo videretur facere; vel res deponi debet in aede aliqua donec de hereditate judicetur.

### **Capitulum de dotalitio.**

185. De dotalitio quando cessat. (H. 46<sup>b</sup>. A. 18. 2. B. 21<sup>b</sup>. 1. C. 8<sup>b</sup>. 19. D 44<sup>a</sup>. 1. K. 136<sup>b</sup>. 2.) Jurati de Thuschawicz<sup>1)</sup> quaesierunt, utrum mulieri pueros habenti, cum marito suo debeat dotalitium in contractu matrimonii sibi promissum, super bonis et hereditatibus aliquibus secundum iustitiam specialiter deputari, ita, quod maritus, nisi ipsa consentiente de bonis eisdem non possit disponere, quidquid suae placuerit voluntati. Qui diffinitive sunt instructi: quod, postquam mulier in matrimonio legitimo ex semine viri genuerit pueros, qui heredes vocantur: tunc mortuum est dotalitium et maritus tamquam dominus de bonis universis mobilibus et immobilibus, licet uxor et heredes reclamant, facere poterit juxta suae libitum voluntatis.

186. Dotalitium non cessat, si mulier parit puerum mortuum. (H. 46<sup>b</sup>. A. 18. 3. B. 21<sup>b</sup>. 2. C. 8<sup>b</sup>. 20. D. 44<sup>a</sup>. 2. K. 136<sup>b</sup>. 3.) Quidam in Crumplaw<sup>2)</sup> uxorem du-

<sup>1)</sup> Thuss H. <sup>2)</sup> Crumpnaw D.

cens, nomine dotis ei promisit X marcas fidejussoria cautione interposita. Anno vero transacto cum vir moreretur et uxor puerum mortuum peperisset: questionem fidejussoribus movit de dote promissa, quaerens, utrum ipsam non deberet justitiariter obtinere; fidejossores autem allegabant in contrarium, cum ipsa protestatione de dote solvenda non facta per annum tacuerit et heredem de semine viri conceperit et genuerit, utrum dos non sit exticta. Super quo diffinitum fuit pro muliere: cum homo dicatur de vivo et mortuo equivoce, quod puer mortuus non est homo. Unde, si mulier parit puerum vivum, dato eliam, quod quantocumque brevi tempore vivat post partum, tunc cessat dotalitium. Et hic intellige, quod non est necessarium de dote solvenda protestationem, quae vulgariter „Vrehund“ dicitur interponere, cum semper dos vivat, quamdiu heredes vivi non sunt nati: de solutione autem dotis facta, ut tollantur lites futurae, protestationem facere est consultum.

187. Mulier quandoque dotalitio privari non potest, quandoque potest. (H. 47<sup>a</sup>. A. 18. 4. B. 21<sup>b</sup>. 3. C. 8<sup>b</sup>. 22-23. D. 44<sup>b</sup>. 1. K. 137<sup>a</sup>. 1.) Licet vir de bonis, quorum est dominus, ordinare valeat, sicut placet; tamen si uxori dotalitium promisit, cum testamentum facit, si pueros ex ea non generavit, ipsam tali dotalitio privare non potest. Uxor autem, si fidem matrimonii adulterando violavit, vel si in mortem mariti cum effectu machinata est, vel alijud scelus adeo grave commisit, ipsa se ipsam dotalitio secundum justitiam spoliavit. Sic sententiatum est in Brodam hungaricalem<sup>1)</sup>.

188. Per divortium mulier quandoque dotalitio non privatur. (H. 47. A. 18. 5. B. 22<sup>a</sup>. 1. C. 8<sup>b</sup>. 24. D. 44<sup>b</sup>. 4. K. 137<sup>a</sup>. 2.) Si maritus et uxor legitime convicti postea per aliquot annos canonice ab invicem separantur, ita tamen, quod, quamdiu simul vixerint ignorarunt, illegitime se simul habitasse, et tali separatione uxor dotalitio, quod maritus in contractu matrimonii sibi promisit, non est privanda; immo sibi dari debet judicio suffragante, contradictione mariti vel heredum qualibet non obstante. (Sic sententiatum est in Chremisir<sup>2)</sup>).

189. Quando dotalitium sit solvendum. (H. 47<sup>a</sup>. A. 18. 6. B. 22<sup>a</sup>. 1. C. 8<sup>b</sup>. 24. D. 44<sup>b</sup>. 3. K. 137<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est in Redisch: Cum dotalitium aequipolleat practio cor-

<sup>1)</sup> Fehlt in H. D. A. blos W. <sup>2)</sup> fehlt in H.

pore deservito: eodem die, quo matrimonium carnali copula fuerit consumatum, est juxta formam promissi plenarie persolvendum<sup>1)</sup>.

190. Dotalitium in rebus mobilibus fieri potest. (H. 47<sup>a</sup>. A. 18. 7. B. 22<sup>a</sup>. 2. C. 9<sup>a</sup>. 1. D. 44<sup>a</sup>. 1. K. 137<sup>a</sup>. 4.) Non oportet, sicut aliqua jura volunt municipalia, quod dotalitium tantum ostendatur in terra, hoc est, in hereditatibus affixis terrae; immo si promissum est simpliciter in prompta pecunia, vel bonis aliis mobilibus, ostendi potest.

191. De dotalitio uxor est prius certificanda, quam maritus. (H. 47<sup>b</sup>. A. 18. 8. B. 22<sup>a</sup>. 2. C. 9<sup>a</sup>. 2. D. 45<sup>a</sup>. 1. K. 137<sup>a</sup>. 5.) Civibus de Thuschnawic sententiatum est: Si mulier viro promiserit X et vir econtra mulieri XX marcas; mulier ad requisitionem viri non est cogenda, quod suum promissum impleat, nisi prius, si petit de promisso viri, fuerit securata.

192. In dotalitio bona mariti prius sunt vendenda, quam uxoris. (H. 47. A. 18. 9. B. 22<sup>a</sup>. 23. C. 9<sup>a</sup>. 3. D. 45<sup>a</sup>. 2. K. 137<sup>a</sup>. 6.) Sententiatum est in Praczaw: Si vir et mulier in contractu matrimonii res immobiles vel absolute vel sub conditione dotis ad invicem comportent: vir urgente necessitate prius bona propria, quam uxoris bona in denarios debet convertere pleno jure. Sexui enim muliebri circa hujusmodi tamquam fragiliori potius est providendum; bonorum etiam acquisitio viro est facilior, quam mulieri, et insuper victum hostiatim mendicando quaerere mulieri verecundius est et gravius, quam sit viro.

193. Propter dotalitium uxor non est dominaria rerum. (H. 47<sup>b</sup>. A. 18. 10. B. 22<sup>a</sup>. 4. C. 10<sup>a</sup>. 4. D. 45<sup>a</sup>. 3. K. 137<sup>b</sup>. 1.) Ad interrogationem civium in Chremisir sententiatum est: quod soluto conjugum utriusque dotalitio, mulieris amici virum de jure non possunt artare, quod caveat, ne dotalitium deficiat et minuatur. Est enim vir tam mulieris quam dotalitii dominus et rector, potens cum ipso emendo, vendendo ac modis aliis, quibus casus fortuiti sunt admixti, sibi et uxori vitae necessaria conquerire, sicut placet; tamen si manifeste bonorum dilapidator et inutilis est consumtor, tunc ad petitionem mulieris vel amicorum ejus jurati, quorum interest, inutilia corrigere, possunt talem defectum intercipere, et virum super eo corripere, sicut videtur expedire.

---

<sup>1)</sup> Hier ist in der Hs. W. der Absatz D. 45<sup>a</sup>. 3 „dotalitium causa“ — angereiht.

**194. Dotalitio quandoque de jure aliquid deficit.** (H. 47<sup>b</sup>, A. 18, 11, B. 22<sup>a</sup>, 4, C. 10<sup>a</sup>, 5, D. 45<sup>b</sup> 1, K. 137<sup>b</sup>, 2.) Sententiatum est in consilio civitatis: quanto minus uxor de sua dote marito dederit, tanto minus post mortem mariti de dote sibi promissa percipiet ipso jure.

**195. Si pro dotalitio hereditas fuerit obligata.** (H. 47<sup>b</sup>, A. 18, 12, B. 22<sup>a</sup>, 4, C. 10<sup>a</sup>, 6, D. 45<sup>b</sup>, 2, K. 137<sup>b</sup>, 3.) A juratis de Hulein<sup>1)</sup> sententiatum est: Si unus conjugum pro dotalitio, in bonis mobilibus promisso, alteri hereditatem obligare voluerit; non oportet, quod illam sicut in debitis communibus fieri consuevit, per annum et diem servet: immo primo die obligationis, instante necessitate, potest ea venditioni exponere, vel in denarios convertere modis aliis quibuscumque.

**196. Dotalitium hereditarium uxori traditum potest ex necessitate per maritum ad tempus exponi.** (H. 48<sup>a</sup>, A. 18, 12, C. 10<sup>a</sup>, 8, D. 45<sup>b</sup>, 3, K. 137<sup>b</sup>, 4.) Sententiatum est juratis in Redisch: Si maritus uxori legitimate agrum vel aliam hereditatem coram judice et juratis nomine dotalitii libere dat et assignat, et tandem ex infortunio, non ludo taxillorum, non crapula, non negligentia, videlicet quod laboribus non intendat, sed otiosam vitam ducat, non bonorum dissipatione nec alio quovis in honesto modo ad tantam deveniat inopia, quod se et uxorem de mendicitate non valeat supportare: licitum est, sibi dotalitium ipsum uxoris reclamatione non obstante, ad tempus pro pecunia exponere, cum qua laborando victus sibi et uxori necessitatem obtineat et amictus.

**197. Dotalitium hereditarum uxori traditum postea, nisi consentiat, creditoribus obligari non potest.** (H. 48<sup>a</sup>, A. 18, 14, B. 22<sup>a</sup>, 5, D. 46<sup>a</sup>, 1, K. 138<sup>a</sup>, 1.) Matussius de Tisschnowicz, civis Brunnensis, cum distortam et inordinatam aliquanto tempore ludis taxillorum, commessionibus et ebrietatis die noctuque insistens vitam duxisset: ad conscientiam reversus, non coactus coram judicio resignavit libere uxori sua domum suam per ipsam ratione dotalitii hereditarie possidendam. Et quia ante resignationem talem pueros cum eadem uxore habuit, et post resignationem apud diversos creditores debita multiplicita contraxit: creditores

<sup>1)</sup> Holyn D.

ipsi pro se sententiari petiverunt, cum Matussius cum uxore de bonis eorum, quae ipsis mutuaverint de victu et amictu, sibi providerint, ipseque Matussius praedictus domui tamquam hospes et dominus in solvendis collectis et sufferendis oneribus civitatis praefuerit: utrum de venditione domus, non obstante resignatione, non debeant de suis debitibus expediri. Uxor vero Matussii pelivit simpliciter se circa jus dotalitii conservari. Super quo sententiatum fuit, quod uxor Matussii domum sibi pro dotalitio resignatam, quamvis pueros cum Matussio habuerit, quamvis etiam debita, quibus vir praefatus impulsabatur, cum ipso expenderit, hereditarie debeat possidere, nec Matussii seu mariti praefati, nec heredum suorum ante vel post resignationem habitorum contradictrio ipsam in dictae domus possessione, nisi ei voluntarie renunciaverit, aliqualiter poterit secundum justitiam impedire: Matussius enim juri, quod super domum, quantum ad dominium habuit, per resignationem cessit.

198. Quod dotalitium quandoque super hereditate absolute datur, et quandoque in futurum promittitur et secundum hoc quandoque praecedit debita, et quandoque sequitur. (H. 48<sup>b</sup>. A. 18. 15. B. 22<sup>b</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 9-10. D. 46<sup>a</sup>. 2. K. 138<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est in Gostel: Si uxori per maritum vice dotis hereditas nominata coram judicio publice tradita fuerit; et assignata illa per creditores, sibi postea non poterit decertari. Si autem vir in genere uxori sub his verbis dotem promittat: Post mortem meam de bonis, quae relinquero tantam summam habebis et insuper tempore vitae rationabiliter bonis negotiationibus et actibus insistendo debita contrahat; multum esset absurdum, si dos hujusmodi solutionem talium deberet excludere debitorum. Est enim generale in jure, quod creditor est heres principalis; consonat etiam aequitati, quod uxor et heredes succedentes mortuis debita solvant corundem.

199. Dotalitium quandoque transit ad successores. (H. A. 18. 16. B. 22<sup>b</sup>. 2. C. 9<sup>a</sup>. 11. D. 46<sup>b</sup>. 1. K. 138<sup>b</sup>. 1.) In Gurde<sup>1)</sup> vir sexagenarius, postquam de tribus uxoribus pueros generasset, et ipsos data uniuersitate juxta suam facultatem dote matrimonio tradidisset: ad quartas transiens nuptias, puellam, cui nominatum promisit dotalitium, in uxorem

<sup>1)</sup> Gurdai D. in villa quadam prope Brodam hungaricalem W.

duxit, quam tandem sine prole relinquens testamento non factō subito exspiravit; uxor vero postea transactis aliquot hebdomadis bona per maritum dimissu regens, similiter intestata decessit. Quaeritur ergo primo: utrum bona talia ad fratres uterius ejusdem uxorū, quos reliquit, vel ad pueros, quos maritus ex primis tribus uxoribus generavit, hereditarie debeant pertinere; et secundo: quo jure uxor ipsa tempore suae viduitatis bona possederit supra dicta. Super quibus diffinitum fuit ad primum: quod bona hujusmodi ad pueros mariti sunt hereditarie devoluta; fratribus tamen uxorū debent ipsi pueri de bonis talibus dotalitium, per patrem eorum sibi promissum, integratiter expedire.

Ad secundum autem dictum fuit, quod uxor illis septimanis, quibus in viduitate vixit, non tamquam vera domina, sed potius tamquam tutrix bona tenuit per maritum dimissa.

Utrum autem per dotalitium impediatur hereditaria successio testamentaliter procedens, quaere inferius sub titulis de hereditatibus.

**200. Dotalitium quandoque per uxorem dari vel legari potest aliis.** (II. 48<sup>a</sup>. A. 18. 17. B. 22<sup>b</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 12. D. 46<sup>b</sup>. 2. K. 138<sup>b</sup>. 2.) Vidua quaedam in Chrem-sir puellae, quam filio suo dedit uxorem, domum, quam inhabitaverat, tradidit vice dotis; mortuis itaque vidua cum filio, uxor cum diem concludere deberet extremum, donum sibi dotaliam patri suo libere dedit; quam quidem domum cum im-pendant tres nepotes viduae praescriptae: quaeritur, quid sit juris in hoc casu. Super quo responsum est: Quod domus, postquam puellae data fuit in dotalitium, ejus fuit, et de ipsa marito mortuo disponere potuit, ut volebat.

**201. Quando dotalitium et quando portionem hereditariam mulier percipiat.** (II. 49<sup>a</sup>. A. 18. 18. B. 23<sup>a</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 13. D. 46<sup>b</sup>. 3. K. 138<sup>b</sup>. 3.) Vir quidam in Budespicz res habens et heredes, viduam heredibus carentem, agrum ad XX marcas taxatum nomine dotis sibi promittens, duxit in uxorem; eo itaque mortuo intestato mulier petit tertiam partem bonorum per ipsum relictorum. Privigni autem sui quaerunt, cum pater eorum ex noverca ipsorum pueros non gennuerit: utrum in sola dote sibi promissa non debeat contentari. Item jurati de Budespicz petiverunt informari, utrum dos mariti major esse debeat, quam uxorū vel econverso. Super quorum primo responsum fuit, quod allegatio privignorum rationabilis et justa est: unde mulier in dotalitio sibi promisso,

quod in generatione filiorum non est extinctum, debet esse contenta. Ad secundum vero dictum fuit, quod promissio dotalitii est arbitraria, secundum voluntatem promittentis possibiliter minui vel augeri: consuevit tamen frequenter maritus in parte tertia plus uxori pro dote promittere, quam econtra solet; et secundum istam consuetudinem, quasi communiter approbatam, quando dos unius conjugum nominatim est expressa, debet dos alterius, si est dubia, moderari.

202. De dotalitio, quod potest obtineri per mulierem ipso jure. (H. 49<sup>b</sup>. A. 18. 19. B. 23<sup>a</sup>. 2. C. 9<sup>a</sup>. 4. D. 47<sup>a</sup>. 1. K. 139<sup>a</sup>. 1.) Cives de Chrisans scripserunt sic: Quaedam puella maritum duxit legitimum, qui duas marcas grossorum nomine dotalitii sibi promisit, pro quibus marcis sibi dandis alii duo de nostris concivibus fidejusserunt, quos dicta puella coram judicio pro eis impetravit, obligans se ad probandum tam fidejussionem, quam promissionem per testes idoneos, qui nuptiales homines dicuntur, hoc est vulgariter dicendo „Rinklewt<sup>1)</sup> oder Heurathlew<sup>t</sup>.“ Pars vero adversa de fidejussione negans obligat se ad suam negativam verificandum et similiter per testes nuptiales ostendendum, quod ipsi puerae nihil promiserit, nec pro aliquo dotalitio fidejusserit, ad eandem petens, tamen hoc pro se sententiari: utrum res suas per testes non beat melius defendere, quam sibi possint per aliquem decertari. Petimus ergo informari, cujus partis testes sunt potius audiendi. Quibus responsum fuit sic: quod testes puerae de sua parte ad tractatum matrimonium electi et vocati potius sunt audiendi, quam testes fidejussorum, per quos puerae quaerimoniam evadere vellent.

Cum enim puella agat de dotalitio, quod respondet praetatio suo corpore deservito pinguis jus sibi competit ad fidejussores, quos impetrat per testes convincendum, quam eis competit ad se defendendum.

203. De dotalitio, quod potest obtineri per virum. (H. 49. A. 18. 20. C. 9<sup>a</sup>. 15. D. 47<sup>a</sup>. 2. K. 139<sup>a</sup>. 2.) Cives de Chremstir scripserunt sic: Quidam noster concivis dives existens quandam mulierem pauperem de villa duxit in uxorem, ex qua duos pueros generavit; tandem marito mortuo mulier eadem de villa quandam alium virum duxit, qui dictos pueros, datis eis pro parte sua quibusdam agris, a se alienavit,

<sup>1)</sup> Trinkleut D. Binkleut A. K.

domum intem, quae patris puerorum praemortui moriti uxoris suae fuerat, vendens, unacum uxore a civitate nostra in villam, unde venerat, ad faciendum ibidem residentiam se recepit. Modo pueri ipsi, quia mater eorum migravit a sacculo impetentes domum per vitricum eorum venditam, coram nobis in judicio suum proposuerunt quaerimoniam sub his verbis: Domine judex, conquaerimus de vitrico nostro, quod ipse domum ex labore patris nostri comparatam, et ad nos jure hereditario pertinentem, nec sibi per nos coram judicio resignatam, sine nostro scitu et voluntate ad manus vendidit alienas, et petimus nobis justialiter dictari: cum in actate juvenili fuerimus et ad reclamandum dictae domus venditionem annos discretionis non habuerimus, sicut nec adhuc habemus, cum unus nostrum sit in anno IX<sup>o</sup> et alter in VI<sup>o</sup> et mater nostra jam mortua in domum eadem de villa, cum pauper esset per patrem nostrum in uxorem recepta fuerit et ducta, quae si adhuc vixisset tacuissemus, nec domus venditionem reclamassemus sperantes, quod fide maternali nos respexisset: utrum dicta venditio non debeat retrocedere, et ipsa domus ad nos sicut ad veros heredes redire. Ad quam quaerimoniam vitricus sic respondit: Domine judex, fateor me dictam domum vendidisse, quia ipsa mihi per uxorem meam, jam mortuam, cui XV marcas dotavi, nomine dotalitii fuit assignata et dotata, quod probare volo per tot scabinos et juratos, quot ad jus meum habere debo, et peto pro me sententiari: utrum ad talem probationem non debeam admitti, cum sine impedimento facta venditione de civitate Chremisir ad villam exiverim, nec per dictos privignos meos aliqua fuerit quaestio mihi mota. Super quo casu sic sententiatum fuit: Si vitricus puerorum demonstrabit per juratos sicut se probaturum obligavit, quod domus per uxorem est sibi pro dotalitio data, ipse utetur.

204. Dotis solutio est tamen uxori facienda.  
(H 50<sup>a</sup>. A. 18. 21. B. 23<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>a</sup>. 16. D. 47<sup>b</sup>. 1. K. 139<sup>b</sup>. 1.) In Chremisir Petrus filio suo Heinrico<sup>1)</sup> puellam, Margaretham nomine, filiam alterius civis ibidem, petivit in conjugium copulari, nomine dotis eidem macellum promittens. Modo defunctis Petro et Heinrico Margaretha nurus agit in socrinum suam viduam pro macello sibi ratione dotalitii promisso, obligans se ad verificandum promissum dotale per testes

<sup>1)</sup> Stephano A. B. K.

idoneos, quosdam juratos et quosdam communes homines, qui interfuerunt contractui nuptiali. Socrus autem promissum non negans dicit: Quia Petrus vir ejus ante annos aliquot patri Margaretha pro macello dotali pecuniam, in qua contentabatur, numeravit et solvit, quod similiter per testes tam juratos, quam non juratos nititur declarare. Quaeritur ergo, cujus partis testes sint aliis praeserendi. Super quo diffinitum est: quod testes, quos vult socrus statuere de dote soluta, sunt audiendi, et districte sub virtute juramenti praestandi, corporaliter interrogandi: si Margaretha praesens fuerit, cum pater ejus numeratam pecuniam pro macello sibi in dotem promisso suscepit, et si voluntarium ejus ad hoc consensum nec prece, minis nec metu inducta praebuit, et si sic testabuntur: hoc faciet pro socru, quod nurus quaerimoniam declinabit. Et hic collige, quod solutio dotis est tantum uxori facienda et quod ipsa sola a dotalitio et ejus promisso maritum liberum reddere potest et solutum.

205. Ad dotem solvendam etiam heredes obligantur. (H. 50<sup>b</sup>. A. 18. 22. B. 23<sup>b</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 17. D. 48<sup>a</sup>. 1. K. 140<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est ad loca diversa. Ex quo per matrimonium filia emancipatur et transit a patria potestate: si pater nomine filiae dotem promiserit et ipsam ante nuptias emancipaverit: non tollitur promissio, si pater moriatur, quia nihilominus heredes ejus ex promissione obligati permanebunt.

206. Dotis promissio bonam fidem habere debet. (II. 50<sup>a</sup>. A. 18. 23. B. 23<sup>b</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 18. D. 48<sup>a</sup>. 2. K. 140<sup>a</sup>. 2.) Dotis promissio, si metu vel vi extorta fuerit, inutilis est: cum dos ex libera proficisci debeat voluntate. Sic sententiatum est in Kulyn<sup>1)</sup> cum Petrus<sup>2)</sup> cognatam suam cui-dam rustico diviti tradidisset et eum postea ad promittendum dotalitium compulisset.

207. Dos non potest in fraudem creditorum promitti. (H. 50<sup>b</sup>. A. 18. 24. B. 23<sup>b</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 19. D. 48<sup>a</sup>. 3. K. 140<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est in Budespicz: Si pater debitum involutus ad fraudandum creditores filiae dotem promittit, promissio vigorem non habet. Licet etiam ante matrimonium et post nuptiis jam completis, dos promitti possit: tamen, si de tali posteriori promissione dotis creditores patri promittenti instantiam fecerint: testes idoneos statuet, qui corporali jura-

<sup>1)</sup> Heinrichs A. B. K. <sup>2)</sup> Schercze A. B. K.

mento comprehendent, quod dos hujusmodi non sit in ipsorum fraudem aliqualiter procurata.

**E**t similiter intelligendum est de debitibus; nam quaecumque in fraudem creditorum alienata fuerint, actione revocatoria repetentur; unde, si praedium dotale minori pretio, quam valeat, vendatur, creditor ipsum pro eodem pretio consequetur.

**207<sup>b</sup>.** Dotalitii causa tertiam partem utensilium uxori marito mortuo obtinet. (Allein D. 45<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est in Gostel, quod ex quo dotalitium aquipollit pretio corpore deservito, indilate et plenarie est persolvendum. Insuper singula vestimenta et crenodia, quibus uxori in vita, vivente marito usa est et in corpore gessit, obtinebit. Item tertiam partem omnium suppellestilium et utensilium ad ornatum tet necessitatem mense et thori pertinentium, exceptis vasis et exeniis argenteis, exclusis etiam quibuslibet armis et equis, personam viri dumtaxat concorrentibus, de quibus nulla portio est uxori conferenda.

### Capitulum de aedificiis.

**208.** De aedificiis et novis locationibus seu plantationibus. (II. 50<sup>b</sup>. A. 19 1. B. 23<sup>b</sup>. 2. D. 48<sup>b</sup>. 1. K. 141<sup>b</sup>. 1.) De Chremisir<sup>1)</sup> jurati petentes informari de novis villarum locationibus et arborum plantationibus, instructi sunt de subscriptis. Primo: quod signatis areis quilibet fundamentum ponat vicino suo praesente et vidente, et similiter metas agrorum faciat de scitu vicini sui. Item curiam dominus muniat et pacifiet; alioquin damnum, quod ex tali negligentia per ipsius pecora vicino suo in segetibus, oleribus et consimilibus factum fuerit, ipse solvet; damnum vero, quod ex aliis pecoribus in curia sua, quam sepe nou firmavit, sibi acciderit, sustinebit. Item sepem faciens ramos virgarum ad curiam vicini non vertet. Item fornaces et ignis conservatoria, cloacae et stabula ad impinguandum porcos facta, spatio trium pedum cum dimidio a sepibus locentur. Item locus, ignis argilla, taliter liniatur, ne scintillae volent in curiam vicini sui in damnum. Item cloaca fodi debet in curia propria et sub terra ad curiam vicini non duci. Item arbores hortorum in tanto spatio plantentur a sepe, ne rami ultra ipsam dependentes hortum vicini splendore solis privent et obumbrent: quia, si hoc con-

<sup>1)</sup> De Chrisans D.

tingat, fructus eorumdem ramorum cum vicino, cuius hortum obumbrant, dividantur, vel per dominum arborum, si vicinus carere voluerit, praescindantur.

Item fabri, pistores et consimiles mechanici, qui in exercendis laboribus suis igne frequenter utuntur, fumum ejusdem ignis in fumario, seu aedificio ad hoc specialiter facto, extra tectum in aërem deducere debent, ne sub tectum in latum diffusus viciniis incommodum faciens, eos inquietet.

Item locans novam villam potest hominibus aliunde venientibus hereditates in tali villa assignare, quamvis bona talia ad eosdem non sint homines hereditarie devoluta. Sed tamen, nec idem locans, nec dominus villaे, nec locati in villam possunt pro eorum voluntate in praejudicium communis juris terrae jus novum sibi creare seu statuere, imo debent se subjicere alicui juri communi et approbato, quo ipsis vicinae villaе ceterae sunt subjectae.

**209. A edificia nova contra prohibitionem judicis et juratorum non sunt facienda.** (H. 51<sup>a</sup>. A. 19. 2. B. 24<sup>a</sup>. 1. C. 9<sup>a</sup>. 20. D. 48<sup>b</sup>. 2. K. 142<sup>a</sup>. 1.) Cum inter duos vicinos de Chrisans, quorum unus emerat domum quamdam judicis ibidem, multiplex quaestio longo tempore verteretur: jurati ejusdem oppidi Chrisans instructi sunt: quod, quidquid post inhibitionem novi aedificii construitur, destrui debet. Tanta est enim vis prohibitionis judicis et juratorum, quod ante licentiam nulli licet contra eam venire. Item prohibitio aedificii fieri debet in ipso opere, et non tantum ipsi domino, sed etiam illis, qui in opere construunt; et quidquid aliquis pendente prohibitione construxerit, hoc debet propriis expensis destruere. Et licet aliquis possit prohiberi, quod novum opus non faciat, rarum tamen est, quod prohibeat, quod non reficiat antiquum. Item si aedificetur in via communi et in publica, quilibet potest denunciare judici, quod prohibeat. Item omnis aedificans potest terram, arenam, argillam, vel quidquid talium est; in plateam et viam publicam, donec aedificet, statuere vel ponere contradictione vicinorum qualibet quiescente.

**210. De aedificandis merdatoriis et coquinis.** (H. 51<sup>b</sup>. A. 19. 3. C. 9<sup>a</sup>. 21. D 49<sup>a</sup>. 1. K. 142<sup>b</sup>. 1.) Nicolaus, cum Joannem vicinum suum prohiberet aedificare cloacam intra spatium trium pedum cum dimidio a muro suo: sententiatum est sic: licet a sepe non linita, vel pariete ligneo, cloaca in spatio trium pedum cum dimidio sit locanda; tamen a sepe ex utraque parte argillata admitti potest, ubi artae sunt areae,

quod cloaca trium pedum spatio fodatur, a muro vero trium pedum spisso, si privata muratur in spissitudine longitudinis lateris cum dimidio; hoc non est in artis areis prohibendum.

**211. De merdatoriis et consimilibus.** (A. 19. 4. B. 24<sup>a</sup>. 2. C. 9<sup>b</sup>. 1. D. 49<sup>a</sup>. 2. K. 142<sup>b</sup>. 2.) Quamvis homo in territorio suo a limitibus vicini in spatio trium pedum cum dimidio cloacam possit fodere; tamen, si amplius habet curiam, eam ponere potest, ubi et sibi competens et vicino minus nociva sit. Debent enim vicini et de dannis ad invicem sibi, prout possunt, cavere et mutuis promotionibus se prosequi. Unde cum in *Chrisans*<sup>1)</sup> vicinus circa parietem convicini sui, ubi aptiorem pro mensa sua locum habebat, cloacam ponere voluissest; sententiatum fuit: quod jure ad hoc esset prohibendus et quod in alio loco infra septa sua, quem bene habere poterat, cloacam construere deberet eandem.

**212. De aedificiis quantum ad altum et profundum et parietum reformationem.** (II. 51<sup>b</sup>. A. 19. 5. B. 24<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 2. D. 49<sup>a</sup>. 3. K. 142<sup>b</sup>. 3.) Cum *Ulricus* de cellario suo sub terram, sub viam plateae publicam lapidibus stratam pro potu aestivo, tempore infrigidando fodere voluissest, et per juratos hoc facere prohibitus fuisset: in medio dicti cellarii commodum lateribus testudineis in profunditate notabili ad cavendum incendiorum pericula construere coepit. Quod vicinus ejus percipiens, ipsum in causam traxit, allegans, quod ex tali structura domus ejus, sub cuius fundamento foderet, ruinam minaretur. Quare petivit, *Ulricum* rigore juris compelli, desistere ab inceptis. Contra quod *Ulricus* petit, se in eo jure conservari, quo quilibet homo in bonis suis sine nocturno vicini in altum et in profundum aedificat, quidquid sibi placet. Jurati ergo perspecto aedificio vicini invenerunt, quod structura, quam faceret, parietibus vicini non obesset, quia in debita distantia *Ulricus* fundamentum suum a parietibus vicini fodit, unde sententiatum est pro eo; et ex hoc colligitur, quod homo in bonis suis supra aërem et subtus in terram habet licentiam construendi; etiam fontem, cloacam et alia, quae suis viderit necessitatibus expedire. Tamen in structuris, quae ad certos deputantur usus, et sunt in medio foro, vel alibi, in territorio communi, sicut sunt macella, scamna panis, institae et alia consimilia, est tantum illa profunditas et

<sup>1)</sup> Chremsis D.

altitudo servanda, quae ab antiquo servari consuevit. Parietem in medio aedificiorum vel curiarum uterque vicinus reparabit; si autem uno petente alter reparationem contradixerit, tunc reparans parietem eo solus utetur et alter, nisi novum pro suis construal parietem usibus, non habet jus utendi pariete vicini, nisi licentiam obtineat ab eodem. Unde, quamvis paries fuerit communis utriusque vicino, tamen ille, qui monitus ipsum reformare tempestive, cum indiguit, neglexit: jus utendi, quod prius habuit, de cetero non habebit; et hoc jus tantum durat pro tempore parietis, eo enim ruente, si ille, qui prius reparationem facere non curavit, paratus sit, cum vicino, alium parietem instaurare, acquirit sibi iterum, quo ad usum parietis jus antiquum. Item si facto incendio vel alia vastitate de parietibus inter vicinas domos fruendis dubitatum fuerit, mandabitur cuilibet hospiti, quod intrando domum ad dextris parietem pro se et vicino faciat communem, nisi aliqui vicini malint duos parientes in medio eorum facere.

**213. De aedificiis quantum ad arearum extre-  
marum mensurationem et pacis confirmationem  
in specie.** (H. 52<sup>a</sup>. A. 19. 6. B. 24<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 3. D.  
50<sup>a</sup>. 1. K 143<sup>a</sup>. 1.) Rustici diversarum villarum  
sunt instructi: Cum in plantationibus novellis arearum,  
hortorum, vinearum, agrorum et aliarum hereditatum spatia seu  
limites mensurantur, ad distributiones funiculo dividuntur;  
consuetum est, quod illi, cui cedit hereditas in acie extrematis  
sita, plus datur de spatio, quam alteri in medio residenti,  
et hoc ista de causa, quia transeuntes aciem in equis et cur-  
ribus magis hereditates easdem laedunt, metas et munitiones  
ipsarum rumpentes, spatium earum continue taliter minorando,  
propter dictam tamen majorem amplitudinem in acie residentes,  
sepes, fossata seu alia monumenta, quibus se et vicinos suos  
versus campos et extremitates paciscent, construere tene-  
buntur. Si autem non percipiunt plus de spatio, quam eorum  
vicini, tunc de dicta pacificatione merito supportantur, imo vel  
quilibet vicinus se ipsum paciscent, vel pacem communem in ex-  
tremitate bursa seu pecunia faciant de communi.

**214. De aedificiis antiquis ruinam minantibus.**  
(H. 52<sup>a</sup>. A. 19. 7. B. 24<sup>b</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 4. D. 50<sup>a</sup>. 2. K. 143<sup>a</sup>. 2.)  
Prout supra continetur de damnis, sic et in hoc casu multis  
interrogationibus responsum est, quod qui vult agere de ruinosis ae-  
dificiis, de quibus sibi damnum fieri timet, debet propter pro-  
testationem de damno futuro ante actionem interponere. Ista

enim actio prospicit damnum nondum factum, cum ceterae actiones ad damna, quae contingunt refacienda pertineant, nisi protestatio processerit, hac actione agi non potest.

215. De aedificiis quantum ad lucem et parietes. (II. 52<sup>b</sup>. A. 19. 8. B. 24<sup>b</sup>. 4. C. 9<sup>b</sup>. 5. D. 50<sup>a</sup>. 3. K 143<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est (in judicio civitatis), quod ad plateas communes de domibus pro luce capienda fenestrae fieri possunt, sed per vicinum in curiam alterius vicini fieri non possunt. Unde etiam talem lucem vicinus vicino obstruere potest suis aedificiis ipso jure. Item eos, qui jus immittendi luminis non habuerunt, aperto pariete communii nullo jure fenestras immittere potest. Item parietem, qui naturali ratione communis est, alter vicinorum destruendi, eum reficiendi jus non habet, quia non solus dominus est. Item cum illo, qui extollendo obstruat vicini aedes, quibus non servit, nulla competit actio, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo. Item qui luminibus vicinorum suorum nocere, aliudne quid facere contra modum eorum velit, sciat, se formam et statum antiquorum aedificiorum custodire debere. Cetera de aedificiis quaere supra sub titulo de aqua pluviali in aedificiis urbanis et postea sub titulis de damnis, et inferius sub titulis de luminibus, et sub titulis de servitutibus. Sed de agris et metis agrorum, quaere infra sub titulo de jure novalium.

### **Capitulum de electione.**

216. De electione officialium civitatis et judicis. (II. 53<sup>a</sup>. D. 50<sup>b</sup>. 1.) Officiales, qui communitali civitatis et judicio serviunt, eujusmodi sunt scriptores, subjudices, budelli, praecones et consimiles solum jurati debent eligere, statuere, vel destituere, sicut bono communi viderint expedire. Officiales autem, quibus per se judex indiget, et quos pane suo pascit, per se electi, mutat et statuit, quando suae placuerit voluntati. Sic sententiatum est ad Chremisir, Redisch, Brodam Ungaricalem, Gostel et ad alia loca diversa.

### **Capitulum de emendis.**

217. De emendis, et primo de modo recipiendi emendas. (II. 53<sup>a</sup>. A. 20. 1. B. 24<sup>b</sup>. 5. C. 9<sup>b</sup>. 7. D. 50<sup>b</sup>. 2. K. 143<sup>b</sup>. 1.) Judex non debet statim finito judicio reum, si tamen certus est, vel cautione fidejussoria se certificat, pro emenda

impignorare, sed debet eum per dies quatuordecim induciare; quibus finitis coram magistro civium et alio jurato ac scriptore judicii debet emendas exigere, et pro exactis, si non solvuntur, impignorare, et partem earum, quae civitatis est, magistro civium, vel illi, quem jurati ad hoc constituerint, praesentare. Scriptor quoque judicii debet dictam partem civitatis diligenter conscribere, et per mensem, vel quandocunque novus statuitur magister civium, juratis rationem reddere de perceptis<sup>1)</sup>.

218. De emendis taxandis sequitur. (H. 53<sup>a</sup>. A. 20. 2. B. 24<sup>b</sup>. 6. C. 9<sup>b</sup>. 8. D. 50<sup>b</sup>. 3. K. 143<sup>b</sup>. 2.) Licet in compositione homicidii L talenta ad XXX marcas taxentur, tamen in aliis emendis talentum est tantum pro XX grossorum<sup>2)</sup> computandum, et secundum hoc taxentur plures emenda, quae nomine talentorum in legibus<sup>3)</sup> originalibus sunt conscriptae. Et nota, quod in omni emenda est gratia maxime propter senium vel foemineum sexum facienda.

219. Quod in omni emenda facienda est gratia. (Bloss D. 50<sup>b</sup>. 4. H. 53<sup>a</sup>.) Antiquum jus civitatis habet, quod in receptione cuiuslibet emenda judec delinquentibus gratiam facere tenetur. In hoc enim imitabitur deum, qui cum solus sit justus judec remunerat ultra meritum et punit citra condignum. Et praeципue propter defectum aetatis et sexus in emendis et poenis justitiae rigor est mansuetudine temperandus.

220. De emendis in genere. (H. 53<sup>b</sup>. A. 20. 3. B. 24<sup>b</sup>. 7. C. 9<sup>b</sup>. 9. D. 51<sup>a</sup>. 1. K. 143<sup>b</sup>. 2.) Qui minis, terroribus, aut quacunque potentia, seu suggestione conquaerentes, vel conquaeri de injuriis et violentiis sibi factis violentes silere compellunt, vel inducunt, et sic judicem suo jure defraudant, illas emendas, quas jurati magnitudine vel parvitate causarum, de quibus habebant conquaeri, considerata ipsis imposuerint, solvere tenebuntur.

221. De emendis dictis „gemachte wandel.“ (H. 53<sup>b</sup>. A. 20. 4. B. 24<sup>b</sup>. 8. C. 9<sup>b</sup>. 10-13. D. 51<sup>a</sup>. 2. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Ab antiquo per viginti quatuor, qui praesunt consilio civitatis, est ordinatum, quod de emendis, quae pro violatione statutorum propter bonum commune in venditionibus, emtionibus ac insolentiarum quarumcumque correctionibus, et ceteris hujusmodi causis olim editorum seu in posterum edendorum, a delinquen-

<sup>1)</sup> A. B. C. K. geben diesen Absatz bloss auszugsweise, im Wesen völlig übereinstimmend. <sup>2)</sup> Pragensium in D. <sup>3)</sup> Juribus in D. C.

tibus persolvuntur, judici, ut maiorem circa eorum observationem apponat diligentiam, tertia pars detur. Aliae vero duae in usum civitatis convertantur. Et vocantur tales emendae in vulgari „gemachte wandel“ quia processu temporis u consulibus, prout statum civitatis consideraverint, variantur. De emendis autem judicialibus, vulnerum et aliorum excessum, quae non mutantur, judex percipiet, quantum ad eum perlinet ipso jure<sup>1)</sup>.

222. De emenda antiquitus usitata, quae vulgariter dicitur „nach yczlichem schopfen funf phunt.“ (II. 35. D. 51<sup>a</sup>. 3.) Jurati de Gayaw proposuerunt sic: In oppido nostro duodecimi sunt jurati, et frequenter pro levi excessu verborum coram, uno jurato facto, dominus noster requirit ab excedente sexaginta talenta pro emenda, allegans pro causa, quod de jure post quemlibet juratum quinque talenta solvi debent pro emenda, sive coram uno, sive coram multis juratis excessus hujusmodi committatur. Petiverunt ergo informari et infra. Quibus responsum fuit, quod cum gravior sit excessus, coram multis juratis in judicio factus, vel in consilio, quam alibicunque major emenda pro excessu verbali in juribus originalibus scripta ad quinque tantum talenta se extendat, jurati non debent esse proni seu festini ad imponendam alicui praedictam emendam sexaginta talentorum. Unde tantum pro gravissimis excessibus factis coram omnibus duodecim juratis judicio praesidentibus, vel maniloquium habentibus emenda praescripta est homini imponenda; verbi gratia, si aliquis virum honestum contumaciter hageticum, traditorem, falsarium, vel alio consimili vitio irretitum dixerit, vel si aliquis de judge, seu consulibus civitatis turpia et inhonesta frivole pronuntiaverit, vel in blasphemiam, seu perjurium in causa, quae honorem alicujus tangit, in judicio vel in maniloquio coram omnibus juratis linguam laxare praesumpserit, vel qui trina vice pro excessu verborum leviter emendatus, quarto velut incorrigibilis iterum delinquat: talibus et his similibus emenda imponi poterit praenominata. Nec oportet, quamvis excessus coram duodecim juratis factus cum sexaginta talentis emendetur, quia factus coram sex juratis emendetur cum triginta, ita, quod semper secundum numerum juratorum emenda talentorum per-

---

<sup>1)</sup> A. B. K. C. Kürzer: Quaedam sunt emendae, quae dicuntur „gemachte wandel“, haec variantur „id est.“

numerum quinarium augeatur. Imo sufficit, nisi nimis gravis sit excessus, quod excedens decem talenta solvat pro emenda, in quibus judex tertiam partem habebit.

223. Emendas solvet excedens de bonis propriis tantum. (II. 54<sup>a</sup>. A. 20. 5. B. 25<sup>a</sup>. 2. C. 9<sup>b</sup>. 13. D. 51<sup>b</sup>. 1. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Sententiatum est in Holyn: Quod homo profacto malo seu excessu criminali vita et bonis privatur propriis: sed si res alienas in sua conservatione habuit illis immerito privaretur. Item si homo tam graviter deliquerit, quod bonis suis per judicem est privandus et si ante delictum apud alium rem aliquam emit, quam tamen nondum cum denariis persolverit, tali re per judicem non debet privari, imo illi, apud quem eam emerat, debet restituiri et secundum justitiam iterum assignari.

224. Item ad idem sequitur (ibidem). Si vector in aliquo delinquens res alterius in curru suo ducit, judex emendas pro tali delicto non de hujusmodi rebus, sed tantum de rebus recipiet vectoris: et idem sicut in casu consimili.

225. Quandoque pro insolentiis judici non cedit emenda. (H. 54<sup>a</sup>. A. 20. 6. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 14. D. 52<sup>a</sup>. 1. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Sententiatum est in Heynrichs, quod pro insolentiis verborum in taberna vel alibi factis et statim sedatis et complanatis, dummodo in praesentia juratorum, quibus ubique plus, quam ceteris hominibus est parcendum, non fiant, judici emenda non solvit ipso jure.

226. Ad idem ratione testium, qui supportantur de emendis. (II. 54<sup>a</sup>. A. 20. 7. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 16. D. 52<sup>a</sup>. 2. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Si testes per judicem in eorum fidem et animam interrogati cruce non tacta deponunt, sive pro parte, per quam sunt producti, sive contra eam dicant, quamvis in verbis caespient, tamen propter hoc nec ipsi, nec aliqua partium judici obligabitur in emenda. Sic sententiatum est juratis in Budaspicz.

227. Ad emendas quando rustici dominis non tenentur. (H. 54<sup>a</sup>. A. 20. 7. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 16. D. 52<sup>a</sup>. 3. K. 143<sup>b</sup>. 3.) Dominus in Hulein<sup>1)</sup> petivit sibi sententiari, qua emenda et culpa sibi essent obligati duo rustici, qui agros quosdam ab eo tenerent, de quibus decem annis stetwram non solvissent. Cui sententiatum fuit, quod pro tali negligenter nullam emendam seu culpam solvere tenentur. Quia

<sup>1)</sup> Holym. D.

cum **stewra** sit quoddam vngeltum, seu quaedam exactio angarin et vexatio communis et vulgari nomine dicta roboten et non verus census, ad ipsius solutionem solventes per officiales, quibus hoc domini committunt, cogi et compelli consueverunt, et ergo, si statutis temporibus, quibus **stewra** solvebatur, dicti rustici ad solutionem **stewrae** non sunt compulsi: culpa debet officialibus et non rusticis praedictis imputari.

228. Quandoque non emendantur verba jocose prolatæ. (H. 54. A. 20. 8. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 17. D. 52<sup>a</sup>. 4. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Cum duo jurati in Budespicz in taberna cerevisiae hospiti dixissent, quare nobis non datur cerevisia pro tritico sicut aliis hominibus non juratis, hospes respondit jocose: Domini, de juramento vestro nihil mihi constat, nec interfui cum jurasti. Quod jurati sibi adscribentes pro verecundia, quaesiverunt, qualiter hospes sit pro verbis talibus emendaudus. Super quo diffinitum fuit: quod talia verba, sicut sunt ab hospite jocose prolatæ, sic a juratis sine emenda pro joco merito debent reputari.

229. Sine emenda verberantur bursicidae et fures. (H. 54. A. 20. 9. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 9<sup>b</sup>. 18. D. 52<sup>b</sup>. 1. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Locorum diversorum habet consuetudo, quod bursicidae ceterique nequam homines furta in foro, in platea, ecclesiis, balneis, vel alias committentes cum in actu rapiuntur, ab occurrentibus male tractantur, depilantur ac sine emenda qualibet verberantur; sanguis tamen eorum effundi non debet, nisi habita super eis judicaria potestate.

230. Sine emenda bursalivir legitimus cognoscit solutam. (H. 54<sup>b</sup>. A. 20. 9. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 1. D. 52<sup>b</sup>. 2. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Virum legitimum si index cum soluta muliere deprehenderit, pro eo non obligatur sibi ad emendam. Secus autem esset, si cum legitima raperetur; tunc enim ad viri sui quaerimoniam judicium sustinebit.

231. Sine emenda incippatur levis persona. (H. 55<sup>a</sup>. A. 20. 9. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 2. D. 52<sup>b</sup>. 3. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Ad interrogationem juratorum de Chrem sententiatum est: Si hospes domus levem personam propter suam insolentiam incippari facit sine licentia judicis per praecomenem non oportet, quod propter hoc emendam solvat; nam sine jussu talis hospitis praeco per se levem personam, quam insolentem viderit, poterit incippare.

232. Sine emenda concordant partes pro debit is. (H. 55<sup>a</sup>. A. 20. 9. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 3. D. 52<sup>b</sup>. 4. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Post quaerimoniam et responsionem de debit is factam si

actor et reus amicabiliter concordant, vel per se vel per arbitros judex a neutro ipsorum emendas recipiat ipso jure.

233. Pro vulneribus reus etiam quandoque absolvitur ab emendis. (H. 55<sup>a</sup>. A. 20. 10. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 4. D. 52<sup>b</sup>. 5. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Nullus judex emendas habebit, si reus actoris quaerimonias etiam in causis criminalibus rigore justitiae jurejurando testibus vel alias declinabit.

234. Ad emendam non obligantur jurati, qui in sententia pronuntianda non concordant. (H. 55<sup>a</sup>. A. 20. 11. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 5. D. 52<sup>b</sup>. 6. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Burggravius de Hulc in petivit informari, quam emendam jurati ex hoc meruerunt, quod divisim et non concorditer quamdam sententiam protulerunt; cum enim ab eis quaereret, per quot testes incusatus pro vulnere suam innocentiam ostendere deberet, quatuor de juratis sententiatum est, quod per tres. Aliis septem sententiantibus, quod per quinque testes evadere deberet. Secundo petivit idem burggravius quae emenda sequatur unum de juratis ex hoc, quod dupliciter sententiavit, quemdam enim pro malis verbis sententiavit, primo cum tribus testibus et secundo cum duobus digitis in cruce se debere expurgare. Cui responsum fuit ad primum, quod jurati ex hoc, quod divisim sententiaverunt, nullius emendae sunt obnoxii. In causis enim, quarum sententias in scriptis non habent, quilibet juratus virtute juramenti sui deum habens pree oculis, et ad sinistram non declinans, debet sententiam, quam ratio proprio juri plus concordare sibi dictaverit pronuntiare. Debet etiam praecipue in talibus sententiis, per juratos divisim prolatis, illa sententia teneri pro jure, in quam major numerus consenserit juratorum. Ad secundum vero diffinitive sententiatum fuit, quod juratus, qui dupliciter sententiavit, nullam culpam ex hoc meruit, nec aliquam incidit in emendam; quia dato, quod aliquis juratorum in pronuntiando sententiam primo erraret et postea errorem corrigeret, pro eo non esset puniendus sed potius commendandus. Ad prudentem enim pertinet, non solum non errare, imo etiam errorem si acciderit revocare.

235. Emendam aliam non solvat, qui a consilio rejicitur juratorum. (H. 55<sup>b</sup>. A. 20. 11. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 6. D. 53<sup>a</sup>. 1. K. 143<sup>b</sup>. 5.) Si juratus per suos consocios rectores consilii de eorum colloquio seu consortio propter causas nondum in populo promulgatas, sed solis forte scabinis notarias utputa, quia secreta consilia perdidit, vel aliquid consimile commisit, amotus fuerit propter hoc mulctam bursalem non

solvet. Poena enim ruboris, quam ex tali sustinet umotione sibi sufficit pro emenda. Sed fortassis secus esset, si publice coram judicio vel populi multitudine de excessu convinceretur, tali in aliorum scandalum juratorum. Sic sententiatum est in Gostel.

236. Sine emenda jurati quandoque altricantur verbis ad invicem in consilio. (H. 55<sup>b</sup>. A. 20. 11. B. 25<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 7. D. 53<sup>a</sup>. 2. K. 144<sup>a</sup>. 1.) Dum in Gostel juratis in consilio clauso sedentibus unus alteri dixisset, de causa loquimur ardua et vos capite caputio coperto tacetis, nec consilium vestrum in medium profertis, quamvis tamen semper velitis, quod secundum dictamen rationis vestrae, causae singulac terminentur. Quaesitum est, qualiter excessus verborum talium debeat emendari. Super quo diffinitum fuit, quod jurati sedentes in consilio, socialiter sine suspitione super causa quilibet, quod sine decidatur debito, secundum eorum intelligentiam more disputantium pro instantias et earum solutiones, ut inquiratur veritas hinc inde verbis se arguentes fideliter ad invicem loqui debent. Et licet unus alteri verba porrigit aliquantulum excessiva tamen non est expediens, quod pro eo poena bursali puniatur. Imo alii jurati statim verba talia, ne in scandalum juratorum murmur in populo generetur, sapientes ambos praedictos juratos illo prius, qui loquendi modum excessit verbis, correpto amicabiliter concordabunt. Secus autem esset, si coram judicio vel in praesentia multitudinis verba fierent supradicta.

237. Sine emenda jurati quandoque verberant leves personas. (H. 55<sup>b</sup>. A. 20. 11. B. 25<sup>a</sup>. 1. C. 10<sup>a</sup>. 8. D. 53<sup>b</sup>. 1. K. 144<sup>a</sup>. 1.) In Bisencz cum quaedam levis persona seu vaga cuidam de juratis obloqueretur verbis ipsum in honestis in taberna coram populo arguens vehementer, juratus idem gladio non evaginato tres plagas ad caput eidem dedit. Quaesivit ergo judex, quibus emendis juratus dictas plagas sibi componere tencatur. Super quo diffinitum fuit; cum judicibus et juratis ratione officiorum suorum major quam hominibus popularibus reverentia merito debeat exhiberi, cum etiam jura dictant originalia circa finem: Si aliquis levis vel in honesta persona fuerit verberata, quae hoc ipsum forte sua meruit insolentia, si suspectus hoc probare poterit, mettertius hoc viris credibilibus liber erit a judice et actore; quod juratus ratione plagarum dictarum ad emendas judici non tenetur. Debent tamen conjurati sui cum super facto tali secrete in eorum

colloquio corripere, quod ab hujusmodi sibi caveat propter officii dignitatem.

238. De emendis magistrorum corridentium discipulos. (H. 56<sup>a</sup>. A. 20. 13. B. 25<sup>b</sup>. 1. C. 10<sup>a</sup>. 9. D. 53<sup>b</sup>. 2. K. 144<sup>a</sup>. 2.) Ad interrogationem juratorum de Chrem-sir responsum est in consilio, quod magister discipulo causa informationis et disciplinae duodecim plagas cum virga vel cum manu dare potest. Si autem ad effusionem sanguinis aliter quam cum virga, exceptis naribus, quae faciliter ad fluxum sanguinis provocantur, ipsum percutserit vel percutiendo ipsum interficerit, amicis et judici satisfaciat in emenda.

239. De emendis pistorum in debita quantitate panis excedentium. (H. 56<sup>a</sup>. D. 53<sup>b</sup>. 3. A. 20. 47.) Licet magistri pistorum ad consilium juratorum deduxerint, quod secundum antiquam consuetudinem pistori debitam quantitatem in pistando non servant solum die dominico de mensa in foro XXXVI parvorum denariorum panis pro emenda recipiendum, et in hospitale pauperibus sit mittendus, ista consuetudine sicut corruptela in posterum abolita jurati sententiaverunt, quod etiam pro communi bono pauperum omni die judex et jurati cum necessitas exigit, possunt et debent panem, debitam quantitatem non habentem de mensis pistorum, vel alias ubi venditur, tollere et inter mendicos distribuere, et insuper pi-stores, si excedentes pro emendam septuaginta duorum parvorum denariorum vel graviorem vel minorem secundum quod decreverint ad servandum forum debitum coartare. (Item septuaginta duo parvi denarii faciunt sex grossos, pro quolibet enim grossῳ XII denarios computando.)<sup>1)</sup>

240. De emendis magistrorum operum mechanicorum. (H. 56<sup>a</sup>. D. 53<sup>b</sup>.) Jurati de Chrem-sir scripserunt sic: Quidam juratus magister pistorum in foro publice ad interrogationem judicis coram duabus scabinis fassus est, panem, qui vendebatur, nec debiti valoris nec debitae quantitatis esse. Postea vero in consilio, praesentibus omnibus scabinis, iterum ad interrogationem judicis, prima confessione affirmativa in negativam mutata, dixit: quod panis idem debiti valoris et debitae quantitatis esset. Judex vero non commune bonum, sed proprium quaerens lucrum pauperibus pistoribus violentiam inferre voluit. Quaerimus ergo qualiter praescriptus magister pistorum pro excessu præhabito sit corrigendus. Qui-

<sup>1)</sup> Fehlt in W.

bus responsum fuit, quod magister pistorum ab officio magisterii debet deponi, minquam ad ipsum in posterum assumendus. Cum enim verba propria primo pro favenda justitia coram scabinis prolata, postea scipsum mendacem constitens, mutaverit, per quod infamem se reddidit, sibi merito tamquam infamibus non debent patere de caetero ianuae dignitatum. Et insuper quod judicem verbis indecentibus in ruborem posuit, solvet judicii X talenta denariorum parvorum, hoc est secundum quemlibet primorum duorum juratorum, coram quibus in foro fassus fuit, quinque talenta gratiouse tamen, et si denariis caruerit, sex septimanis in cippo teneatur.

**241.** In emenda quandoque incidit pars tacens et verbis advocati. (II. 56<sup>b</sup>. A. 20. 14. B. 25<sup>a</sup>. 1. C. 10<sup>a</sup>. 10. D. 54<sup>a</sup>. 2. K. 144<sup>b</sup>. 9.) Bozkowicenses jurati scripserunt sic: Judaeum quendam pro equi arrestati disbrigatione christianum, quem statuere promiserat non statuens, judex quaesivit quare christianus non statuisset, cum ipsum tamen statuere promiserat, sicut jurati per judicem de hoc interrogati statim coram judicio publice testabantur. Prolocutor vero iudaci pro judaco respondens juratos arguendo dixit: quia judaeus minquam christianum statuere promisisset. Quaesivit ergo judex qualiter judaeus talem contumeliam juratis per suum prolocutorem coram judicio illatam debeat emendare. Super quo per juratos inventum fuit: ex quo tantum prolocutor iudaci juratos arguit, quamvis judaeus tacendo quodammodo in hoc consenserit, cum judex non quaeiverit a judaco, utrum hoc esset verbum suum, quod prolocutor ei dixerit, judaeus tamen emendam parvae contumaciae scilicet septuaginta duos denarios parvos judici solvere tenetur. Unde aliquis gravius exedit pro se loquendo, quam tacens in verba alterius consentiendo. Judex quoque sicut et partes tacendo potest negligere sua jura.

**242.** Qualiter emendabit, qui alium laedere voluit, sed non laesit. (A. 20. 15. B. 25<sup>b</sup>. 2. C. 10<sup>a</sup>. 11. D. 54<sup>b</sup>. 1. K. 144<sup>b</sup>. 1.) De antiqua Brunna jurati proposuerunt hunc casum. Albertus <sup>1)</sup> conquestus est de Marquardo <sup>2)</sup>, quod gladio evaginato ipsum vita sua privare voluisse, si manus ejus non effugisset. Marquardus vero cum iuramento innocentiam suam ostendere debebat in verbis caespitans cecidit iu jurando. Quaesiverunt ergo qualiter excessum hujusmodi emendare tam actori quam judici teneatur. Super quo

<sup>1)</sup> Arnoldus D. <sup>2)</sup> Martino D.

diffinitum fuit, quod quamvis secundum jus, quod alicubi servatur, ad quaerimoniam actoris motam solum de mala voluntate, et non malo facto reus non respondeat, tamen secundum jus Brunnense reus semper ad quaerimoniam actoris, quae non est temeraria, respondere debet. Unde in casu praedicto Marquardus, qui in juramento cecidit per intercessionem proborum virorum Albertum, qui praeces tales admittere debet, placatum habebit. Judici autem pro deviatione juramenti, si judicium fuerit peremptorium, quinque grossos, si autem non fuit peremptorium, tantum unum grossum solvet. Gladius etiam denu-datus cum emendis consuetis videlicet, quantum ad extractionem sexaginta, et quantum ad intrusionem similiter sexaginta parvorum denariorum ad judicem pertinebit. Et eodem modo emendabitur praedictus excessus, si per arbitros fuerit expeditus.

**243. De emendis vulnerum factorum non voluntarie.** (H. 57<sup>a</sup>. D. 54<sup>b</sup>. 2.) Dum in Clobuck quidam ebrius evaginato gladio per forum currens et lapides ac terram percutiens quandam mulierem in via ambulantem in pedem vulnerasset, et illa coram judicio de eo conquaeretur, ebrius respondens, quod non voluntarie hoc fecisset, petivit pro se sententiari. Cum tantum voluntarii excessus sint puniendi, utrum de emendis, quas judex ab eo requiret, non debeat merito supportari. Super quo diffinitum fuit, quod ebrius operam illicitae rei dedit, et mulieri vulneratae et judici ad emendas debitias obligatur. Unum circa hunc casum considerandum est, quod si aliquis non dans operam rei illicitae sicut carpentarius opus suum exercens pro dolabram, vel macellarius carnes in scanno suo in frustra dividens per securim, si talis aliquem accidentem casu et invite vulneret, sufficit, quod laeso placato de emendis judicis supportetur. Sicut enim deus peccata tantum punit voluntaria, sic judex temporalis emendas tantum de excessibus voluntariis recipere tenetur.

**244. De emendis vulnerum factorum per morsum canis.** (H. 57<sup>b</sup>. D. 55<sup>a</sup>. 1.) Homo in foro civitatis per canem morsus, canem eundem per caudam rapiens et cum eo pluries per girum se circumvolens, ipsum tandem ad terram perjecit, qui de terra resiliens mulierem quandam per forum transeuntem mordendo tribus vulneribus vulneravit. Quaeritur ergo utrum dictus homo statuendo canem a judice et muliere de emendis vulnerum debeat supportari. Et respondetur diffinitive, quod non per hoc enim, quod in loco communi sicut in foro, ubi populum transire vidit, canem ad modum circuli

multoties circumvexit, rei illicitae operam dedit: propter quod et judici componet et mulier de vulneribus satisfaciens in emendis.

245. Emendas judicis praecedere debet satisfactio laesi. (H. 57<sup>b</sup>. A. 20. 16. B. 25<sup>b</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 13. D. 55<sup>a</sup>. 2. K. 111<sup>b</sup>. 2.) Frequenter ad loca diversa sententiatum est, quod nec a prescripto, nec ab aliis quibuscumque de vulneribus vel criminibus accusatis judex emendas debet recipere, nisi prius laesis fuerit satisfactum per eosdem.

246. Si pro emendis pacatum fuerit pactum, stabit. (H. 57<sup>b</sup>. A. 20. 16. B. 25<sup>b</sup>. 3. C. 10<sup>a</sup>. 11. D. 55<sup>a</sup>. 3. K. 144<sup>b</sup>. 2.) Absente domino de Pisenez burggravius, cui vices suas comiserat, cum rustico quodam, qui excesserat pro duabus marcis pro emendis insolentiarum solvendis juratis praesentibus pacavit. Dominus autem veniens cum pactum rescindere vellet, quæsivit utrum hoc sibi facere liceat ipso jure. Super quo responsum est, quod non. Si enim in aliis burggravius vices domini supplevit, multo potius in emendis in quibus gratiosius et benignius est agendum, quicquid burggravius egit, dominus ratum habebit.

247. De emendis verborum. (H. 57<sup>b</sup>. D. 55<sup>a</sup>.) Quidam advena in Chremis veniens inter caetera euidam civi sic dixit: Mihi major est adhibenda credentia, ubi ego sum residens quam vobis hic in Chremis. Super quo sententiatum fuit, quod per hoc civi in Chremis non fuit in honorem detractum, quia ratione comparativi major intelligitur, quod magna sibi esset credentia adhibenda: tamen, quod vulgares tales intellectum verborum non ponderant, advena civem præcibus proborum virorum placabit judici LXXII parvos denarios solveus pro emenda.

248. De verbis coram judicio prolati. (H. 58<sup>a</sup>. D. 55<sup>b</sup>.) Quidam in Pisenez alteri coram judicio duobus antiquis juratis audientibus dixit: Tu es filius meretricis, fide fragus et mendax. Cui sententiatum fuit, quod eo præcibus placato judici duo talenta solvere teneretur et maxime pro eo, quia coram judicio quamvis jurati temporis illius non audiverint idem excessus fuit commissus. Item juratis de Wessel sententiatum est, quod qui coram judicio contestato juratis videntibus vel audientibus insolentias fecerit verbis vel factis pacem frangit, secundum hoc emendatur. Sed in consilio juratorum et eorum maniloquio pax non violatur. (Item sententiatum est, quod quicunque aliquem vulneraverit in præsentia juratorum vel ipsis videntibus solvet secundum quemlibet

juratui decem talenta. Qui cumque vero in praesentia juratorum gladios nudaverit vel cultellos et pugnaverit, quilibet solvat quinque libras pro quolibet jurato praesente.)

249. De emendis turpium verborum coram iuratis prolatorum extra judicium et consilium. (II. 58<sup>a</sup>. A. 20. 17. B. 25<sup>b</sup>. 4. C. 10<sup>a</sup>. 5. D. 55<sup>b</sup>. 2. K. 144<sup>b</sup>. 3.) Si contendentes se turpibus verbis invicem vituperarent jurato praesente et mandante, quod disciplinam servent, quilibet vituperantium quinque talenta pro emenda solvet. Jurato vero tacente sufficit, quod quilibet unum talentum det.

250. Qualiter emendabit, qui alium appellat haereticum. (H. 58<sup>a</sup>. A. 20. 17. B. 25<sup>b</sup>. 5. C. 10<sup>a</sup>. 16-17. D. 55<sup>b</sup>. 3. K. 144<sup>b</sup>. 4.) In Chremisir in consilio juratorum quidam rusticus canonicum dominum suum in ejus absentia haereticum appellavit sub his verbis: Domini jurati juvetis me, quod evadain dominum meum vilem haereticum. Super quo sententiatum fuit, quod X talenta denariorum parvorum, quia consilio non pepertit, pro emenda solvere tenetur de quibus tertia pars esset judicis et duae civitatis. Et notandum, quod quilibet fidelis vitium haeresis sibi impositum totis debet viribus reclamare. Unde si appellatus haereticus statim appellantem haereticum appellaret, propter hoc appellans poenam talionis vel emendam debitam non evadet.

Item in Gostel cum quidam debitor creditorem suum per probos viros in praesentia juratorum pro termino peteret et ille praeces recusaret, debitor indignanter dixit. Non plus rogetur de caetero, carius haberem cum haeretico disponere quam cum eo. Super quo diffinitum fuit, quia talis reverentiae juratorum non pepertit pro emenda talentum parvorum denariorum solvere tenetur.

251. Emendae perditionis holunge. (II. 58<sup>b</sup>. A. 20. 18. B. 25<sup>b</sup>. 6. C. 10<sup>a</sup>. 18. D. 56<sup>a</sup>. 1. K. 144<sup>b</sup>. 5.) Emenda perditionis holunge sunt XII parvi denarii, qui faciunt grossum Pragensem; et ista est minima emenda judicialis, et solvitur etiam omni tempore de juramento gratiose dimisso exceptis judiciis peremptoriis ubi juramenium emendatur cum sexaginta parvis.

252. De emendis verborum pertinacium menditii, depilationis et consimilibus. (II. 58<sup>a</sup>. A. 20. 19. B. 25<sup>b</sup>. 7. C. 10<sup>a</sup>. 19. D. 56<sup>a</sup>. 2. K. 144<sup>b</sup>. 6.) Cum in Wissaw simplex homo in unum de scabinis super debitorum solutione plenam rigore judicij esset justitiam executus,

et idem scabinus ultra terminum juris solutionem protraheret, iudex et jurati nuntium eorum ad hoc constitutum in domum scabinis mittentes, jusserunt homini praescripto de pignore provideri. Et cum praeco domum introisset, hospite in angulo latitante, uxor ejus praeconi dixit, quia absens esset. Ad quae verba praeco, sicut in praeceptis habuit, se non convertens, pignus in domo quaesivit, et tandem habitacula clausa rumpere volens, equum reperit in stabulo. Quem dum educere vellet, hospes clamore uxoris excitatus de latibulo exiliens, praeconem a tergo per capillos rapuit, ipsumque per capillos raptum ad terram projiciens pugnis juxta libitum verberavit.

Item dictus scabinus ex quaerela praeconis ad judicis et juratorum praesentiam vocatus respondet, dictam depilationem et verberationem libenter se fecisse, et si non fecisset adhuc facere vellet.

Item praenotatus scabinus cum officium scabinatus non regeret alium tunc temporis actu juratum, qui in quodam tractatu, quem simul ad invicem habebant, indecentia sibi dederat verba, mentiri dixit coram aliis suis conjuratis animo indignanti. Quaeritur ergo de emendis excessuum praescriptorum. Et respondetur quod pro quolibet trium praedictorum excessuum, placatis tamen prius instantinis praecibus proborum virorum laesis praecone, secum et jurato, scabinus qui excessit, solvit emendam X talentorum, hoc est in toto XXX talenta parvorum denariorum et licet forte pro excessibus similibus temperatior; in aliquibus sententiis scribitur emenda tamen in proposito inspectis personis actoris et rei et consideratis hincinde circumstantiis, quae ratione dolosae latitationis et pertinaciae contumacis excessus gravant, aucta est emenda praescripta.

253. De emendis juramentorum, quae fiunt etiam verbis. (H. 58. A. 20. 20. B. 25<sup>b</sup>. 8. C. 10<sup>a</sup>. 20-23. D. 56<sup>b</sup>. 1. K. 144<sup>b</sup>. 7.) Sententiatum est in Bisencz: Si jurans pro una summa pecuniae tria juramenta facere debuit et in uno ceciderit, in omnibus tribus judicatur cecidisse, et pro quolibet solvet judici; si tamen judicium non fuerit peremptorium duodecim denarios parvos, quos dabit pro emenda. Si autem quodlibet juramentum debuit fieri pro summa pecuniae speciali, tunc pro errore unius juramenti dictam emendam solvet judici et adversario obligabitur in pecunia pro qua idem fieri debuit juramentum. Si autem mettertius jurare debuit, et unus illorum trium in juramento deviaverit, licet totam causam perdat,

tamen judici tantum pro deviatione unius juramenti satisfaciet in emenda.

254. De juramenti formatione, (H. 59<sup>a</sup>. A. 20. 20.B. 25<sup>b</sup>. 8. C. 10<sup>a</sup>. 23.D 56<sup>b</sup>. 2. K. 144<sup>b</sup>. 7.) Sententiatum est in judicio civitatis: Si jurare debens coram judicio debitam formam juramenti servaverit, quamvis nec ipse nec advocatus antequam juret coram juratis formam juramenti recitaverit, tunc ex hoc nec causam perdit, nec ad emendam judici obligatur.

255. De digitis cruci supponendis et deponeandis. (H. 59<sup>a</sup>. A. 20. 20. B. 25<sup>b</sup>. 8. C. 10<sup>b</sup>. 1. D. 56<sup>b</sup>. 3. K. 144<sup>b</sup>. 7.) Digitos ante juramentum sine licentia judicis cruci superponens, vel facto juramento eos depouens licet causam ex hoc non amittat, tamen judici solvet XII parvos denarios pro emenda.

256. De emendis juramentorum in genere et aliis pluribus circa jurantem et illum, cui juratur et judicem considerandis ut hic in praesenti. (H. 59<sup>a</sup>. A. 20. 21. B. 25<sup>b</sup>. 8. C. 10<sup>b</sup>. 2—6. D. 56<sup>b</sup>. 4. K. 145<sup>a</sup>. 1.) Rusticis de Nicolezicz sententiata sunt subscripta. Primo quod de juramento remisso in simplici judicio solvuntur judici duodecim halenses. Sed in judicio peremtorio LX halenses. Item si jurans bene jurat, formam non corrumpendo absolutus est a judice et actore. Si autem formam corripuit actori in causa et judici obligatur etiam in emenda, secundum causae merita taxanda. Et similiter si a placitis et juramentis per amicabilem compositionem receditur judex emendas debitas consequetur. Item si jurare debens ad instantiam actoris et praeces interpositas supportari non vult, nisi juret, permittendus est jurare. Item si videtur judici, quod per collusionem inter actorem et reum super causae compositione factam reus de juramentis supportetur, ambos ad juramentum potest compellere, quod in fraudem emendarum suarum occulite non sit inter eos compositio ordinata. Et si ambo vel unus eorum sic jurando in forma deviat, tunc jurati ex fama personarum jurantium et ex causae circumstantiis ceterisque annexis emergentibus et incidentibus, super causae praedictione et emendarum solutione cum diligentia cogitabunt. Item juramentum faciendum remitti non potest, nisi obtenta super eo licentia judicis speciali. Item si jurare debens in agone constitutus fuerit, licet prae debilitate formam corrumpat in causa non cadit, si tamen tempore sanitatis homo bonae conscientiae et honestae famae judicatur fuisse.

257. De emendis injustae mensurae et ponderis. (H. 59. A. 20. 22. B. 26<sup>a</sup>. 1. C. 10<sup>b</sup>. 7. D. 57<sup>a</sup>. 1. K. 145<sup>b</sup>. 2.) Mercatores et pannifices civitatis proposuerunt in consilio, quod panni falsi et mensuram non habentes debitum per mercatores oppidorum episcopatus frequenter in Auspiez ad forum ducantur et cum ipsi petant per judicem et juratos hoc intercipi dicant, quia nesciant qualiter punire delinant taliter delinquentes. Scriptum fuit igitur judici et juratibus de Auspiez, quod secundum jura civitatis Brunneensis pannus falsis criminibus infectus est cremandus. Pannus vero debitam mensuram vel latitudinis vel longitudinis non habens non crematur, sed vendor ejus judici quinque talenta solvet pro emenda ut superius in juribus originalibus habetur.

258. De emendis ad idem. (H. 59<sup>b</sup>. A. 20. 22. B. 26<sup>a</sup>. I. C. 10<sup>b</sup>. 7. D. 57<sup>a</sup>. 2. K. 145<sup>a</sup>. 2.) Quia vero crescente contumacia et excessu crescere debet et poena, senioribus civitatis statutum est ab antiquo, quod pro prima vice judici pro emenda solvenda sunt praescripta quinque talenta, qui faciunt centum grossos Pragenses. Secunda vero vice quicunque inventus et detenus fuerit cum injusta mensura frumenti, injusto pondere vel injusta ulna solvet pro emenda duas marcas dictorum grossorum. Tertia vero vice similiter excedens manu truncetur vel redimat ipsam cum decem marcis, de quibus emendis pro secunda et tertia vice solvendis duae partes cedunt judici et tertia civitati.

259. Ad idem de emendis ponderis et librae. (H. 60<sup>a</sup>. A. 20. 23. B. 26<sup>a</sup>. I. C. 10<sup>b</sup>. 8. D. 57<sup>b</sup>. 1. K. 145<sup>a</sup>. 2.) Pondus lapideum unum tantum lapidem continere debet, et si est nimis levis, per additionem minoris lapidis non potest se aliquis de injusto pondere sine suspiciose excusare. Cum enim lapides non sint cari et rari semper potest homo lapidem querere, qui sine additione alterius contineat pondus verum.

260. De emendis segetum, graminum silvarum et lignorum. (H. 60<sup>a</sup>. A. 20. 24. B. 26<sup>a</sup>. 2. C. 10<sup>b</sup>. 9—14. D. 57<sup>b</sup>. 2. K. 145<sup>a</sup>. 3.) Quicunque manipulos vel segetes quarumcunque frugum in agro alterius violenter et furto receperit tempore diurno, domino segetum solvet fertonem et judici dimidiua fertonem. Sed noctis tempore, quicunque in actu tali deprehensus fuerit, condemnabitur poena furti. Item quicunque in agris et segetibus suis aliena pecora captivaverit, de quolibet pede unum denarium recipiet pro emenda.

Item quicunque raptus fuerit in prato alterius cum pondere graminum dici vel noctis tempore, sine plagis et verberibus per judicem a civitate repellatur, infra annum non reversurus. Si autem in equo aliquis gramine de prato alterius deduxerit, domino prati dimidium florenum, judici unum lotonem pro emenda solvet. Item quicunque alteri de silva sua fustes et virgas eduxerit in curru dato etiam, quod unus equus vel bos currum trahat, solvet domino silvae dimidium florenum. Si vero majora ligna, quam fustes sunt, eduxerit, tunc postea quemlibet stipitem vel truncum ligni septuaginta duobus denariis parvis solvet domino silvae. Judici autem, si quaerimonia ad ipsum pervenerit, et reus convictus fuerit, satisfaciet secundum consilium juratorum. Item quidam in Hainrichs<sup>1)</sup> receperat de die in campo alterius violenter duo capecia silihinis et sententiatur ut spoliator condemnari: si tamen capecia valuerunt LX parvos<sup>2)</sup>.

261. Emendae non variantur secundum variationem judicum. (H. 60<sup>a</sup>. A. 20. 25. B. 26<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>b</sup>. 14. D. 57<sup>b</sup>. 3. K. 145<sup>b</sup>. 5.) Emendae secundum causarum et excessuum variationem in gravitate et levitate diversificantur et non secundum judicum variationem. Unde sive dominus sive judex ejus quantumcumque simplex sit persona judicio praesideat, semper idem excessus eadem emenda punietur. Sic sententiatum est juratis in Redisch<sup>3)</sup>.

262. Qualiter emendabit, qui vocatus per judicem venire contemnit. (H. 60. A. 20. 26. B. 26<sup>a</sup>. 3. C. 10<sup>b</sup>. 15—19. D. 58<sup>a</sup>. 1. K. 145<sup>b</sup>. 5.) Cum in persona judicis vices regis supplantis rex sit honorandus, sententiatum est in Chremisir: si judex administrus in praesentia unius jurati ad quaerimoniam actoris per nuntium suum reum vocaverit, et ille prima vice non venerit, duodecim parvos, secunda vice viginti quatuor parvos denarios, tertia vice triginta sex parvos, hoc est in toto septuaginta duos parvos denarios solvet pro emenda. Et insuper tertia vice vocatus, si quaerimonia fuit civilis, tanquam captivus ad praesentiam judicis per ejus familiam est ducendus. Si autem quaerimonia fuit criminalis seu de vulneribus et insolentiis, tuac statim in cippo pernoctabit in crastino quaerimoniam actoris audituras. Quicum-

<sup>1)</sup> H. weicht ab: Si aliquis violenter de die in campo. <sup>2)</sup> Halenses D. <sup>3)</sup> fehlt in D.

que vero emendam praeceptum semel solverit, et postea alio tempore ad primum judicis vocationem non venerit, emendam LXXII parvorum solvens vel ad praesentiam judicis vel ad cippum ducatur, sicut superius est expressum. Insuper qui ad primum vocationem judicis indignanter et contemptive venire contradixerit, incidit statim in emendam LXXII parvorum et ad praesentiam judicis ducatur ut captivus.

263. Qualiter emendabit violans judicis interdictum. (H. 60<sup>b</sup>. A. 20. 27. B. 26<sup>b</sup>. 1. C. 10<sup>b</sup>. 19. D. 58<sup>a</sup>. 2. K. 146<sup>a</sup>. 1.) Si index de consilio juratorum sub emenda nominata aliquid interdicit vel servari praecepit, tale interdictum seu praeceptum violans emendam solvat eandem. Si autem interdicit, inhibet vel praecepit absolute non sub emenda determinata, tunc violans interdictum vel praeceptum in parvis et levibus dumtaxat factis et honestis sufficit, quod emendam contumaciae minoris, scilicet septuaginta duos parvos denarios judici solvat.

264. Emenda non probantis invasionem domus. (H. 60<sup>b</sup>. A. 20. 28. B. 26<sup>b</sup>. 2. C. 11<sup>a</sup>. 2. D. 58<sup>a</sup>. 3. K. 146<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est juratis in Bisenz, quod invasionis dominus duplex est. Quaedam major sicut, quae continet excessus verborum et factorum videlicet gravium vulnerum, quae demonstrantur vulgariter dicendo „myt zu hauner tyer und mit blutigen flecz.“ Et si talem quaerimoniam invasionis actor testibus comprobare non poterit, judici duo talenta et civitati unum talentum persolvet, sicut dicunt jura civitatis. Alia autem est invasionis dominus major, quae sit sine vulneribus, solum forte per verba, pro eiusquaerimonia per testes non demonstrata, si tamen actor ad talem demonstrationem se obligaverit, sufficit, quod septuaginta duos parvos denarios solvet pro emenda.

265. De emenda depilationis et percussionis factae ad effusionem sanguinis vel trusi taliter. (H. 60<sup>b</sup>. A. 20. 29. B. 26<sup>b</sup>. 3. C. 11<sup>a</sup>. 4. D. 58<sup>b</sup>. 1. K. 146<sup>a</sup>. 4.) Jurati de Bisenz scripserunt sic: Famulo eiusdem nostri concivis cum quodam altero famulo se depilante, ipse civis in adjutorium famuli sui alium depilavit, et manu clauso usque ad effusionem sanguinis in faciem percussit. Quaerimus ergo de emenda tam judici, quam actori persolvenda. Quibus rescriptum fuit, quod pro depilatione judici quinque grossos et depilato totidem, pro percussione vero judici decem et percusso viginti grossorum pragensium pro emenda sunt solvenda.

266. De emenda percussi cum gladio non evaginato. (H. 60<sup>a</sup>. A. 20. 29. B. 26<sup>b</sup>. 3. C. 11<sup>a</sup>. 5. D. 58<sup>b</sup>. 2. K. 146<sup>a</sup>. 4.) Percussio facta cum gladio non evaginato emendabitur tripliciter secundum triplices personas, de quibus superius scribitur juribus originalibus circa finem in rubrica de fustigatione.

267. De emendis plagarum vulgariter dictarum „blabschleg.“ (H. 61<sup>a</sup>. 20. 29. B. 26<sup>b</sup>. 4. C. 11<sup>a</sup>. 6. D. 58<sup>b</sup>. 3. K. 146<sup>a</sup>. 4.) Sententiatum est in Chremisir, quod plaga, quae signum flaveum in cute hominis sub vestibus ostendit, judici solvitur talentum et percuesso duo; et quod sunt plagae numero totiens, solvitur emenda praedicta.

268. De emenda excussionis dentis. (H. 61<sup>a</sup>. A. 20. 29. B. 26<sup>b</sup>. 4. C. 11<sup>a</sup>. 7. D. 58<sup>b</sup>. 4. K. 146<sup>a</sup>. 4.) Dens dicitur membrum minus nobile. Unde excussio dentis unius emendatur et judicatur, sic scribitur in juribus originalibus paragrapho: Quicumque amputaverit alteri digitum etc. Et si plures dentes sunt excussi, aequipolleat pluribus digitis amputatis.

269. De emenda membrorum nobilem. (H. 61<sup>a</sup>. A. 20. 30-31. B. 26<sup>b</sup>. 5-8. C. 11<sup>a</sup>. 7-8. D. 58<sup>b</sup>. 5. K. 148<sup>a</sup>. 2-3.) In juribus originalibus scribitur: Si quis civium alicui manum amputaverit, vel pedem aut nasum aut aliquod membrum nobile abstulerit, judici pro poena quinque talenta solvet et passo damnum componet. Ista V talenta et comparsitio damni ab antiquo ad X marcas sunt taxata, de quibus VII laeso, judici II et civitati una cedunt.

Emenda homicidii ex diversorum locorum consuetudine sunt XXX marcae; ponderatum est a prudentibus, quod pro truncatione nobilis membra, tamquam pro tertia parte corporis decem marcae in emendam debitae persolvantur. De ista sententia jurati de Crumlaw ad requisitionem domini de Lippa modo praedicto viva voce sunt instructi.

270. De emenda se ipsum mutilantis. (H. 61<sup>a</sup>. A. 20. 32. B. 26<sup>b</sup>. 9. C. 11<sup>a</sup>. 9. D. 59<sup>a</sup>. 1. K. 148<sup>a</sup>. 3.) Dum quidam lusor taxillorum ludendo pecuniam perdidisset, instigante diabolo, scipsum voluntarie digitum amputavit. Judex ergo civitatis eundem capiens a juratis suis sibi sententialiter inveniri petivit, qualiter esset pro excessu hujusmodi puniendus. Super quo diffinitum fuit, quod homo taliter excedens, tamquam desperatus et nulli bonus, cum sibi ipsi sit malus, a consortio bonorum est merito repellendus. Unde talis a civitate excludatur nunquam ad ipsam, sub poena capitinis, quamdiu vixerit

reversurus; et in tali emenda est judici satisfactum. Siue enim iure canonico homo scipsum interficiens cum fidelibus sepeliri non permittitur, sic juri seculari homo scipsum mutilans habitate cum suis concivibus rationabiliter prohibetur.

**271.** Quod emendae legitime mulieris sunt tantum tres obuli. (II. 61<sup>a</sup>. A. 20. 33. B. 26<sup>b</sup>. 10. C. 11<sup>a</sup>. 10. D. 59<sup>a</sup>. 2. K. 148<sup>a</sup>. 4.) Cives de Bisenez proponerunt ore tenus, quod uxor ejusdam concivis eorum coram judice conquesta fuisset de quodam, quod sex grossos pragenses sibi de bursa subtraxisset et de hoc vellet eum vincere forma juris. Illo itaque capto, cum terminus juris, in quo convinci debebat, instaret, comparuit uxor praedicta dicens, quod ipsum convincere nollet, quia dictos sex grossos in quodam loco, in quo eos servaverat, invenisset. Quaerit ergo judex, in qua emenda eadem uxor vel ejus maritus sibi teneatur, et respondetur definitivè: quod maritus, quia causam uxorius sibi non assumpserat, ad nullam emendam tenetur. Uxor autem, quia bonorum non est domina, non potest marito de bonis suis plus deplacitare vel judicialiter perdere, quam ad valorem trium obulorum: quos si judex vult recipere, maritus loco uxorius ipsos sibi solvet pro emenda. Infamato vero sufficiat pro emenda, quod uxor in mendacio permanebit.

**272.** De emendis in genere quanta pars cedat judici et quanta civitati. (A. 20. 34—46. B. 26<sup>b</sup>. 11—27<sup>a</sup>. 4. C. 11<sup>a</sup>. 4—11<sup>b</sup>. 6. D. 59<sup>a</sup>. 3. K. 148<sup>a</sup>. 5—148<sup>b</sup>. 6.) Ut civitas non fraudetur emendis in ejus reformationem convertendis, nec judici in his, qui sibi credere debent, fiat injuria, ex privilegiis civitatis hincinde collecta sunt subscripta. Qui pro homicidio proscriptus fuerit, finito anno et die nequam civitatem intrabit, donec marcam grossorem civitati assignet; et in bonis proscripti, quae reliquerit, judex tertiam, actores tertiam, et uxor et liberi praescripti tertiam habent partem: uxore vero et liberis non existentibus eadem tertia pars per consilium civitatis recipiatur, in ecclesiarum et viarum reformationem convertenda.

Item si pro emenda homicidii solvuntur XXX marcae, in illis, actores habent tertiam, judex tertiam, et civitas similiter tertiam partem.

Item si pro amputatione manus, pedis vel alterius nobilis magni membra pro emenda dantur decem marcae, de illis actor tollat septem, judex duas, civitas unam.

Item quicunque proscriptus fuerit pro vulneribus et raptus

in civitate de introitu domus X talenta<sup>1)</sup> et de exitu X persolves pro emenda, hoc est VI sexagenas et XL grossos, in quibus actor tertiam, judex tertiam et civitas tertiam, habet partem.

Item qui ad pugnam tenso, arcu vel balista accurrerit, judici LX gr. et civitati LX gross.

Item quicumque die forensi per homines forenses convictus fuerit, quod ad malum alterius gladium suum evaginaverit, judici solvet XL grossorum, et civitati LX, et si denariis caruerit, manus ejus perforetur cultello; et in tali casu civitas plus habet quam judex, quia major sit verecundia civitatis in excessibus forensibus, quam judici.

Item qui sententiam a juratis juste latam contumaciter arguere praesumpserit, solvet pro emenda decem marcas, de quibus tertia pars cedat judici et duae civitati. Et hic iterum civitas plus habet quam judex, cum plus excedatur contra consilium civitatis in hoc casu, quam contra judicem. Et est bene nota nō tam cum dicitur, quod sententiam juste latam contumaciter arguere praesumpserit etc., quia a sententia injusta imo etiam justa cum moderamine verborum disciplina servata et licentia rogata fortassis sine emenda est licitum provocare, alioquin metu emendae litigantes non præsumerent ad majorem audientiam appellare. Et debet dicta emenda solvi ab illis, qui appellant in judicio famoso, sicut in aliqua civitate, ubi habetur copia sapientum: pauperes autem et simplices in judiciis villarum litigantes si appellaverint contumaciter a sententia justa, secundum numerum juratorum illius judicii pro quolibet jurato solvent LXXII parvos halenses et si arguens pecuniam non haberet, lingua perdat.

Item si pro falso testimonio vel blasphemia C grossi solvantur, in illis habet civitas tertiam partem, et solvit ista emenda pro blasphemia in loco privato et perjurio levis causae; sed pro blasphemia et falso testimonio solemniter factis, solvit major emenda.

Item si advena in civitate moritur intestatus, ejus bona cives anno et die servabunt et si interim nullus de propinquis sociis mortui ea petierit, tertia pars dabitur pre anima defuncti, tertia cedet judici, et tertia convertetur in usum civitatis.

Item cum ignis in domo alicujus<sup>2)</sup> civis Brunensis sit exortus, solvet unam marcam grossorum pro emenda, quae medietas pertinet ad civitatem, et residua pars ad judicem, prout fuit ab antiquo.

<sup>1)</sup> Halenses. D. <sup>2)</sup> Ist in H. am Rande angemerkt, etwas abweichend von D.

Item qui cum injusta ulna, pondere et mensura prima vice raptus fuerit, solvet judici centum grossos, secunda vero vice si raptus fuerit duas marcas, tertia vice decem marcas. Prima vice emenda est solius judicis, sed secunda vel tertia vice cedens est pro tertia parte civitatis, sed aliae duae partes ad judicem pertinebunt; exceptis institutoribus, quibus de novo praecipuum est, quod sub poena C grossorum dent ementibus piper, erucum vel consimilia pondus librae, sub quo pondere etiam ipsi tales res enunt, et non pondus marcae; et in eisdem centum grossis judex habet tantum tertiam partem. Aurum vero et gemmæ atque margaritas et res consimiles, quae sub pondere marcae vendi consueverunt, institores de cætero per lotonem vendere poterunt sub eodem pondere sine poena.

Item pro opera homicidii, quod vulgariter volta ist dicitur, dabitur actori marca, judici ferto et civitati ferto grossorum.

Item qui alium impedit pro gravi invasione domus, in qua vulnera sunt commissa, et quaerimoniam suam per testes demonstrare non potest, solvet judici XL grossos et civitati XX. Pro minori vero invasione domus, in qua verba sunt commissa, si actor in causa cadit, LXXII halenses solvet.

**273. Minor invasio domus sic emendetur.** (H. 62<sup>b</sup>. A. 20. 45. C. 11<sup>b</sup>. 6-7. D. 59<sup>b</sup>.) Sententiatum est in Auspicez, quod quicumque per invasionem domus, in quo vulnera non sunt commissa, quod minor invasio appellatur, testibus sicut jus requirit, accusatur et per eosdem juris forma est convictus, manus ejus amputetur, vel eam decem marcis redimat et exsolvat. Gratia tamen secundum casus exigentiam mediante.

Item aliac emendae, quae ab antiquo super statutis factis positae sunt vel superfiendis in futuro statuentur, quae „g-e-machte wandel“ vulgo dicuntur: in illis sicut et in emendis, quae in privilegiis civitatis specifice non sunt expressae, judex habet tantum tertiam partem et civitas duas partes, si tamen judex eisdem statutis curam adhibet diligentem. Et notandum, quod quidquid cedit de novitiis de novo jus civitatis obtinentibus, hoc solius est civitatis, quia non est emenda. Est tamen rationabile, quod novitus in testimonium adventus sui pro eo quod vulgariter „Urkund“ dicitur, duos judici det halenses, cum emendae coincident cum poenis. Ideo quod hic est minus, quaere infra de poenis.

## Capitulum de emtionibus.

**274.** De emtionibus et venditionibus in genere. (H. 63<sup>a</sup>. A. 21. 1. B. 27<sup>b</sup>. 1. C. 11<sup>b</sup>. 8. D. 60<sup>b</sup>. 1. K. 150<sup>a</sup>. 1.) Dum Heinricus res suas per Conradum ad forum, venditionis causa misisset, Petrus accidentis Heinricum domi res easdem ab ipso emtionis titulo comparavit. Paulus autem in foro publico, nescius emtionis Petri, dictas res emens a Conrado quaequivit, cum causa pervenisset ad judicium, utrum ejus emtio non esset emtioni Petri rationabiliter praefferenda. Petrus autem pro se sententiari petivit, cum ipsae res ab earum domino scilicet ab Heinrico comparavit, utrum sibi merito non debeant remanere. Licet res fuerint Heinrici, tamen, quia potestatem res eas in foro vendendi, tradidit Conrado, quidquid per Conradum medio tempore, quo dicta potestas apud eum residebat, in foro factum est, hoc Heinricus de jure non poterit revocare.

**275.** De emtionibus et venditionibus rerum a non veris dominis factis. (H. 63. A. 21. 2. B. 27<sup>b</sup>. 1. C. 11<sup>b</sup>. 9. D. 60<sup>b</sup>. 2. K. 150<sup>a</sup>. 1.) Ad interrogationem juratorum de Galicz sententiatum est: Si quis a non vero domino, quem dominum esse credebat, fundum emerit, vel ex donatione, vel ex alia justa causa qualibet bona fide acceperit, placuit naturali ratione fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura et cura. Et ideo, si postea dominus supervenerit et fundum vindicet, de fructibus ab eo consuntis agere non potest; si ei vero, qui sciens fundum alienum possederit, non idem concessum est: itaque etiam fructus cum fundo licet consumti sint, cogitur restituere.

**276.** Vendens rem venditam ab impetratoribus disbrigabit. (H. 63<sup>a</sup>. A. 21. 4. B. 27<sup>b</sup>. 1. C. 11<sup>b</sup>. 11. D. 60<sup>b</sup>. 4. K. 150<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est juratis in Hulein, quod venditor equi, vaccae vel alterius rei tenetur rem eandem emtori, quamvis etiam hoc in emendo non exceperit, vel specialem mentionem de hoc non fecerit, ab impetratoribus disbrigare: alioquin se suspectum reddit, quod rem homini, non sicut homo bonae fidei, sed sicut fur sive latro possederit.

**277.** Utrum uxor vel familia domini possit res ejus vendere. (H. 63. A. 21. 4. B. 27<sup>b</sup>. 1. C. 11<sup>b</sup>. 11. D. 60<sup>b</sup>. 4. K. 150<sup>a</sup>. 1.) Si uxor mariti vel famulus res domini eo ignorantie vendiderit, dominus venditionem, si ipsam ratam habere noluerit, revocabit, nec emtor videntem, quod

de re tali cum potentem faciat, cum venditio nulla fuerit, compellere poterit via juris.

278. De emtione eorum dictorum „hertschlechtig vnd ruzig.“ (H. 63, A. 21, 5, B. 27<sup>b</sup>, 1, C. 11<sup>b</sup>, 12, D. 61<sup>a</sup>, 1, K. 150<sup>b</sup>, 1.) Antiquum et commune jus habet, quod ratione duorum defectuum, quorum unus dicitur vulgariter „hertschlechtig“ et alter „ruzig“ venditor infra triduum ab emtore equum sibi reassignetum sine contradictione debet recipere, et praetium venditionis eidem restituere vice versa.

279. De emtionibus et venditionibus agrorum. (H. 63<sup>b</sup>, A. 21, 6, B. 27<sup>b</sup>, 1, C. 11<sup>b</sup>, 13, D. 61<sup>a</sup>, 2, K. 150<sup>b</sup>, 1.) Petrus vendidit agrum Paulo et interim ager seminatus fuit cum tritico, quod triticum Petrus non excepit, nee Paulus ipsum triticum emtioni inclusit. Modo quaeritur, cujus sit triticum, cum neuter ipsorum venditionis tempore de ipso fecerit mentionem. Super quo diffinitum est, quod triticum est venditoris, qui ipsum seminavit. Seus autem esset, si cabella venderetur impregnata; talem enim emtor, quia poledrus in utero cabellae existens sine labore venditoris ibidem conceptus esset, merito assequeretur, oculis etiam talis poledrus videri non potuit, quando cabella vendebaratur.

280. De emtionibus et venditionibus domorum. (H. 63<sup>b</sup>, A. 21, 7, B. 27<sup>b</sup>, 1, C. 11<sup>b</sup>, 14, D. 61<sup>a</sup>, 3, K. 150<sup>b</sup>, 2.) Postquam Hainlinus Leonis civis hujus civitatis Alberto cum russi finibus (sic) etiam civi Brunnenensi<sup>1)</sup> domum suam pro centum marcis vendidisset, et denarium, qui vulgariter „goezphenig“ dicitur, qui omnem contractum fori ratificat, venditionis testimonium ab eo recepisset, et Albertus stabula et alia piora aedificia voluntati sueae displicentia de curia domus ejusdem rumpens eduxisset, Hainlinus ductus poenitentia in consilio coram juratis denarium praedictum vulgariter „urkund“ dictum, qui forum stabiliverat, ipsi Conrado restituens venditionem, quam ratam et gratam se nolle habere dicebat, publice revocabat, petens sibi sententialiter inveniri, utrum Albertus aedificia rupta reformare vel eorum valorem in prompta pecunia sibi non refundere de-

<sup>1)</sup> Fehlt in D, dort bloss Heinricus et Conradus Alberto cum russis finibus?

beret. Ad quod Albertus praescripto recepto denario respondit : quod empta rationabiliter dicta domo, aedificia in ea sibi non competentia tamquam sua propria et non tamquam aedificia Heinrici fregerit, et si illa re aedificare , vel hoc cum denariis solvere deberet viceversa secundum justitiam promptus esset. Super quo diffinitum fuit, cum retractio fori per Heinricum et non per Conradum facta fuerit et cum Conradus aedificia eo tempore, quo domus sua fuerit et in ejus potestate stetit, ruperit nec ea tenetur restituere, nec Heinrico aliqualiter cum pecunia resarcire.

281. Quod non licet subsidi partem hereditatis vendere. (*Ibid.*) Licet subses et emphiteota totam hereditatem, quam habet sub domino simul vendere possit, tamen hereditatem dividere et partem ejus sicut exempli gratia, unum agrum de pluribus agris ad laueum spectantibus sibi vendere non licet, nisi de licentia domini speciali.

282. De emtione et venditione sententiae plures. (II. 64. A. 21. 8. B. 27<sup>b</sup>. 1. C. 12<sup>a</sup>. 1. D. 61<sup>b</sup>. 1. K. 180<sup>b</sup>. 2.) Diversorum locorum juratis sententiata sunt subscripta. Primo quod emptio sine pretio esse non potest, et quod certum pretium esse debet. Item quod in emtionibus et venditionibus taciturnitas obest, sicut dicitur de cohaeredibus, qui praesentes passi sunt unum cohaeredem totam hereditatem vendere et pretium accipere; nam et ipsi videntur suas partes vendidisse. Unde patientia sine contradictione, sine scientia pro consensu accipitur. Item aliud est vendere, aliud vendenti consentire: sicut si vendam tibi rem aliquam, et evincentur, teneor de evictis etiam si non promissi; si autem vendenti consentiam, non teneor de evictis nisi praetium accipiam. Item si post emtionem fundo aliquid per alluvionem accessit, ad emtoris commodum pertinet, nam et commodum ejus esse debet, cuius est periculum.

### Capitulum de emphiteusi.

283. De jure venditionis, quod vulgariter dicitur „purchrecht.“ (II. 64. A. 22. 1.—2. B. 28<sup>a</sup>. 1. C. 12<sup>a</sup>. 3.—9. D. 61<sup>b</sup>. 2. K. 151<sup>a</sup>.—<sup>b</sup>. 2.) Emphiteosis propriam habet naturam contractus, neque ad locationem neque ad venditionem inclinantem, sed suis paentionibus fulciendam. Item in emphiteosi si aliquid pactum fuerit, hoc ita valet acsi naturalis esset contractus. Item in emphiteosi si nihil de peri-

culo rei fuerit pactum, tunc si totius rei interitus accesserit, ad dominium redundabit periculum; sed si particularis scilicet medietatis vel minus, ad emphiteotam hujusmodi damnum pertinebit. Item emphiteosis græccelatine dicitur melioratio, quia olim tantum vilia dabantur in emphiteosim, ut meliorarentur.

Duo non naturalia sive tacita pacta sunt in hoc contractu scilicet in dejiciendo emphiteotam si non solverit per triennium pensionem; et secundum, si velit emphiteota vendere, quod primo domino denuntiare debet. Item emphiteota utile dominium, quod solum habet, transferre potest in alium, quia rei venditae utilis actio sibi datur.

**284. Differentia est inter emphiteosis locationem et conductionem.** (H. 64. A. 22. 3. 4. B. 28<sup>a</sup>. 1. C. 12<sup>a</sup>. 9.—10. D. 62<sup>a</sup>. 2. K. 151<sup>b</sup>. 1.) Emphiteosis differt a locatione primo: quia hic et in pecunia et etiam in specie praestatur pensio, sed in locatione tantum in pecunia; secundo: quia iste possidet naturaliter sicut fructarius, sed conductor non; tertio: quia emphiteota habet dominium utile, sed conductor non; quarto: quia contractus emphiteoticus fit in immobilibus tantum, sed ille etiam in mobilibus; quinto: quia conductio est contractus juris civilis, sed emphiteosis juris naturalis, id est, juris gentium, quod naturali ratione est inductum; sexto: quia conductio fit in scriptura, sed alter contractus non. Item emphiteosis differt a venditione, quia hic praestatur pensio, sed in venditione res libere transit. Item ab hac receditur, sed ab emphiteosi non. Item hic utile dominium transit, ibi directum per traditionem. Emphiteosis fit quando praedia perpetuo quibusdam fruenda traduntur, quamdiu pensio sive redditus pro his domino praestatur; neque ipsi conductori neque heredi ejus, cui vel conductor vel heres ejus ea praedia vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, vel aliquando alienaverit, auferre liceat.

**285. De his quae sequuntur venditionem.** (H. 64<sup>a</sup>. A. 21. 9. 10. B. 28<sup>a</sup>.—27<sup>b</sup>. 2. C. 12<sup>a</sup>. 11.—<sup>b</sup>. 2. D. 62<sup>a</sup>. 2. K. 150<sup>b</sup>. 3.) Saepius diffinitum est, quod vendita domo quidquid clavis affixum est pertinet ad emtorem. Ligna vero cellariorum vulgariter dicta „cottiner“ formae, quibus panes vel casei supraponuntur, mensae coquinarum, in quibus olera secuntur, membranae, quae fenestris quandoque propter aeris intemperiem ad tempus apponuntur, et iterum deponuntur. Picturae continarum vel tabularum in parietibus appensae vel suspensae vel super lectos dormientium affixae, et his similia

nisi aliqua non affixa nominatim emantur, remanent venditori. Etiam si servus domini jussu in demonstrandis finibus agri venditi vel errore vel dolo plus demonstraverit, id tantum oportet accipi demonstratum, quod dominus senserit. Qui fundum vendit, cui etiam aquam accessoriam dicit, debet etiam iter ad aquam hauriendam emtori tradere.

Cum servum dominus rem vendere certae personae jusserrit, si alius vendiderit, quam cui jesus erat venditio, non valet, cum profici venditio non potuit in ejus persona cui dominus rem vendi noluit.

Si pignora vendantur per creditores, auctoritate judicis cessat actio revicto emta sed si dolo rem viliore praetio projecerint tunc de dolo actio datur adversus eos domino rei. Etiam, si per imprudentiam judicis aut errorem emtor rei victus est, negamus venditoris damnum esse debere; injuria enim, quae fit emtori, venditorem non debet contingere, nisi ipsem et venditor evinceret. Et similiter, si ab alio quam a judice emtor fiat injuria, ut si vi expellitur a possessione, hoc venditorem non respicit. Etiam, si quid a te emi et alteri vendidi, voluntate mea eidem tradideris, de evictione te mihi teneri, sicut si acceptam rem tradidisse ei, justum est. Si rem meam quae apud te est, tibi vendidero, quia pro tradita habetur, evictionis nomine obligabor.

286. De emtoris et venditoris periculo et commmodo. (II. 65<sup>a</sup>. D. 62<sup>b</sup>.) Cum Ulricus de Wissaw cuidam homini de episcopatu Olomucensi vina vendidisset, ut illa vina in cellario Ulrici tamdiu jacere promisisset, quod plus saporem aceti quam vini conceperent; sententiatum fuit in consilio civitatis, si vinum venditum acuerit, vel quicquid aliud vitii sustinuerit, emtoris erit damnum, sicut si vinum esset effusum, vel vasis perforatis vel ligaturis ruptis, vel ex quavis ulla causa: sed si venditor periculo se subjicit, usque in illud tempus periculum sustinebit, quamdiu se subjicit. Sed si non designavit, tempus tamen periculum sustinere debet, quo usque degustetur vinum, quasi tunc plenissime venditum sit quando fuerit degustatum: et similiter est in ceteris rebus, quae degustationem exigunt. Sed si vina nondum sunt gustata, sed tantum vasa ab emtore signata sunt vel sigillata ob hoc praecepit ne liquor alias infundatur adhuc periculum est venditoris, nisi aliud inter ipsum et emtorem convenerit: vasis enim signatis dicta de causa, ne vinum vicietur per infusionem non propter hoc tradita sunt vina. Item rei mensurabilis ven-

ditne justum est venditorem custodiam praestare, usque ad diem mensurae, quia post mensuram venditoris cessat esse periculum et etiam ante mensuram liberatur a periculo si non vendidit ad mensuram sed forte amphoras vel singula dolia. Item qui vinum tantum emit in vasis, ante futuram vindemiam evadere debet vasa si dominus vinorum est necessarius de eisdem. Si domus vendita combusta fuerit sine culpa venditoris, ita quod diligentem custodiam igni adhibuit, quantam decet circumspetum patrem familias domui sua praestare, damnum erit emtoris: perfecta namque emtione periculum pertinet ad emtorem. Sed si sub conditione res venditur, tunc si defecerit conditio, nulla est emptio.

287. Quod in emtionibus et venditionibus exceptio potius respicit ementem quam vendentem. (II. 65<sup>b</sup>. A. 21. 10. C. 12<sup>b</sup>. D. 62<sup>a</sup>. K. 150<sup>b</sup>. 4.) Sententiatum est in consilio civitatis, quod emens domum vel molendinum vel aliam hereditatem solum emit illa, quae affixa sunt et immobilia adhaerent hereditati. Mobilia vero et se moventia existentia in hereditate non transeunt cum hereditatibus venditione; quamvis, nec emtor, nec venditor expressam de talibus faciant mentionem. Emtem et venditorem specificatio ex exceptione potius sunt per emtorem quam venditorem facienda.

### **Capitulum de feriis.**

288. De feriis et seriatis diebus. (II. 65<sup>a</sup>. A. 23. 1. B. 28<sup>b</sup>. 1. C. 12<sup>b</sup>. 6.—8. D. 63<sup>a</sup>. 2. K. 151<sup>b</sup>. 2.) Feriati dies in locis et in judiciis diversis observari diverso modo consueverunt; semper tamen, quocunque anni tempore occurserint, juramenta, exceptis illis, quae pro servanda pace fiunt, vel quae pro suppuratione carceris homo jurat, non sunt in eis facienda. Unde juramenta in ipsis induciata ipsis finitis sunt praestanda. Malefici aut in actu maleficii rapti per dies hujusmodi non salvantur sed sunt statim poena debita puniendi. Sic instructi sunt jurati de Pisencz.

### **Capitulum de fidejussionibus.**

289. De fidejussionibus in genere tam in causis criminalibus quam civilibus. (II. 65<sup>b</sup>. A. 23. 2. B. 28<sup>b</sup>. C. 12<sup>b</sup>. 8. D. 63<sup>a</sup>. 3. K. 151<sup>b</sup>. 3.) De Chremisir

jurati proposuerunt hunc casum: Quidam noster concivis pro quodam, cui homicidium imponebatur, fidejussit isto modo, quod ad judicium actoribus et judici ipsum vellet statuere, quod et fecit: nam cum judex et jurati die praefixo tribunalis praesiderent, recepit ipsum per manum et inter qualuor sedilia ante faciem actoris judicis et juratorum eum statuit sed nihil dixit. Ille ergo homicida recepto prolocutore in cruce jurare debens in juramento cecidit. Et cum jurati pro invenienda sententia contra eum ad partem declinassent, ipse in pressura hominum evasit et a judicio recessit. Modo actores et judex quaerunt utrum fidejussor ex eo quod a fidejussione se non exemit nec protestationem, quod ipsum statuerit, fecit, non debeat eis satisfacere pro eodem. Fidejussor vero econtra quaerit cum homicidiam statuerit, quod per hoc probat, quia judex, jurati, et actores ipsum et viderunt, et jurare audiverunt, et cum nihil plus promiserit facere, utrum non sit a fidejussione totaliter absolutus. Super quo fuit sentiatum quod fidejussor, quia totum fecit, quod promisit, est justitialiter absolutus. Exemptio enim est protestatio, quae sibi objiciuntur sunt quaedam consuetudinaria et non de rigore. Unde licet ad cautelam frequenter talia siant, tamen si omissintur propter hoc non tollitur virtus juris.

In causis ergo tam criminalibus quam civilibus tenendum est pro jure: Si fidejussor loquendo vel tacendo illum statuat, quem statuere promisit, vel idem absente fidejussore cum effectu se ipsum statuat, vel debita, pro quibus fidejussorem posuit expedit, statim fidejussor, nisi aliquid ulterius facere promisebit, est secundum justitiam absolutus.

**290. De fidejussionibus in homicidiis et causis criminalibus.** (H. 66<sup>a</sup>. A. 23. 3. B. 28<sup>b</sup>. 2. C. 12<sup>b</sup>. 9. D. 63<sup>b</sup>. 1. K. 152<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est in judicio civitatis: quod licet habens ad L talenta possit fidejubere pro homicidio vel alio casu consimili, tamen si actor habet causas rationabiles, per quas reum potest vincere jurati non debent eum cogere, quod in fidejussore praedicto continentur, imo si petit reus, debet in compedibus et manicis ferreis detineri vel talis cautio ab eo recipi in qua actor sufficere sibi dicat.

**291. De fidejussionibus, quod reo mortuo expirat fidejussio.** (H. 66<sup>a</sup>. A. 23. 4. B. 28<sup>b</sup>. 2. C. 12<sup>b</sup>. 10.—11. D. 63<sup>b</sup>. 2. K. 152<sup>a</sup>. 2.) In Gayaw sententiatum est: Si reus statuendus pro homicidio actoribus et

judici die praefixo moriatur infra terminum fidejussor statuens eum mortuum, coram judicio absolvetur. Pro debitibus autem si fidejussor mortem illius quem tantum statuere debuit, probaverit, mettertius credibilium virorum liber erit.

292. De fidejussionibus, quod fidejussores absolvuntur, debitore principali absoluto. (H. 66<sup>b</sup>. A. 23. 4. B. 28<sup>b</sup>. 2. C. 12<sup>b</sup>. 11. D. 63<sup>b</sup>. 2. K. 152<sup>a</sup>. 2.) De Kuihnicz jurati scripserunt sic: Significamus vobis, quod quidam homo de Gewiczka in causa homicidii posuerat cautionem fidejussoriam domino nostro praeposito de parendo juri coram eo, et de observandis treugis cum hominibus ipsius domini praepositi, usque ad ipsius causae plenam decisionem sub poena XX marcarum solvendarum ipso domino praeposito per non observantem supradieta et infra. Ponente tandem praedicto domino praeposito quodam milite in judicio loco sui ad praedictam causam homicidii per eum justicialiter decidendam, idem miles instantibus partibus consensit ad concordiam excipiente hoc praedicto homine de Gewiczka, quod ab emendis domino praeposito debitibus vellet esse liber et hoc nullo reclamante. Tamen eo expresse non dicente coram ipso milite vel judicio, quod fidejussores suos praedicto domino praeposito, positos vellet esset liberos, nec petivit, tunc eos debere liberos dimitti. Dominus tandem praepositus ex quo ipsos fidejussores liberos ipse vel praedictus miles non dimiserat, nec de ipsis mentio habita fuerit in judicio, poenam, ad quam se obligaverunt, ab eis repetivit et infra. Super quo sententiatum fuit; ex quo miles vices agens judicis ad concordiam consensit, nec exceptionem hominis de Gewiczka, qua ab emendis domino praeposito debitibus se exemit, reclamavit, imo tacendo admisit idem homo se principaliter et suos fidejussores ex consequenti liberos reddit et solutos. Accessorium enim principale sequitur ipso jure.

293. De fidejussionibus pro minis faciendis, quod carens fidejussoribus non est incippandus. (H. 67. A. 23. 5. B. 29<sup>a</sup>. 1. C. 12<sup>b</sup>. 12. D. 64<sup>a</sup>. 1. K. 152<sup>a</sup>. 3.) Postquam Wernussius de Monte, de quo Christianus dictus Mili de minis occisionis conquaestus fuerat in turri aliquot diebus detentus fuisset, nec aliquos qui pro eo, quod cum Johanne pacifice viveret, fidejuberent, habere posset, fuit dimissus, et per juratos sententialiter adinventum, quod homo exiit fidejussoribus carens pro minis occisionis vel alio reatu consimili, non debet in carcere usque ad extremum puniri, sed pace per judi-

cem sibi indicta liber debet dimiti, in quo tenetur ille, qui cum impetravit contentari.

294. De fidejussionibus homicidiorum et testibus casus plures. (Il. 67. A. 23. 5.—9. B. 29<sup>a</sup>. 1. C. 12<sup>b</sup>. 12.—16. D. 64<sup>a</sup>. 2. K. 152<sup>a</sup>. 3.—<sup>b</sup>. 1.) Jurati de Broda Ungaricali scripserunt et verbotenus proposuerunt sic: Postquam Adam clericus et Thomas civis aliquamdiu inimici fuissent ad invicem ad servandum pacem eis per judicem more solito indictam sub poena XXX marcarum, sicut jus civitatis exigit, cautione fidejussoria sunt adstricti. Dominus vero Albertus de Sternberg dictas inimicitias percipiens, mandavit quod prima fidejussione non obstante melior cautio de pacis observatione ab eis reciperetur. Quo facto Adam Thomas de nocte interficiens evasit. Actores vero Thomas occisi et fidejussores Adae iudicio convenerunt: qui postquam duobus judiciis, in quibus Adam absens citatus et proclamatius fuit de fidejussione negassent. Tertio instante iudicio per unum de juratis tribunali praesidentibus super ferendo testimonio non interrogatum surgentem de fidejussione, quod Adam statuere promiserint, sunt convicti. Dicti igitur fidejussores Adam in domo sua quaerentes et ipsum mortuum invenientes, corpus ejus coram iudicio statuerunt, volentes per hoc a fidejussionis promisso liberari. Quaeritur ergo primo utrum testimonium jurati non interrogati valcat. Et secundo utrum fidejussores statuendo corpus Adae mortuum a fidejussione liberentur. Et tertio utrum primi fidejussores, per secundam fidejussionem, quam dominus Albertus de Sternberg fieri praecepit ab eorum promisso liberi sint dicendi. Et quarto, utrum secunda promissio ex eo quod nomine domini Alberti est facta, major sit quam prima jure civitatis facta. Et specialiter, utrum de ipsa judicari debeat secundum consuetudinem iudicii provincialis, cum ipse dominus Albertus non iudicio civitatis sed iudicio provinciae sit subjectus. Ultimo etiam quaeritur, ad quam emendam fidejussores teneantur ex violentia pacis per Adam non servante. Super quorum primum diffinitum fuit: quod testis non interrogatus non judicatur testis. Unde testes debent rogari et per judicem super dicenda veritate interrogari, alias eorum testimonium non judicatur vigorosum. Ad secundum vero dictum fuit, quod fidejussores sibi absolute nulla addita conditione promiserunt se Adam velle statuere, tunc sive vivum sive mortuum statuant, absolvuntur. Videndum est tamen circa hunc casum qualiter ille, pro quo fide-

fidejussum est, mortuus fuerit, si morte naturali, pro casus evasione nullus fidejubere potest mortuus est, tunc sententia procedit: si autem in spolio vel alio modo illicite rei dans operam vitam finivit, tunc super ferenda sententia diffinitiva jurati bene deliberabunt. Ad tertium autem dictum fuit, quod bene est rationabile, si secundi fidejussores sunt alii quam primi, quia primi sint absoluti, ex hoc enim quia secundo fuit melior cautio recepta quam primo, prima videtur merito refutata, quoniamvis primi fidejussores secundam fortassis ignorantes fidejussionem se absolutos esse non fuerint protestati. Sed ad quartum dictum fuit, quod fidejussio secunda auctoritate Alberti facta non est major quam prima per judicem civitatis facta; in jure enim civili quidquid judex facit vice et nomine domini sui, cuius officio fungitur, facit: quod autem aliquis per alium facit per se fecisse videtur. Ergo secunda fidejussio juri civitatis subjacet sicut prima. Quamvis etiam ipse dominus Albertus sit de foro judicij provincialis tamen, cum exerceat actum judiciarium juris civitatis ille secundum emendas, secundum fidejussionem et secundum alia facta quaecunque, dirigitur justitia civitatis. Ad ultimum vero dictum fuit, quod cum secunda fidejussio non habeat nominatam summam pecuniae expressam, ad cuius solutionem fidejussores voluntarie se obligaverint, si Adam pacem violaverit sufficit quod triginta marcas sicut jura civitatis dicunt, solvant pro emenda.

295. De fidejussionibus in causis civilibus, quod transeunt ad heredes. (H. 67. A. 23. 10. B. 29<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>a</sup>. 1. D. 65<sup>a</sup>. 1. K. 152<sup>b</sup>. 1.) Illo tempore cum Jacobus civem Brunnensem creditores sui cives Pragenses in judicio pro debitibus convenient, sententiatum est per juratos in consilio, quod heredes bona parentum possidentes, non solum illa debita, quae parentes dum viverent, pro se ipsis solvere tenebantur, sed etiam illa, quae pro aliis fidejussorie solvere promiserunt, expedire debent; in talibus enim fidejussio per antecessores facta ad posteros devolvitur ipso jure.

296. De fidejussione emphiteotae, quantum ad solutionem census. (H. 67. A. 23. 11. B. 29<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>a</sup>. 2. D. 65<sup>a</sup>. 2. K. 152<sup>b</sup>. 2.) Emphiteota censum de hereditate solvens de jure cogi non debet, quod ultra valorem hereditatis censum certificet fidejussoria cautione.

297. De fidejussionibus casus diversi. (H. 67<sup>b</sup>. A. 23.—12.—14. B. 29<sup>a</sup>. 2.—<sup>b</sup>. 2. C. 13<sup>a</sup>. 3.—9. D. 65<sup>a</sup>.

3. K. 152<sup>b</sup>. 3.—6.) Ad loca diversa sententiata sunt subscripta. Primo: Fidejussor si adsit principalis, reus vero absit, grave est creditorem absentem querere cum possit mox fidejussorem exigere; unde statim aget in eum. Item impersonaliter loquendo solvet tibi vel certus est, vel mihi certus esset, vel ego non peterem ab eo fidejussorem vel aliquid simile istis dicendo non contrahitur obligatio nec fidejussio quia certa et specificata valent, quae alias non valent. Item nullus potest pro se alium constituere solutum vel fidejussorem, nisi consentiat.

Item quidquid fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi causa in ipsum agere potest. Item fidejussor quandoque antequam solvat pro reo, in ipsum agere potest, primo si hoc dictum est, ut ad tempus teneatur, vel si reus fuerit condemnatus, vel si coepit bona sua dissipare reus, vel si diu stetit fidejussor in obligatione. Item fidejussor quandoque nullo modo agere potest, ut si pro inimico aut donandi animo, ut in rem suam fidejussit. Item fidejussor si petierit exequatur, item et debitum exigat contra eum, pro quo fidejussit, actionibus a creditore sibi cessis. Item si creditor ignorante vel expresse non consentiente terminum debitori ad faciendam solutionem statutum prorogaverit, et fidejussor per juratum seu scabinum creditorem de hoc convicerit, liberabitur ab eodem. Et debet ergo hoc testimonium per scabinum fieri, quia fraus et dolus consuevit in talibus interponi.

Item creditore terminum debitori se prolongasse negante et fidejussore de promisso constante creditoremque de termino dato per testes communes homines vincere non potente pecuniam fidejussionis sibi solvet, qua soluta, si postea de aliquo habet eum impetere, hoc faciet via juris.

### **Capitulum de fuga.**

298. De fuga et fugitivo, qui vulgariter dicitur „auf flüchtigem fuesze.“ (H. 68. A. 24. 1. B. 29<sup>b</sup>. 2. C. 13<sup>a</sup>. 9. D. 65<sup>b</sup>. 1. K. 152<sup>b</sup>. 6.) Sententiatum est in consilio civitatis: Qui juratis et fidedignis viris videntibus judicium insequens fugit, fugitus dicitur; qui autem per judicium quaesitus non inventus, vel coram judicio citatus et proclamatus non statim comparet, non est propter hoc judicandus fugitus, potest enim ultima citatione comparere et illum actum facere, qui sibi competit via juris.

299. *De fuga seu fugitivo.* (*Ibidem.*) Si homicidio vel alio reatu consimili perpetrato in judicio amici occisi rem armata manu fuerint insecenti, qui pro tunc evadens vel effugiens postea per se vel per nuntium suum allegaverit, quod non judicium sed impetum et insultum illorum, qui cum judicio hostiliter armis eum insequentium timens, per eos vita privari effugerit: super eo jurati verbis et factis dictorum insequentium juxta eorum conscientiam diligenter pensatis mature deliberabunt utrum taliter evadens fugitivus merito sit censendus.

### **Capitulum de furtis.**

300. *De furtis et rapinis et spoliis in genere,* utrum ad judicem pertineant. (*Il. 68<sup>b</sup>. A. 25. I. B. 29<sup>b</sup>. 3. C. 13<sup>a</sup>. 10. D. 65<sup>b</sup>. 3. K. 153<sup>b</sup>. 1.*) *Jurati de Hulein* proposuerunt sic: *Judex noster frequenter equos, pannos et res alias hominibus per furtum seu spolium receptas in silvis vel apud aliquos in nostro judicio residentes inveniens statim vendit et in denarios convertit.* Postea vero illi, quorum res fuerunt venientes pro hujusmodi restitutione rerum nos infestant. Petimus informari, quid sit juris in hoc casu. Qui instructi fuerunt, quod res praedictae non statim ut inveniuntur ad judicem perlinent, imo proclamation de ipsis fieri debet. Et insuper postquam anno et die servatae fuerint distribuantur per tres partes, sicut in juribus originalibus scribitur in rubrica: *De testamento hospitum.*

301. *De duplo furtu.* (*Il. 68<sup>b</sup>. A 25. 2. B. 25. C. 13<sup>a</sup>. 11. D. 66<sup>a</sup>. 2. K. 153<sup>b</sup>. 2.*) *Cives in Broda Ungaricali informati sunt, quod duplex est furtum quoddam: manifestum, sicut cum res subtractae inveniuntur vel cum fur rapitur in actu furti vel cum homo conservat res subtractas fure scienter.* Aliud autem furtum occultum est, cum non in actu rapitur, sed tantum de furto inculpatur. Quo primo furto aliquis per actum vel per rei subtractae praesentiam condemnatur; pro secundo vero si prius infamis non fuit et expurgare se non poterit, oportet quod mettertius convincatur: si autem prius de furto vel alio maleficio notorio accusatus fuit, ita, quod malum nomen habuit; nisi de fide digno testimonio innocentiam suam ostendat, mettertius convincetur.

302. *De celatoribus et coadjutoribus furium.* (*H. 68<sup>b</sup>. A. 28. 3. B. 29<sup>b</sup>. 3. C. 13<sup>a</sup>. 12. D. 66<sup>a</sup>. 2. K. 154<sup>a</sup>. 1.*) Praedicti cives informati sunt, quicunque res furtive sublatas

scienter furibus conferentem fures in domo sua colligit et hospitat furti celator dicitur. Item quis furi scienter scalam concesserit, quod per murum vel fenestram, ad surandum in domum alicujus scandat vel ostium vel fenestram sibi aparuerit. Item qui in platea custodit ne judex et boni homines furem vel faber, qui scienter furi claves, pedes caprinos, vel alia instrumenta, quibus fures utuntur, facit: omnes tales et alia his similia facientes cooperatores furum dicuntur, et tam isti quam relatores furti digni sunt patibulo sicut fures.

303. De furto rerum venditorum. (H. 69<sup>a</sup>. A. 25. 4. B. 30<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>b</sup>. 1. D. 66<sup>a</sup>. 1. K. 154<sup>a</sup>.) Sententiatum est ad loca diversa: Si Petrus Paulo equum vendat et Paulus pecuniam emtionis Petro solvens equum postea absolute nulla interposita conditione in stabulo Petri per noctem stare mittat, et equus idem eadem nocte furatus fuerit, quaeritur, cui sit perditum. Et respondeatur Paulo: ex quo enim Pauli fuerit, cum eam emerit et exsolverit, sibi perditus judicatur; si tamen Petrus ita stabulum suum firmavit, sicut aliis temporibus facere consuevit. Et de aliis rebus venditis et per furtum perditis simile judicium est habendum.

304. De furtis spoliis et excessibus capitalibus quantum ad actionem et numerum quaerimoniarum. (H. 69<sup>a</sup>. A. 25. 5-7. B. 30<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>b</sup>. 2-4. D. 66<sup>b</sup>. 1. K. 154<sup>a</sup>. 3-5.) Si reus petit, actor furti, spoliis seu criminis consimilis sub una quaerimonia debet comprehendere totum damnum: esset enim inconveniens et in magnum gravamen rei vergeret, si de pluribus quaerimoniis quarum qualibet poenam capitilis exigeret, adversus unum duntaxat actorem in eodem iudicio reus expurgare se deberet.

305. Pro furto et spoliis suspicione captus ad minus est ad triduum detinendum. (H. 69<sup>a</sup>. A. 25<sup>b</sup>. C. 13<sup>b</sup>. D. 66<sup>b</sup>. K. 154<sup>a</sup>. 3.) Si judex quempiam pro furti, spoliis vel consimilis vitiis suspicione captivaverit, ipsum ad minus per tres dies in cippo forensi, ubi a populo videatur, detinebit, vel saltem ipsum in foro proclamabit, antequam de carcere clauso, si in eo positus fuerit, dimittatur.

306. Qualiter fur ad judicium sit ducendus. (H. 69<sup>a</sup>. A. 25. 7. B. 30<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>b</sup>. 4. D. 66<sup>b</sup>. 2. K. 154<sup>a</sup>. 4.) Dum in Gostel cuidam civi de nocte res essent subtractae de mane post ortum solis in platea judacum res praedictas in sacco publice in dorse portantem invenit. Jurati vero cum judacum sacco super eum ligato tribunal praesentare mandasset,

judex judaeorum allegans, quia judaeus manifeste saccum portans, et non in actu furti deprehensus fuisset, hoc fieri non permisit. Quae situm est ergo: quid sit juris in hoc casu. Super quo responsum fuit: Quamvis de consuetudine sur statuatur judicio furto super collum ejus ligato, tamen multum differt furtum apud aliquem invenire et ipsum in actu furti rapere; sicut etiam distat furtum aperte et furtum occulte et de die vel de nocte portare res. Unde in casu praescripto, si actor rationabiles proponens allegationes petit, quod reus ducatur ad judicium, sacco sibi ad collum ligato: talis petitio est in cippum intimanda, et si nihil habito suorum consilio in contrarium allegat, per advocationem suum, qui ad tales duntaxat allegationem faciendam dari sibi potest, actoris petitio fiat. Si autem pro parte sua petitum et allegatum aliquid fuerit, tunc jurati secundum hoc utriusque parti de justitia debita providebunt.

307. De furtis quantum ad inquisitionem faciendam. (II. 69<sup>a</sup>. A. 25. 8. B. 30<sup>a</sup>. 1. C. 13<sup>b</sup>. 5. D. 67<sup>a</sup>. 1. K. 154<sup>b</sup>. 2.) Jurati de Crumlaw proposuerunt talem casum: Postquam unus de concivibus nostris septem pullos de curia sua perdidisset, vocavit eum burggravius quaerens, si posset scire, per quem pulli essent sibi subtracti. Qui respondens de veritate nescio quis eos receperit, tamen si testimonium mulierum esset authenticum crederem quo pulli devenerint, me probare posse. De qua responsione burggravius protestationem in juratos facta petivit sibi sententiari utrum dictus civis de illo de quo habet suspicionem, non debeat publice coram judicio quaerulari et infra. Super quo sententiatum fuit, cum mulieres in causa hujusmodi testari non possunt, dictus civis nisi vellet, cogi non potest, quod conquaeretur manifeste: Quia tamen testimonium potissime in furtis suspicionem generat jurati debent tam ipsum, quam illum, qui pullos perdidit, secrete peraudire et personam accusatam notare, si fortassis infamis prius extitit, vel si in posterum de ipsa casus similis eveniret. Debent enim jurati tamquam sagaces et circumspecti non solum ex facti, quod saepissime longo tempore celatur evidentia, sed etiam ex crebris praesumptionibus conjecturisque verisimilibus quas et ipsi percipiunt et alii ad eos deducunt, maleficos investigare, investigatosque sine mora de consortio fidelium extirpare.

308. Qualiter furtata sint quaerenda in domibus alienis. (II. 69<sup>b</sup>. A. 25. 9. B. 30<sup>a</sup>. 2. C. 13<sup>b</sup>. 6. D. 67<sup>a</sup>. 2. K. 154<sup>b</sup>. 2.) Dum unus de civibus in Crumlaw septem pullos

quos perdiderat, in domo vicini sui quaesivisset, vicinus ille ad praesentiam magistri civium dictum querentem concivem suum vocans, verbis indecentibus ipsum pro facto hujusmodi arguit vehementer. Quaesiverunt qualiter talia verba inhonesta debeant emendari. Quibus sententiatum fuit: et respondetur: Ex quo coram magistro civium, qui vices ratione officii magistratus pro illo tempore vim et locum duorum gerit juratorum verba indecentia sunt prolata: is qui ea protulit, solvet pro emenda X talenta, de quibus judici cedunt dueae partes et tertia civitati, arguto autem pecunia non solvatur, sed tantum per probos viros ei reverentiae exhibitio ostendatur. Et est circa istum notandum, quod pro pecorum et volatilium perditorum inquisitione, quae ratione parentiae, cum non custodiuntur, de loco ad locum currunt et volant, homini domum vicini sui quaerendo, quod tamen pro aliis rebus perditis sine licentia et scitu judicis facere non debet, licitum est intrare.

309. Quod furta et spolia sunt veris dominis restituenda. (H. 70<sup>a</sup>. A. 25. 10. B. 30<sup>a</sup>. 2. C. 13<sup>b</sup>. 7. D. 67<sup>b</sup>. 1. K. 154<sup>b</sup>. 3.) Sententiatum est judici civitatis, quod furibus et spoliatoribus morte justitiariter damnatis, furta et spolia non cedunt judici, sed sunt suis veris dominis restituenda: sicut enim ad judicem pertinet maleficos interficere; sic etiam justis tenetur bona ipsorum restituere pleno jure.

310. De furtis quantum ad expurgationem. (H. 70<sup>a</sup>. A. 25. 11. B. 30<sup>a</sup>. 2. C. 13<sup>b</sup>. 8. D. 67<sup>b</sup>. 2. K. 154<sup>b</sup>. 4.) Commune jus habet quod accusatus boni nominis et honestae famae apud quem nec spolium nec furtum inventum fuerit, melius potest ostendere se innocentem, quam vinci possit per accusantem.

311. De furtis et furibus quantum ad expurgationem et alia diversa. (II. 70<sup>a</sup>. A. 25. 12. B. 30<sup>a</sup>. 2. C. 13<sup>b</sup>. 9. D. 67<sup>b</sup>. 3. K. 155<sup>a</sup>. 1.) In Letowicz, cum famulus cuiusdam ab eo recessit et ibidem in oppido ultro spatium anni continuasset, procuravit eum dominus per judicem capi, quaestionem sibi movens de septuaginta gressis pragensisibus, quos ei furtive deportasset. Et cum expurgationem in judicio obtinuissest quae situm est utrum per tres vel septem testes suam debeat innocentiam demonstrare. Et respondetur, quod solo juramento expurgare se posset, quia si advocatum habuisset expeditum, forte sine juramento actoris quaerimoniam declinasset. Et quia nonnunquam innocentes calumnioscē furtis et criminibus inculpentur, considerandum est, utrum actor

furti vel criminis maleficio facto debito tempore publicationem et protestationem interposuerit vel tacuerit. Et utrum ille, quem accusat, ut reum secum in eodem loco, vel tam in propinqua, ubi sine difficultate copiam ejus habere potuit, distantia resedit et mansit. Et qualis famae sit accusatus, et utrum furtum sit apud eum inventum vel non: et utrum actor tempore quo tacuerit, competentem judicem accedere potuit vel non: et utrum actor tempore, quo tacuerit, competentem judicem accedere potuit vel non. Et si qua in praesenti materia consideratione sunt digna, talia bene per judicem et juratos sunt pensanda. Ex his enim aliter et aliter in judicio est contendendum et ad distinctivam sententiam procedendum: nam in casu proposito, si reus pro se allegasset, eum anno habitaverit in Letowicz cum actore et interim eum de furto non accusaverit, ipseque vitam suam iandabiliter et honeste duxerit, nihilque furti apud eum inventum sit, utrum sine juramento fuerit absolvendus, fortassis pro eo sententiatum fuisset. Debet etiam res furtiva pensari. Multum enim differt, vestes, equos, et alias res tales, vel promptos denarios furari. Nam denarii ab aliis denariis eadem forma signatis, dummodo ex eodem acre sint fabricati, distingui non consueverunt, quod in aliis rebus non accidit ubi potest haberi discretio manifesta. Bene etiam deliberandum est utrum dictus famulus post annum de furto expurgare se debens in jurando holunge possit habere.

**312. De furibus signatis et non signatis quantum ad expurgationem et convictionem et alia diversa.** (II. 70<sup>b</sup>. A. 25. 13.—16. B. 30<sup>b</sup>. 1.—2. C. 14<sup>a</sup>. 1.—6. D. 68<sup>a</sup>. 1. K. 155<sup>a</sup>. 1.—5.) Si accusatus de furto nec in actu furti, nec cum furto, nec in fuga deprehensus auribus privatus ignito ferro signatus, vel alias mutilatus inventus fuerit, tunc ante omnia causa signationis debet inquire; et si probaverit per morsum equi, vel in bello, vel in aliquo casu honesto se aures amisisse, vel aliter detruncatum esse, cum duobus se digitis expurgabit. Si autem accusatus probationem talem non fecerit, tunc signatio ostendit, eum furtum in praeterito commisso, et tunc actor ipsum mettertius testium credibilium convincet; quod si non fecerit actor, iterum accusatus expurgabit se sola manu.

Quamvis enim pro antiquo furto notatus fuerit, tamen adhuc in praesenti de sibi objectis innocens esse potest. Furem autem prius signatum sequens actus furti vel furtum, quamvis est modicum, vel fuga actui continua convincit, et actor qui

agit in furem prius membro mutilatum vel signatum, quamvis ab agendo deficiat, tamen propter hoc emendam non solvet. Item fur in actu vel cum furto raptus, sicut est raptus, sic ad judicium est ducendus: et licet judici post raptum praesentetur vel incipitur sine furto; tamen hoc non obstante, si rapitur cum furto, ad judicium ducetur cum furto super se ligato. Item si prima vice accusatus de furto, et non raptus in actu, nec signatus, cum juramento se expurgare debuerit, deviaverit, et furtum tam exiguum fuerit, secundum quod non respiciat poenam crucis: tunc taxa soluta pro emenda judicis et reatu, cum virgis ad statuam ligatus modicum verberetur. Est enim plus venia dignus dictus accusatus cum in juramento caespitat, quam si factum quantumcumque modicum apud eum fuerit deprehensum. Item quando communiter dicitur, quod fur vel alter malesicus privatus est jure suo, hoc non est sic intelligendum, quod numquam concedatur sibi purgatio, quia sic est jure suo privatus, quia testimonium pro jure alterius, cum sit infamis, ferre non potest.

313. De furtis et pignoribus Christianorum per Judacum perditis. (H. 71. A. 25. 17. B. 3T<sup>a</sup>. 1. C. 14<sup>a</sup>. 7.—8. D. 68<sup>b</sup>. 1. K. 155<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est in Nause dlicz, quod si cum rebus alienis alicui res propriae subtractae fuerint et ille de hoc tacuerit, nec coram vicinis vel officialibus judicij debito tempore furtum publicaverit, res alienas solvet. Item Judaeus in Nause dlicz judicem et juratos ad domum suam dicens ostendit eis foramen tecti, per quod dixit sibi Christianorum pignora esse subtracta. Christiani ergo, cum quaererent a Judaeo, quot perdidissent pignora et ille respondisset, undecim, protestatione de hujusmodi fecerunt confessione petentes pro eis sententiam. Cum Judaeus cum pignoribus eorum res proprias non amisisset, utrum ipsis ad solutionem pignorum non obligaretur. Quo auditio Judaeus replicavit: cum pecuniam suam in pignoribus ablatis res suaē non similiter subtractae sint et postea per moram bonam addidit, quod cum pignoribus Christianorum de rebus propriis sibi peplum et pallium sint recepta. Quaesitum est ergo, quid sit juris in hoc casu. Et respondetur diffinitive, quod Judaeus tenetur ad solutionem pignorum: allegatio enim perditionibus pecuniae quam Judaeus perdidit in hoc casu, pro eo non facit: quia res propriae sunt hic recipienda, quae separatae sunt a pignoribus et distinctae. Debuit etiam Judaeus statim ad interrogationem Christianorum, quod res proprias perdiditerit respondisse, unde

tarda confessio, quam post moram de rebus propriis amissis aliquis facit, sibi non proficit, quia perpenditur, quod captiose ex Christi nostrorum protestatione non ex veritatis scientia ad ipsam est motus. Prodest tamen morosa confessio, si homo induitnri se peteret donec perspiceret res proprias, si ex eis aliquas perdidisset.

314. De furtis emitis ratione quorum emenda quandoque non solvitur. (II. 71<sup>b</sup>. A. 28. 18. B. 31<sup>a</sup>. 1. C. 14<sup>a</sup>. 9. D. 69<sup>a</sup>. 1. K. 155<sup>b</sup>. 2.) Homo bona famae in Broda Ungaricali die forensi in domo quadam rotas currus non plene perfectas emit: quas die tertia rusticus quidam superveniens arrestavit, dicens eas de curia sua subtractas. Quaeritur ergo etc. Super quo sententiatum est: Ex quo probus et fidelis est homo, qui rotas emit; ille qui rotas impedit, si juramento confirmaverit, eas restituet et nullam emendam judici solvet.

315. Quod actio furti transit ad heredes. (II. A. 25. 18.—19. B. 31<sup>a</sup>. 2. C. 14<sup>a</sup>. 10.—12. D. 69<sup>a</sup>. 2. K. 155<sup>b</sup>. 3.) Rusticus de Hulein sententiatum est: Si servus vel filius familias furtum commiserit actio est in dominum vel in patrem pro eo quod ipsos de furto pervenit et similiter actio furti, quia rei habet persecutionem, heredem furis obligat, et idem erit in ceteris successoribus post mortem furis observandum.

316. De furto lanac. Item si ex lana furtiva vestimentum feceris, vestis erit furtiva et vestem dominus lanac repete debet et potest.

317. De furtis, rapinis et spoliis quantum ad excusationem frivolum. (II. 71<sup>b</sup>. A. 25. 20. B. 31<sup>a</sup>. C. 14<sup>a</sup>. 13. D. 69<sup>a</sup>. 3. K. 155<sup>b</sup>. 4.) In Tischnowicz cum nequam homini pro maleficiis esset oppidum interdictum, associati sunt sibi tres alii malefactores, qui quatuor mulierem quamdam, quam feria secunda de Brunna causa fori veniebat in Tischnowicz vestibus et rebus suis aliis spoliaverunt. Quo facto intraverunt simul villam Strassaw mulier autem per aliam viam in Strassaw veniens, ipsos ibidem per judices et juratos pro spolio rerum suarum capi procuravit. Quorum unus, non ille qui a Tischnowicz exclusus fuit, excusare se volens talia protulit verba: Bene verum est, quod fui cum istis tribus, qui mulieri res suas per spolium abstulerunt per me ipsum nihil mali feci sed volui sociis meis spolium defendere sed non potui. Quaeritur, utrum talia verba sufficient ad ejus accusa-

tionem. Et respondetur, quod hujusmodi excusatio frivola est imo ex ore proprio, quia dixit se infuisse spolio et etiam, quia illam, cui Tischnowicz inhibitum est socios suos nominaverit, contra se sententiam fieri meruit capitalem. Et hic collige, quod mala societas obest.

318. De furto juvenis, qui est minor annis et de aetate discretionis. (Il. 72<sup>a</sup>. A. 28. 21. B. 31<sup>a</sup>. C. 14<sup>b</sup>. 1-3. D. 69<sup>b</sup>. 3. K. 155<sup>b</sup>. 4.) Rustici de Hostyera dicz talem proposuerant casum: Quidam de nostris super quemdam juvenem coram judicio quaerimoniam movit, quod in pomerio suo ipsum in fructibus suis damnificaverit ad octo grossos. Juvenis vero respondens fatebatur, quod tantum sibi receperit quatuor poma. Petiverunt itaque informari: utrum actor in restitutione quatuor pomorum debeat contentari, vel reus octo sibi grossos, quos in quaerimonia, cum damnum taxaret, nominavit, solvere teneatur. Quibus diffinitive responsum fuit, quod de juvenis aetate principaliter est videndum, et si inventum fuerit documentis et probationibus legitimis, quod annos quatuordecim, qui anni pueritiae reputantur, in quibus homo nec compos, nec usum plenac rationis habens, nec inter bonum et malum sufficienter discernere sciens judicatur, non transegerit, tunc virga disciplinae a parentela, vel suis tutoribus debet corrigi pro excessu supradicto, et per hoc est tam actori, quam judici satisfactum. Si vero aetas dicti juvenis annos XIV excesserit, ita, quod annum XV<sup>um</sup>, in quo anni discretionis intrant, attigerit: tunc, quia fassus est in pomerio quatuor poma se recepisse et ex quo verisimile est, aliis vicibus eum idem pomerium pro recipiendis fructibus subintrasse, si actor juramento suo comprehendere praesumpserit, quod damnum in pomerio sibi per ipsum juvenem illatum ad VIII grossos se extendat, eosdem VIII grossos sibi solvere tenetur. Judici vero secundum consilium juratorum satisfaciens pro emenda. Item propter confessionem, quam juvenis fecit, de quatuor pomis non est sententialiter condemnandus. Necessarium est enim, quod confessus in jure legitime sit aetatis, ita, ut in judicio stare possit; nam in his confessionibus infra aetatem legitimam constitutis soluto damno subvenitur, nam ipsorum aetas ignorat, quid expedit in hac parte.

### **Capitulum de gladiis.**

319. De gladiis solvendis. (Il. 72. A. 26. 1. B. 31<sup>a</sup>. 1. C. 14<sup>b</sup>. 5. D. 70<sup>a</sup>. 2. K. 156<sup>a</sup>. 4.) Antiquum jus civitatis

hubet, quod gladius perditus non solvitur pretiosius, quam cum fertone grossorum. Allegans etiam se gladium perdidisse, ad petitionem illius, cuius fuit, obtinebit perditionem juramento corporali; et similiter solvens gladium cum fertone compellit alium ad obtainendum juramento, quod gladius fuerit tanti valoris.

320. De gratia facienda pro poena capitinis. (II. 72<sup>b</sup>. A. 26. 2. B. 31<sup>b</sup>. 1. C. 14<sup>b</sup>. 7-10. D. 70<sup>a</sup>. 3. K. 156<sup>b</sup>. 1.) Jurati tractantes de hoc, quod in juribus originalibus scribitur: Si vero talē expurgationem habere nequiverit, capite puniatur, vel secundum gratiam judicis et juratorum emendet: ex hoc habetur, quod talis gratia non est referenda ad XXX marcas, ita, quod in illis grātia fiat homicidae imo plus quam XXX marcas, si habet, solvet et tamē adhuc gratiam consequitur, quia caput et vitam salvat. Item, si autem fidejussorem homicida posuit et timens, quod expurgare se non posset, evasit, ille ne capite puniatur, sed secundum gratiam caput redimet, se cum triginta marcis componet. Capitis enim poena et ejus redēntio tantum resertur ad reūm et homicidam, quia, sicut jura dicunt, poenale restringendum est et poena tantum suos tenere debet auctores; in omnibus enim causis jura semper proniora debent esse ad absolvendū, quam ad condemnandum.

321. Quando eadem gratia sit facienda. (II. 72<sup>b</sup>. D. 70<sup>a</sup>. 4. C. 14<sup>b</sup>. 11. vel ut sup.) Rustici de Rauseins scripserunt sic: Duo nostri concives ad inicem contendentes ambo se mutuo vulneraverunt. Cum autem gravius Iaesus in alium egisset, respondit, se vim vi repulisse. Quod cum pace per judicem edicta termino praefixo probare deberet, accidit, quod interim quidam cognatus actoris de dicto reo conquaestus est, se per ipsum in campo quatuor vulneribus vulneratum, de quo negans petivit expurgationem juridicam sibi concedi. Ad quam faciendam iterum judicatus fuit, usque ad terminum suprascriptum, quo instante coram judicio comparens utriusque actoris quaerimoniam se obtulit secundum justitiam evasurum. Sed probi homines amici, tam actoris, quam rei interloquentes, reūm ad hoc eorum induxerunt consilio, quod actorem gratiae beneficium consequi debeat ipso jure. Super quo responsum fuit, cum in omni emenda facienda sit gratia, quod auctores reo gratiam facere debent. Et si fortassis nimis pertinaces et graves existentes ex animi duritia illam temperare nollent jurati secundum, quod expedire viderint ipsam consideratis causae circumstantiis moderabunt. Unde cum in juribus originalibus scribatur de homicida vel invasore domus, si expurgationem habere nequierit,

capite puniatur, vel secundum gratiam judicis et juratorum civitatis emendet: multo potius illi, qui ad expurgandum vel innocentiam ostendendum se obligat, non est gratia deneganda. Potest tamen actor, si reum in gratiam recipere recusat, petere, quod se purget, vel alio modo sicut justum fuit, mundum faciat et hanc petitionem judex admittet. Si autem ea tacita reum in gratiam suscepit, cogendus est, quod gratiam sibi exhibeat pro jure.

322. De hereditatum emtionibus, venditionibus, traditionibus et impetionum disbrigationibus in genere. (D. 70<sup>b</sup>.) Judex et jurati de Boskowicz ad consilium venientes viva voce de modo resignationis et impetionis hereditatum quae siverunt et de ipsarum venditionibus et emtionibus casum talem in scriptis exhibuerunt: Quidam habens cum suo domino molendinum, qui ex consensu domini sui medium molendinum suum omni eo jure, quo possedit et tenuit, rite et rationabiliter vendidit excipiendo, quod molendinum praedictum, cum esset situm sub piscina, emens cum piscina et cum aquaeductibus, qui vulgariter „flutrynnē“ dicuntur, nil disponere nec cum reformatione eorumdem haberet. Cum quo quidem jure idem emens dictum molendinum emit, dans vendenti denarios testimoniales duos halenses et potum testimonialem, qui vulgariter „leykauff“ dicitur, cum pluribus fide dignis præsentibus et dictum potum bibentibus; tandem tertia die sequenti per impetum aquae pluvialis dicta piscina per dictae aquae excrescentiam et actionem erupta et destructa fuit, quod molendinum molere non potuit neque potest. Unde discretioni vestrae supplicamus quatenus nos quicquid juris super eodem facto sit, si emens molendinum solvere debeat, prout emit vendenti, et si vendens, prout exceptit et promisit, quod emens cum piscina et cum aquaeductibus nil disponere haberet, cum ipse eo jure tenuisset exceptionem hujusmodi disbrigare, libertare debeat pro juris sententiam enretis informare. Quibus responsu m fuit sic: Hereditatum resignatione est coram judicio contestato in publico facienda. Et hoc ideo, si ad hereditatem resignandam vel personam resignantem alicui competat aliqualis jurisdicō, ille per impetionem, resignationem prohibeat: quod si contingat, non admittatur resignatione, nisi prius fiat impetionis disbrigatio. Facta autem resignatione, qui possessor hereditatis ipsam anno et die tenerit et libere ab impetione possedit: impetio postea per quemcunq̄ facta, cassa est et vana. Infra autem dictum tempus, quod continet præscriptionem, quae in jure civili est annua et diurna, tenetur vendori euntori hereditatem resignatam ab om-

nibus impetionibus disbrigare. Impetens etiam, si post impetionem factam anno et die continue quieverit, nec causam impetionis judicialiter tractaverit, ratione praescriptionis interveniente privabitur ipso jure. Insuper in testimonium resignationis secundum consuetudinem judicij, in quo sit resignatio, judicii jus sum in vel in tot denariis est solvendum. Unde ab actu judicis dicitur resignatio; vendens enim primo hereditatem in manus judicis assignat, qui eam ultius catori resignat. Super easu autem scriptotenus oblato, qui respicit emtionem et venditionem, diffinitum fuit, quod emens molendinum emtionem ratam habere debet; vendens autem ratione exceptionis, quam de piscina et canalibus aquarum per se interposuit, et ad quam voluntarie se astrinxit, cum talis exceptio promissum quodammodo includat et omne promissum in debitum cadat: debet ementi molendinum ab impedimentis piscinae et canalium eximere. Et de hereditatibus venditis quaere infra in hoc capitulo.

**323. De resignatione hereditatum et disbrigatione.** (II. 73<sup>b</sup>.) Qui hereditatem et praecepue extra muros civitatis sicut alteri coram judicio resignat, debet eum, si petit, cautione sidejussoria de hoc securum facere, quod tempore praescriptionis currente ab impetionibus juris ipsam sibi disbriget. Sed non opportet, quod a manu violenta seu potente eandem sibi protegat et defendat.

**324. Ad idem quantum ad resignationem.** (II. 74. A. 27. 3. B. 31<sup>b</sup>. 2. C. 15<sup>a</sup>. 1-5. D. 71<sup>a</sup>. 2. K. 16<sup>a</sup>. 3.) In Broda Ungaricali civis quidam ebrius existens in taberna noctis tempore coram duobus juratis bona, quae habebat mobilia et immunabilia alteri resignavit. Mane vero facto cum de hoc negaret et jurati, quod in ebrietate usum rationis non habens, hoc fecisset testarentur. Quaesitum est ab adversario, utrum in possessionem bonorum sibi resignatorum non sit per judicem mittendus. Super quo diffinitum fuit, quod actus judicarii, praecepue tamen in causis civilibus, puta contractibus, venditionibus et emtionibus et consumilibus, diurno tempore sunt habendi, et quidquid sit in talibus deliberatione praehabita, ab illis, qui usum rationis habent, ratum est servandum. Unde dicta resignatio ab ebrio facta de nocte tamquam inefficax de jure non procedit. Dicit enim regula juris: Quidquid calore iracundiae sit vel dicitur, non prius ratum est, quam ex perseverantia apparuerit, judicio animi fuisse. Ebrius autem sicut et iratus animi judicium habere non videtur. Alia regula dicit: Omnia quae animi destinatione agenda sunt, non nisi vera et

certa scientia perfici possunt. In obligationibus autem, quae ex maleficio nascuntur securus est; unde si ebrius homicidium vel furtum committit, ipsum ebrietas non excusat.

325. De hereditatum resignatione. Quod resignatio et traditio solum coram judge fieri debent. (H. 74<sup>a</sup>. A. 27. 4. B. 32<sup>a</sup>. 1. C. 15<sup>a</sup>. 5. D. 71<sup>b</sup>. 1. K. 160<sup>a</sup>. 3.) Hereditatum traditio solum fieri debet coram judge et juratis: unde quod resignationes mensarum panum et macellorum fieri consueverunt coram magistris pistorum, carnicum, quando in czechis sive sectis suis se congregant, hoc nullam juris obtinet firmitatem. Non sortitur etiam vigorem juris, quod censuales in limitibus judicij civitatis residentes, cum vendunt domos et hereditates suas, ipsas coram dominis, quibus censuant, resignant; sufficit enim, quod coram domino census fiat venditionis publicatio, quod vulgariter dicitur „Urkund.“ Resignatio vero, quam praescriptio sequitur, est tantum coram actuato judicio facienda.

326. De resignatione et traditione factis tacita veritate. (H. 74<sup>b</sup>. A. 27. 5. B. 32<sup>a</sup>. C. 15<sup>a</sup>. 8-9. D. 71<sup>b</sup>. 2. K. 160<sup>b</sup>. 1.) Zdenko de Klobuk cum tempore pestilentiae domum suam Heinrico vendidisset et pecuniam venditionis suis creditoribus, qui tamen propter hoc eum liberum non dimiserunt, apud Heinricum deputasset (odkazal) domo coram judicio non resignato a Klobuk extra terram recessit. Heinricus vero domum inhabitans postquam duobus annis in ipsa habitasset et cuidam Gaysilprechto, cum quo vinum propinaverat, in quadam summa pecuniae indebitatus fuisset domum ipsam (prima pecunia, pro qua emerat, creditoribus Zdenkoni non soluta) dicto Gaysilprechto coram roborato judicio servatis juris solennitatibus pro suis debitibus cum alias eidem solvere non haberet, publice resignavit. Quo facto Heinricus viam universe carnis est ingressus. Gaysilprechtus autem, postquam anno cum dimidio domum praescriptam sine impetione tenuisset, supervenit Zdenko, quem, cum creditores sui per Heinricum dum viveret de pecunia, pro qua domum praenotatam emerat, de ipsorum debitibus non pagati judicio convenissent, Gaysilprechto praenotatum iu causam trahens pro se petivit sententialiter dissiniri, cum Heinricus pecuniam, pro qua domum ab ipso emerat, creditoribus, quibus eam deputaverat, et quibus ipsam solvere promiserat, non dederit, cum etiam ipse domum praescriptam Heinrico non resignaverit: utrum, non obstante quod Gaysilprechtus

domum minus juste sibi resignatum ultra annum occupaverit, cum tautum a resignatione legitime facta per verum heredem praescriptis currat creditores sui non debeant principaliter adhuc de valore dictae domus de eorum debitis expedire. Gaysilprechtus vero resignationem et praescriptionem ut superius exprimitur in contrarium allegavit et infra. Sententiatum est igitur per consilium, quod Gaysilprechtus non tamquam heres et verus possessor, sed magis tamquam occupator domum, quam Heinricus tacita veritate contra justitiam, ex eo, quod pecuniam, pro qua ipsam emerat, creditoribus Zdenkonis non persolvit, nec per Zdenkonem sibi resignata fuit, eidem Gaysilprechto resignaverat, minus juste inhabitavit, nec currente vero praescriptionis tempore possedit. Quare secundum Zdenkonis petitionem de valore saepedictae domus creditores ejusdem de debitis eorum, propter quae domus primo fuit vendita, sunt pagandi. Non firmatur enim tractu temporis, quando de jure ab initio non subsistit. Et ad idem require infra sub titulo, quod praescriptionem excludit tacita veritas.

327. De hereditatibus quantum ad praescriptionem. (II. 75. A. 27. 6. B. 32<sup>a</sup>. 2. C. 15<sup>a</sup>. 10. 15<sup>b</sup>. 1. D. 72<sup>a</sup>. 1. K. 160<sup>b</sup>. 2.) A die, qua hereditas coram judicio resignatur, est computanda praescriptio, et non a die, qua currente praescriptionis tempore hereditas vel ejus possessor fuerit impetus. Unde, si hereditas a die resignationis anno et die sine imputatione possideatur, sive tempore medio pluries imputatur, dummodo quaelibet imputatio ad plenum disbrigetur; semper anno et die a resignatione finitis imputatio facta postea non valebit.

Et notandum, quod illam diem, quae additur anno, aliqui recipiunt pro VI septimanis, quae faciunt terminum peremptorium, quo aliquis citatur tertia vice duobus edictis praemissis; aliqui recipiunt eandem diem pro die (naturali) juridica annum praescriptionis proxime subsecuta; aliqui recipiunt eam pro die naturali, quae LII septimanas pro anni spatio computatas sequitur immediate; talis enim dies annum compleat sicut patet dies in Kalendario numeranti. Nota, quod dicendum est secundum veritatem, quod, cum annus compleatur per illam diem, quae additur LII<sup>bus</sup> septimanis; dies praescriptionis, quae additur anno, est illa dies, quae est principium sequentis anni, sicut verbi gratia: si resignatur hereditas die circumcisionis, quae est die dominica, tunc praescriptio terminatur anno sequenti in die circumcisionis, quae erit feria secunda; et si imputatio

siceret in eadem feria secunda, vigorem haberet. Insuper, si dies bisextilis additur anno, illa dies etiam temporis praescriptionis est addenda; nam actio temporis praescriptionis potius est laxanda, quam restringenda.

328. De hereditatibus quomodo praescriptio interrumptatur, (H. 75. A. 27. 6. B. 32<sup>b</sup>. 1. C. 15<sup>b</sup>. 2-4. D. 72<sup>b</sup>. 1. K. 160<sup>b</sup>. 2.) Si contra allegantem, per tempus praescriptionis quiete hereditatem sine interruptione se tenuisse sufficienter probata fuerit interruptio, praescriptio non tenebit. Interrumpitur autem praescriptio, quandoque per inundationem aquarum, sicut si hereditates aquis vicinae in tantum inundatione perfundantur, quod possideri perceptione fructuum non possint. Quandoque etiam interruptio fit per dejectionem vel expulsionem, et quandoque per proclamationem et protestationem coram judice, vel illo, cuius interest, et per violentiam occupatione factam, et hoc praecipue, quando violentus possessor est absens et conveniri non potest ex aliqua causa. Item per solutionem debitae pensionis, sicut si aliquis censum determinatum de domo converta pluribus annis solvat, non potest probare, quod ex praescriptione domus hujusmodi ad se spectat.

329. Quod violentus occupator non praescribit. (H. 75. A. 27. 6. B. 32<sup>b</sup>. 1. C. 15<sup>b</sup>. 4. D. 72<sup>b</sup>. 2. K. 160<sup>b</sup>. 2.) Rusticis de Chunicz sententiatum est: Violentus etiam occupator licet multis annis bona teneat hereditaria, tamen, quia violentia legibus est contraria, cessante violentia per verum heredem a bonis hujusmodi repellitur, nec per praescriptionem, si eam allegaverit, poterit se tueri. Possessor enim malae fidei nullo tempore praescribit, de perceptis etiam tempore violentiae heredi satisfaciet ipso jure; debet enim ipse heres violentam possessionem occupantis, quamdiu duraverit, annis singulis sub protestatione solemni coram judicio publicare.

330. De praescriptionibus hereditatum et Urkund. (H. 75<sup>b</sup>. D. 73<sup>a</sup>. 1.) De Auspicz scriptum est sic: Soror enim conquaesta est de fratre, quod quatuor marcas sibi dederit, pro quibus hereditatem emerit, addens aliquid de sua pecunia, ita, quod tota hereditas emta ad eam pertinere deberet. Et postquam frater quatuor annis hereditatem possedit, mortuus est in pestilentia, hereditatem ipsam pueris suis coram testibus ad hoc vocatis disponendo. Modo soror petit pro se sententialiter dictari, cum ipsa testamentum reclamet, et testes idoneos, qui et emtioni modo praemisso factae interfuerint, et

mercipotum biberint, habere posset et singulis annis de emtione praedicta per fratrem suum pro ea facta, judici Urkund dederit et protestationem interposuerit: utrum per eosdem dictam hereditatem non beat legitime obtinere. Pueri autem fratris, quibus hereditus est legata, statuunt testes de dispositione hereditatis per patrem eorum in ultima voluntate eis facta, et quaerunt, si tales pro eis testentur: utrum hereditas ad eos non sit testamentaliter devoluta, potius quam ad sororem beat pertinere. Circa hunc casum jurati ponderaverunt, quod, quando pars adversa potestatem, judicem adeundi et pro causa placitandi habet cum adversario, tunc protestatio per Urkund facta parum valet; cum autem dicta potestas abest, parti tunc protestatio interposita de placitis, quando facultas fuerit habendis, bene valet, dummodo adveniente opportunitate judicium inchoetur. Urkund vel sit occulte vel publice. Si occulte, ita, quod ejus notitia ad illum, cui debet obesse, non perveniat, non videtur, quod sibi noceat, si autem publice, ita, quod per judicem parti, contra quam fit, significetur: tunc quandam probabilitatem inducit; non tamen praescriptionem tollit, nisi citatio legitima partis adversae et actus judicialis more debito subsequatur. Item cauti esse debent judges, quod cum Urkund recipiunt, parti dicant: Adversarium tuum cita, et in causam trahe, antequam praecriptio jus tuum extinguat. Item praecriptio a die traditionis et resignationis hereditatis coram judgee facta initium capit, et non a die venditionis et emtionis; et ex his sententiatum est pro pueris fratris: si pater eorum possidendo legitime praescripsit, testamentum ejus sufficienter probatum stabit.

331. Quod praecriptio quandoque tollit jus hereditarium. (H. 76. A. 27. 9. B. 33<sup>a</sup>. 1. C. 15<sup>b</sup>. 8. D. 73<sup>b</sup>. 1. K. 161<sup>b</sup>. 1.) Rusticus quidam in Restawicz<sup>1)</sup> moriens bona, quae reliquit, tribus filiis suis legavit inter ipsos acqualiter dividenda; senior itaque filius se de bonis hujusmodi intromittens mediocri fratri suo partem medium eorum dedit; junior autem ad partes remotas declinans, et cum post octo annos tempore pestilentiae reversus fuisse, fratrem seniorem, qui uxorem et pueros reliquerat, intestatum decessisse inveniens, petivit a fratre mediocri partem honorum ex testamento patris eum contingentem. Qui respondit, quod paratus esset secum dividere ea justo modo. A consobrina vero sua, scilicet relictâ fratris senioris præmortui, cum similiter portionem suam repe-

<sup>1)</sup> D. Petrus de Boskowicz.

teret, respondit, quod nihil de suo haberet, imo tantum bona per maritum suum sibi dimissa cum ejus pueris possideret. Petens insuper pro se sententialiter inveniri, cum et maritus ipsius et ipsa cum pueris suis pluribus annis sine impetitione talia bona quiete tenuisset, utrum eis per aliquem posset decertari. Super quo diffinitum fuit, quod petitio talis relictæ et puerorum non est admittenda; sed de bonis per patrem trium filiorum, quae duo fratres inter se distribuerunt, dimissis juniori filio debet pars sua tertia ab utraque partibus assignari, unde relicita et pueri sui tantum super parte tertia fratri senioris praescripserunt, fratri vero juniori super parte sua talis praescriptio, si tamen aliud non obstat, nullum praejudicium generavit.

332. In quibus praescriptio locum non habet. (II. 76<sup>b</sup>. A. 27. 10. B. 33<sup>a</sup>. 2. C. 16<sup>a</sup>. 1. D. 73<sup>b</sup>. 2. K. 162<sup>a</sup>. 1.) Ad loca diversa sententiatum est, quod vias justas et antiquitus usitatas, stratas regias, semitas, plateas, interstitia domorum, pro aquarum deflexu facta planities et territoria, lapidum fractiones, arenarum et argillarum fossiones, et quaevis alia terrae spatia quantum ad villana campestria et silvana, si universitatis sunt, et reipublicae ac utilitati communi ab antiquo deservire consueverunt: nemo, nisi de consensu principis hoc faciat, appropriare sibi potest. Unde talia obstruens, occupans, prohibens, impediens vel qualitercumque sibi usurpans et ascribens nulla licet etiam temporis longissimi praescriptione poterit se tueri: cum semper mala fide rem possideat alienam. Talis etiam infidelis possessor malae fidei non solum a communi, imo privata persona communitatis, cui de hoc constiterit, poterit accusari.

333. Ad idem in quibus praescriptio locum non habet. (H. 76. A. 27. 10. B. 33<sup>a</sup>. 2. C. 16<sup>a</sup>. 2-3. D. 74<sup>a</sup>. 1. K. 162<sup>a</sup>. 2.) A collectis contributionibus, steuris et quibuscumque civilibus oneribus per superioris dominium vel rectores plebis communitatii impositis solvendis non potest se aliquis praescriptione quantumcumque longa tueri. In solis enim hereditatibus et non in causis aliis praescriptio locum habet.

334. De hereditatibus quantum ad obligationem. (II. 76. A. 27. 11. B. 33<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>a</sup>. 4. D. 74<sup>a</sup>. 2. K. 162<sup>b</sup>. 4.) Martinus de Biscenç obligavit Petro agros cultos quosdam et quosdam incultos pro XXX marcis usque ad certum annorum numerum per ipsum tenendos, quibus nondum practeritis Martinus pecuniam Petro offerens agros sibi restitui petit ab eodem. Petrus vero ultra sortem concessam requirit a Mar-

tino pensionem debitam ex eo, quam, quod laboribus gravibus agros incultos aravit et fructiferos reddidit, se asserit meruisse et infra. Super quo diffinitum fuit, quod allegatione Petri non obstante sortem concessionis a Martino recipere et agros sibi debet liberos resignare; quia pro laboribus et expensis, quos et quas in culturis agrorum, quos fecit arabiles, se dicit expendisse, fructus per annos obligationis per ipsum percepti sibi satisfecisse rationabiliter judicantur.

335. Ad idem. (II. 77. A. 27. 12. B. 33<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>a</sup>. 5. D. 74<sup>a</sup>. 3. K. 163<sup>b</sup>. 1.) Si hereditas pluribus obligata fuerit creditoribus, quorum minus aliis non requisitis ipsam vendat, alter creditorum, si voluerit emtore repulso de hereditate pro illo tamen practio, pro quo vendita fuit, se intromittere, potuerit pleno jure.

336. De hereditatibus obligatis quantum ad terminium solutionis. (II. 77. A. 27. 12. B. 33<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>a</sup>. 6. D. 74<sup>a</sup>. 3. K. 163<sup>b</sup>. 1.) Gostelliensibus juratis sententiatum est: Si hereditas obligata creditori per debitorem, antequam terminus instet solutionis, pro pecunia vendatur parata, creditor statim, nisi debitor cautione sufficienti vel pignore aequivalenti eum, quod usque ad adventum terminum sustineat certificet, de suis debitibus est pagandus.

337. De hereditatibus obligatis sub usura vel sine usura, quando sint vendenda. (II. 77. A. 27. 12. B. 33<sup>b</sup>. 1. C. 16<sup>a</sup>. 7-10. D. 74<sup>a</sup>. 5. K. 163<sup>b</sup>. 2.) Pro rustico cuiusdam villae civis quidam de Wissaw ad judaeos pro nominata pecunia fidejussit; et cum dicti civis et rusticus ex eo, quod judaei de suis statim volebant debilis pagari, coram judicio super hujusmodi casu contendenter, sententialiter diffinitum fuit, quod rusticus civem a fidejussione redimere deberet. Rustiens vero dicens, se pecuniam in praesenti paratam habere non posse, sed hereditatem suam ipsi civi pro fidejussionis absolutione obligare velle, jurati de Wissaw petiverunt informari: utrum tali facta obligatione civis hereditatem eandem sicut de hereditatibus aliis, quae obligantur, consuevit fieri anno et die in pignore debeat servare, vel statim ipsam liceat sibi vendere et se de judaeorum debito et usura, quae accrescit, quotidie liberare. Quibus rescriptum fuit: Si fidejussor apud judaeos preceibus potest efficere, quod super hereditatem principalis debitoris nomine pignoris suum debitum volunt habere, bene quidem; sin autem extunc statim fidejussor ipse de eadem se intromittens hereditate, ipsam per VI septimanias tenebit super

per XIV dies intromissionem et tentionem hujusmodi coram iudicio publicando; et si facta tria publicatione debitor principalis ipsum a judaeis non absolverit, statim hereditatem vendere poterit, se ipsum a debito principali judacorum et usurarum voragine redimendo. Nec per hoc communii juris consuetudini, quae habet, quod hereditas obligata anno et die servanda est, in pignore derogatur.

Hoc enim intelligendum est, cum obligatio sit voluntarie et non; cum ad ipsam faciendam aliquis compellitur, sicut factum est in proposito rigore justitiae et ordine judiciario mediante, et praeceps cum debitum, pro quo obligatur, hereditas est judaeorum, supra sc usuram recipiens. In tali enim casu illi, qui hereditatem obligavit, augmentum usurae anno et die maius ficeret damnum, quam servatio hereditatis generet sibi lucrum. Unde circa obligationes hujusmodi statutum tale generaliter est observandum: Si aliquis homo alteri, non habens mobilia, hereditatem suam pro debitis, non compulsus ad hoc, per formam juris obligaverit, talis hereditas anno et die in pignore est servanda, postea vero tria coram iudicio facta pronunciatione vendi potest. Si vero per judicium aliquis compellitur, ille suo juramento obtinere debet, quod res mobiles habere non possit, et quod necessitate cogente hereditatem talem suo obliget creditori; hoc enim facto creditor, cui hereditas obligatur, hereditatem hujusmodi de ipsa se intromittens tribus vicibus eam coram iudicio publicabit, et postea illi, cuius est hereditas et qui sibi eam obligavit, si eam habere voluerit, tamquam inquilino potius, quam alicui alteri pro aliqua summa pecuniae census nomine per annum et diem exponet; si vero eam habere noluerit, tunc alteri cuicunque ipsam eodem modo, ut praedictum est, exponere potest; et si hujusmodi currente termino hereditas talis ab ipso liberata non fuerit, ipsam postea libere vendere potest cuicunque. Qualiter autem faciendum sit de hereditate pro debito obligata usurario, superius est expressum.

338. De hereditatibus quantum ad appropiationem. (II. 77. A. 27. 13. B. 34<sup>a</sup>. 1. C. 16<sup>b</sup>. 2. D. 75<sup>a</sup>. 1. K. 164<sup>a</sup>. 1.) Hereditas si pluribus creditoribus per bastulam, vulgariter dictam „span“, ordinarie fuerit appropriata, quamvis primus creditor debitorem inducet, tamen secundus vel tertius ipsum de hereditate pellens eam potest vendere vel aliquomodo in denarios convertere; de hujusmodi tamen denariis primus

creditor ante sequentes de suis debitibus est pagandus. Sic sententiatum est juratis in Hulein.

339. Qualiter hereditas et possessio adipiscatur. (II. 78. A. 27. 14. B. 34<sup>a</sup>. 1. C. 16<sup>b</sup>. 3. D. 75<sup>a</sup>. 2. K. 164<sup>a</sup>. 2.) Tempore pestilentiae rustici de Urkwan informati sunt, quod hereditas vel possessio adipiscitur ab antecessoribus conjunctis personis, quandoque ex testamento et quandoque ex intestato; sed per extraneam personam non adipiscitur, nisi per liberam donationem.

340. Quod hereditas potest per alium possideri. (II. 78. A. 27. 15. B. 34<sup>a</sup>. 2. C. 16<sup>b</sup>. 4-7. D. 75<sup>a</sup>. 3. K. 164<sup>a</sup>. 3.) Rusticis eisdem interrogantibus diffinitive responsum est, quod possidet aliquis hereditatem vel rem alienam non solum, si ipse persona propria possideat, sed etiam, si ejus nomine possessione rei aliquis sit, licet etiam ille ejus juri subjectus non sit, qualis colonus est vel inquilinus, per eos quoque, apud quos deposuerat aliquis, aut quibus commodaverat, ipse possidere videtur. Solo animo possessio retinetur, quamvis nec ipse sit in possessione, neque aliis ejus nomine, tamen si non relinquit de possessionis animo sed postea reversurus inde recesserit, qui retinere possessionem videtur. Male autem possidet qui vi vel clam possessionem subripuit et etiam ille, qui rogavit aliquem, quod eum in possessionem rei mitteret; et contra illum agitur causa possessionis recuperandae.

341. De hereditaria successione testamentaliter procedente utrum per dotalitium impediatur et quomodo succeedat testamentum, et de Urkund ut patet. (II. 78. A. 27. 16. B. 34<sup>a</sup>. 2. C. 16<sup>a</sup>. 8-9. D. 75<sup>b</sup>. 3. K. 164<sup>a</sup>. 4.) Casus est talis: Heinricus condidit testamentum et sic disposuit, quod quidam ager situs in campis villaे Purkwan hereditarie et successive per lineam masculinam a descendantibus ab eo possideri deberet ita, quod filii ejus mortuis proximus consanguineus et senior eundem agrum possideret, quo sublatu de medio aliis consanguineus senior et postea iterum senior in infinitum. Accidit ergo, quod senior filius successit in agro et uxorem duxit, cui vice dotis istum agrum donavit coram judice et scabinis in Klobuk et uxor ipsa coram eisdem judicii et scabinis donationem hujusmodi est protestata dans denarios judiciales, nihil sciens de testamento supradicto. Modo viro mulieris mortuo in pestilentia sine herede venerunt consanguinei testatoris volentes ipsam privare per justitiam agro illo, et scabini de Purkwan sententiaverunt

pro ipsis et pro parte testatoris ac descendantium ab eo. Pars vero mulieris provocavit ad scabinos in Klobuk, qui auditis partibus et protestatione mulieris, qua dicit, quod maritus ejus, quando iturus esset aquisgrani coram consanguineis suis, quos invitaverat, praedictam donationem nullo contradicente innovaverit. De quo cum secundario protestata fuerit, pro muliere sententiam tulerunt, a qua consanguinei testatoris ad consiliarios Brunnenses appellaverunt. Quaeritur ergo primo, quae praedictarum sententiarum plus justitiae sit conformis. Et secundo dato, quod filii testatoris, qui sunt tres, ordinarie in agro succedunt et tandem ipsis defunctis quilibet eorum heredes relinquat, cujus filii heredes ante alios praescriptum agrum debeant possidere. Et tertio, quam vim habeant in jure denarii judiciales, qui „Urkund“ vulgariter nominantur. Super primo istorum diffinitum fuit, quod sententia juratorum de Purkwan efficax est et justa. Cum enim maritus dedit uxori agrum pro dote in alio judicio, quam in quo ager situs est. Est enim situs in limitibus judicij de Purkwan. Est autem pro dote datus in Klobuk cum etiam, quod plus ad rem facit maritus donationem uxori factam non coram judicio solemniato in Purkwan, sed tantum in concvio innovaverit, quamvis consanguinei praesentes sub silentio hoc transiverunt et uxor protestata hoc fuerit, tamen adhuc testamentum primo dispositum in suo rubore permanebit. Insuper si dictae donationis innovatio coram actuato judicio facta fuisset, adhuc tantum illis consanguineis, qui praesentes eam non reclamassent et non aliis absentibus praejudicium generassent. Ad secundum autem dictum fuit, quod mortuo ultimo filio non ejus filii, nisi seniores fuerint, statim succedunt in agro, sed potius filius senior a quo cunque primorum filiorum fuerit generatus. Unde sicut testator disposuit, quod semper senior filius agrum possideret, eodem modo in tali possessione filiorum filii scilicet, qui seniores fuerint, sibi succedunt. Sed ad tertium dictum est, quod denarii judiciales absolute jus non generant, nisi super jure obtinendo aliqualiter attestentur.

342. De successione hereditaria, quo dcessante testamento iterum revertitur. (H. 79. A. 27. 18. B. 34<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>b</sup>. 10. D. 76<sup>a</sup>. 1. K. 165<sup>a</sup>. 1.) Jurati de Klobuk proposuerunt sic: Quidam de nostris legavit domum suam omnibus successive a filiis suis descendantibus per lineam masculinam. Mortuis itaque talibus omnibus masculis in pestilentia, muliebribus vero aliquibus superviventibus, quaeritur, utrum ad

ipsas dicta domus, quae per testatorem eis legata non fuit, sit hereditarie devoluta. Super quo diffinitum fuit, quod licet non ex ordinatione testatoris, tamen ex jure successoris hereditarie dicta domus ad mulieres superstites dinoscitur pertinere; cum enim dispositio testamenti in hoc casu morte interveniente ulterius procedere non posset, conveniens est, quod jus hereditarium ipsum testamentum ordine debito consequatur.

343. Quis debeat dividere bona hereditaria. (II. 79. A. 27. 19. B. 34<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>b</sup>. 11. D. 76<sup>a</sup>. 2. K. 163<sup>a</sup>. 3.) Si duo heredes bona praedecessorum suorum inter se debeant dividere, tunc ad seniorem sicut ad prudentiorem pertinet dividere et ad minorem spectat partem, quam voluerit eligere ipso jure.

344. Quomodo debeant bona dividi hereditaria. (II. 79. A. 27. 19. B. 34<sup>a</sup>. 3. C. 16<sup>b</sup>. 12. D. 76<sup>a</sup>. 3. K. 163<sup>a</sup>. 3.) Alberto sub pestilentia mortuo cum uxor ejus Johannem in maritum duceret sententiatum fuit si propter secundas nuptias mater de bonis communibus suam tertiam voluerit excipere partem, illa in bonis mobilibus, si sunt, est sibi danda. Cum enim semen patris et memoria remaneret in pueris et non in uxore, rationabilius est, quod bona permanentiora, sicut sunt immobilia et hereditaria, pueris assignentur.

345. De hereditatibus et successionibus filiorum legitimorum, naturalium et adoptivorum. (II. 79. A. 27. 20. B. 34<sup>a</sup>. 1. C. 17<sup>a</sup>. 1. D. 76<sup>a</sup>. 4. K. 164<sup>a</sup>. 5.) Jurati de Budspicz verbotenus proposuerunt hunc casum: In villa quaedam tempore pestilentiae rusticus quidam bene dives est mortuus intestatus. Et quia reliquit quosdam filios legitimos et quosdam naturales, quos ex concubina generavit, et legitimi simpliciter ab hereditate et bonis mobilibus per patrem relictis naturales volunt excludere. Ideo petimus de jure hujus casus informari. Quibus responsum est, quod filii legitimi iu omnia bona per patrem reicta secundum justitiam succedunt. Est tamen pius et quodammodo rationabile, quod legitimi naturalibus misericorditer subveniant invictus et amictus necessitate.

346. Qui heredes sint legitimi et qui non. (II. 79. A. 27. 21. B. 34<sup>b</sup>. 1. C. 17<sup>a</sup>. 3. D. 76<sup>b</sup>. 1. K. 164<sup>b</sup>. 1.) Pueri vivente uxore legitima alicuius, ex concubina per eundem generati non sunt legitimi, nec cum heredibus legitimis in bonis parentum percipiunt portionem. Unde secundum jura quadruplex est status filiorum. Quidam sunt naturales et legitimi ut illi, qui nascuntur ex legitimo matrimonio, quod est legitimum

secundum rem et rationem sive approbationem ecclesiae; alii vero sunt naturales non legitimi, ut qui nascuntur ex concubinis; alii vero sunt legitimi, tantum, ut qui per adoptionem filii efficiuntur. Alii vero nec naturales nec legitimi, ut qui ex damnato coitu nascuntur, scilicet ex adulterio et incestu: et inter istos primi filii bona parentum potissime possidebunt.

347. Qualiter heres probare se debeat esse legitimum. (H. 79. A. 27. 21. B. 34<sup>b</sup>. 1. C. 17<sup>a</sup>. 3. D. 76<sup>b</sup>. 2. K. 164<sup>b</sup>. 1.) Cum cives de Radisch quaesissent qualiter heres, cui objectum fuit, quod non esset legitimus, probare se debeat esse legitimum, instructi sunt, quod legitimi filii sunt, qui ex legitimis matrimonii procreantur, sive matrimonium sit verum sive putatum, dummodo contrahentes publice et solemniter contrahent et impedimentum ignorent. Unde ad probandam legitimam filiationem prodest confessio, parentum puta; si sunt servi sufficit ad probandum confessio vicinorum veterum quorumcumque, bonae famae hominum duorum cujuscumque sexus, qui asserant, quod parentes illius cui objicitur, semper se habuerint et reputaverint legitime conjugatos.

348. De hereditatibus legitimis quorum parentes divortiantur. (II. 79<sup>b</sup>. A. 27. 21. B. 34<sup>b</sup>. 1. C. 17<sup>a</sup>. 5. D. 76<sup>b</sup>. 3. K. 164<sup>b</sup>. 1.) Si vir vel mulier in facie ecclesiae legitime conjuncti credunt se stare in vero matrimonio et tamen non stant, tandemque forte cognatione carnali vel spirituali, vel justa causa faciente canonice ab invicem divortiantur; omnes pueri, quos ante divortium genuerunt, inclusi et illo, quem mulier habet in utero, si praegnans divortiata fuerit, legitimi sunt, et in bonis parentum hereditariam habent portionem. Fides enim, qua parentes credebant se simul habitare legitime, quamvis ignorantur illegitime habitaverint, pueros legitimat: unde ignorantia in hoc casu peccatum excusat.

349. Utrum pueri intempestive nati hereditariam cum aliis pueris habeant portionem. (II. 80<sup>a</sup>. A. 27. 22. B. 34<sup>b</sup>. 2. C. 17<sup>a</sup>. 6-7. D. 77<sup>a</sup>. 1. K. 165<sup>b</sup>. 5.) Licet jura quarundam regionum velint, cum virgo impregnata per XXXIX, mulier vero impregnata per XL tantum, vel ad plus una super addita septimanas pueros in uteris secundum naturam portare debeant, si puer non completo isto tempore, scilicet mature vel post, quod vulgariter dicitur: „ezu spat o dir ezu frue“, natus fuerit, portionem hereditariam non habebit: tamen jus tale secundum consuetudinem ab antiquo servatam corruptela est potius censenda. Unde puer ex paren-

tibus legitime conjugatis sive mane sive tarde procreatus portionem ipsum hereditarie contingente non carebit; cum enim prius vel post nasci non stet, per eum inconvenienter hoc suo jure de debito privaretur.

350. De successione hereditaria puerorum et infantium. (H. 80<sup>a</sup>. A. 27. 22. B. 35<sup>a</sup>. I. C. 17<sup>a</sup>. 8. D. 77<sup>a</sup>. 2. K. 165<sup>b</sup>. 1.) Mulier hereditaria a progenitoribus ad se devoluta possidens bona, si de viri, quem legitime duxerit, semine puerum, in ejus partu moriatur, generit, puer idem si tanto tempore vixerit, quod oculos apperiens quatuor parietes domus perspicerit, honorum parentum per matrem relictorum particeps erit, eoque defuncto bona tam pueri quam matris ad patrem hereditarie pertinebunt. Sic sententiatum est rusticis ejusdam villaec.

351. De successione hereditaria filiorum specialiter. (H. 80<sup>a</sup>. D. 77<sup>a</sup>. 3.) Tempore pestilentiae in villa quadam prope Hulein quidam dives moriebatur rusticus duas, quibus bona sua mobilia et immobilia non pauca disposuit, relinquens filias, quarum una probum et honestum duxit virum, alia vero cum quodam vago seu levi et inutili persona matrimonium contraxit. Modo quaerunt consanguinei dictarum filiarum, utrum possessiones per patrem ipsarum eis dimissae non debeant ad illam tantum spectare, quae probum maritum duxit, ita, quod secundae, quae scurram duxit, de bonis mobilibus portio media tribuatur. Super quo diffinitum fuit: Licet motivum consanguineorum adeo sit rationabile, quod in locis pluribus teneatur pro jure, tamen secundum statuta privilegiorum regalium civitatis Brunnensis tam hereditates, quam bona mobilia praescriptis filiabus per patrem legata inter ipsas sunt aequaliter dividenda. Scribitur enim in dictis privilegiis, quod in arbitrio viduae filiae vel neptis cuiuslibet civium est, nubere vel non nubere cuicunque velit, absque quolibet impedimento.

352. De hereditaria successione quantum ad masculum et feminam, quantum ad urkund et quantum ad terminum placitandi. (H. 80. A. 27. 23-26. B. 35<sup>a</sup>. 2. C. 17<sup>a</sup>. 10. D. 77<sup>b</sup>. 1. K. 166<sup>a</sup>. 2.) Sententiatum est in Wissaw ad requisitionem domini episcopi Olomucensis et juratorum ibidem, quod mortuis parentibus in bonis eorum relictis, heredes tam femellae quam masculi jus hereditarium obtinebunt. Item sententiatum est eis, quod quamvis heredes viventibus parentibus super bona ipsorum, quod eis morientibus ad ipsos devolvantur, nec jus, quod vulgariter „Ur-

kund<sup>a</sup> dicitur, dent, nec exactionem seu contributionem de bonis hujusmodi solvant; tamen adhuc bona repeterem possunt talia pleno jure. Item sententiatum est eisdem: Si haeredes petunt induciari, debent per judicem et juratos a primo judicio ad secundum et a secundo ad tertium, quod inquirant, quos pro occupatione bonorum ad ipsos haereditarie devolutorum habeant et debeant impetrere via juris.

353. De haeredibus adoptivis. (II. 80<sup>b</sup>. A. 27. 26. B. 35<sup>a</sup>. 3. C. 17<sup>b</sup>. 2. D. 77<sup>b</sup>. 2. K. 167<sup>a</sup>. 3.) Sub pestilentia sententiatum est juratis de Budespicz, quod haeredibus carent potest sibi puerum vel pueros virilis vel muliebris sexus in haeredes adoptare, et ipsos bonorum suorum successores et possessores constituere. Et eodem modo haeredes habens potest ipsis alias pueros adjungere et pares de jure facere, contradictione consanguineorum suorum qualibet quiescente.

354. De haereditaria successione ab intestato. (II. 80<sup>b</sup>. A. 27. 27. B. 35<sup>a</sup>. 2. C. 17<sup>b</sup>. 3-5. D. 77<sup>b</sup>. 3. K. 167<sup>a</sup>.) Tempore pestilentiae jurati de Chremisir scripserunt sic: Quidam ex nostris concivibus sine haeredibus obiit intestatus: uxor autem ejus, cum se de bonis intromisisset, ea possidens vocavit patrem et matrem dicens ad eos: „Sentio me vivere non posse. Bona per maritum meum mihi dimissa vobis do, petens ut animae meae memoriam habeatis.“ Qua defuncta sacerdos quidam, frater carnalis mariti praemortui, allegat bona praescripta ea de causa, quod frater suus et uxor ejusdem decesserint absque haeredibus, ad eum esse devoluta. Pater vero relictæ mortuae sententiari petivit, utrum bona per filiam suam, ad quam transiverunt justo successionis titulo et quae sacerdos, ea vivente rationisque compote existente non impetravit sibi et uxori suae donata, possint sibi per quempiam decertari. Qua sententia ad consilium juratorum delata, cum ea pendente pater vita functus sit, mater adhuc superstes querit, utrum bona per ejus filiam sibi data non potius ad eam, quam ad sacerdotem praedictum debeant pertinere et infra. Quibus sententiatum fuit, quod secundum privatum jus et locale civitatis Brunnensis mater relictæ, et non sacerdos, frater mariti, dicta bona possidebit. In juribus enim originalibus civitatis scribitur sic: „Si autem is, qui moritur, non habuit uxorem vel liberos et sine testamento et ordinatione rerum suarum decedit, bona, quae reliquit, proximo haeredi suo cedant.“ Ergo per contrarium, si uxorem habuerit vel liberos, illis tamquam haeredi proximo bona cedant. Et sicut maritus res legare potuit cum vixit, sic

uxor cum dominium rerum ad eam transivit, res disponere potuit, ut decrevit.

355. De haereditaria portione et successione parentum et puerorum et de secundis nuptiis. (I. 81. A. 27. 28. B. 35<sup>a</sup>. 3. C. 17<sup>b</sup>. 6. D. 78<sup>a</sup>. I. K. 165<sup>a</sup>. 4.) De Chrisans propositus est casus talis: Molier vidua filiam habens et filium, quem tamquam primogenitum plus amans de substantia, quam communem habebat cum pueris, agrum sibi salvat, nihilominus in bonis aliis portione sua debita specialiter deputavit. Sed cum post breve tempus idem filius vita functus esset, et mater ad secundas nuptias transivisset, quae situm est pro parte filiae, utrum ager fratri suo datus, tam ex ejus morte, quam ex matris nuptiis non sit ad eam haereditarie devolutus. Matre in contrarium allegante, cum secundas a lege concessas de jure poterit celebrare nuptias, utrum per hoc jure, quando ad dictum agrum ex obitu filii sibi competat, sit fraudata, cum jura concorditer se debeant compati, et unum per aliud non extingui. Super quo diffinitum fuit, ex quo filia, quando mater vidua agrum dedit filio prohibendo non impetravit, sufficit secundum jus civitatis, sicut consuevit fieri de bonis, quae pater intestatus decedens uxori reliquit et pueris, quod agri tertia pars matri, duae vero filiae cedant.

356. De successione haereditaria ab intestato puerorum unius patris et plurium matrum. (II. 81<sup>b</sup>. A. 27. 29. B. 35<sup>a</sup>. 3. C. 17<sup>b</sup>. 7. D. 78<sup>a</sup>. 2. K. 165<sup>b</sup>.) Vir intestatus moriens et pueros ex pluribus uxoribus per ipsum generatos relinquens, si ultima uxor supervivens cum pueris suis a bonis sequestrata fuerit; quamdiu in sede viduitatis sederit propriis cum eorum bonis pueros reget, qui si annos discretionis non dum habitis domino vocante ab hoc mundo transierint, bona ipsorum ad matrem spectabunt, sicut et e converso matre corum vidua mortua ejus bona ad ipsos devolventur. Transactis autem annis discretionis pueri cum eorum bonis disponendi liberam habent facultatem. Item si mater maritum duxerit, bona puerorum quocumque tempore decesserint, non ad ipsam, sed ad pueros, quos pater de prioribus uxoribus generavit, haereditarie pertinebunt: omnes enim hujusmodi pueri unum habuerunt patrem, a quo dicta bona radicaliter processerunt. Sic sententiatum est juratis de Broda ungaricali.

357. De successione haereditaria ab intestato, utrum sacerdos cum fratribus laicis haeredita-

riam habeat portionem. (H. 81<sup>b</sup>. D. 78<sup>b</sup>.) In Broda ungaricati moriebatur civis intestatus tres relinquens filios laicos et quartum sacerdotem non beneficiatum, nec a domo patris per patrimonium separatum. Pro quo sententiatum fuit, quod idem sacerdos in bonis paternis cum fratribus suis laicis haereditariam eam de jure contingentem, debet percipere portionem; quam etiam, si in jure civili sibi denegaretur, spirituali judicio obtineret.

358. De successione haereditaria ab intestato, utrum filii fratris cum eorum patruis participes esse debeant haereditatis. (H. 81<sup>b</sup>. A. 27. 30 B. 35<sup>b</sup>. 1. C. 17<sup>b</sup>. 9. D. 78<sup>b</sup>. 2. K. 165<sup>b</sup>. 2.) Si filius a bonis patris per dotem non divisus uxorem duxerit, de qua pueros generavit, et tandem moriatur, patre superstito, qui postea alios filios relinquens intestatus decebat: quaeritur, utrum pueri talis filii cum eorum patruis haereditariam habere debeant portionem. Et respondetur diffinitive, quod pueri talis filii aequam cum patruis suis habere debent portionem; sed sive unus sit, sive plures fuerint, solum unam partem, illam videlicet, quae ad patrem eorum pertinuisset, percipere tenebuntur. Sic sententiatum est ad interrogationem rusticorum de quadam villa.

359. Quod frater patris ad bona relictia propinquior est haeres, quam frater matris. (H. 82<sup>a</sup>. D. 78<sup>b</sup>. 3.) Ad petitionem rusticorum de Strucz<sup>1)</sup> sententiatum est, quod marito et uxore pueris parentibus et intestatis morientibus, bona, quae relinquunt, potius ad fratrem mariti, sicut ad haeredem propinquorem transeunt, quam ad fratrem uxorius. Et eodem modo intelligitur de fratribus haeredibus eorumdem, seu aliis de patris progenie existentibus quibuscumque. De bonis tamen maternis lege sententiam sequentem

360. Quod in bonis maternis quandoque succedunt propinqui matris. (H. 82<sup>a</sup>. D. 79<sup>a</sup>. 1.) Jurati de Budespicz proposuerunt huic easum: In villa quadam nostro juri subjecta quidam viduus propria bona habens, quadam duxit viduam etiam propria bona habentem. Qui transactis aliquot annis, postquam matrimonialiter simul vixissent, accidit, quod eodem die in pestilentia ambo sine pueris intestati decesserunt: querunt ergo consanguinei mariti, utrum bona per eosdem relictas ad ipsos, tamquam ad haeredes propinquiores non debeant justicialiter pertinere. Consanguinci vero mulieris

<sup>1)</sup> H. De quadam villa.

ex alia querunt parte, cum eorum cognata, antequam maritum suum duceret et tempore, quo sibi commansit, quedam posse derit bona, quae a propria sua parentela sibi pervenerunt et nunquam ad antecessores mariti spectaverunt: utrum saltem bona talia non sint ad ipsos ex morte dictae cognatae suae ex successione haereditaria devoluta. Super quo diffinitum fuit, quod non obstante consanguineorum mariti allegatione, quae tamen multum est ponderosa, si consanguinei mulieris fide digno testimonio demonstraverint, quod bona, quae petunt a progenie mulieris, ad eam transiverunt: bona talia debent ad eos sicut ad haeredes veros similiter pertinere.

361. Quod bona mortuorum non transenunt ad dominum sed ad propinquos. (II. 82<sup>a</sup>. A. 27. 31. B. 35<sup>b</sup>. 2. C. 17<sup>b</sup>. 11. 18<sup>b</sup>. 1. D. 79<sup>a</sup>. 2. K. 164<sup>b</sup>. 2.) Reverendi domini, apud nos in Wr chow (Wrssaw D.) quidam homo fuit occissus, relinquens uxorem et filium, cuius mater postea alium superduxit maritum, qui ex eadem quatuor pueros generavit. Modo duo patrui primi pueri videntes plures pueros generatos volebant scire partem primi pueri, fratris ipsorum. Repetebant ergo jure puerum et partem substantiae ad ipsum puerum pertinentem, quem puerum una cum substantia sua jure obtinuerunt, et sic puer ille cum substantia sua fuit totaliter ab aliis pueris separatus, quos vix uno anno supervixit, et moriebatur suam partem substantiae relinquendo. Modo dominus noster haeres villae repetit illam partem substantiae tamquam a tali homine suo, qui sine haerede decessit, et quod ad ipsum de jure sit substantia dicti pueri devoluta. Tunc mater dicti pueri etiam repetit substantiam dicens, ipsam ad pueros, quos habuit cum secundo marito, de justitia pertinere. Petivit ergo sibi de justitia provideri et iusfra. Sententiatum fuit pro pueris et matre, quod ad illos sunt legitima successione bona talia devoluta.

362. Quod haeredes debent solvere debita parentum. (II. 82<sup>b</sup>. A. 27. 32. B. 35<sup>b</sup>. 2. C. 18<sup>a</sup>. 2. D. 79<sup>b</sup>. 1. K. 165<sup>b</sup>. 3.) In judicio civitatis sententiatum est, quod haeredes bona parentum possidentes debita per eosdem, dum vive rent, contracta, antequam bona inter se dividantur, solvere tenentur; in communi enim proverbio dicitur, quod creditores propinquissimi sunt haeredes. Si vero pro dicta facienda solutione plenarie bona per parentes dimissa non sufficient, non oportet, quod haeredes ad supplendum defectum bona propria impendant, nisi hoc facere decreverint ex pietate. E converso

etiam debitores pagabunt haeredes de debitibus, in quibus parentibus tenebantur.

363. De haereditatibus venditis, quantum ad jus, quod dicitur „abschutten.“ (H. 82<sup>b</sup>. D. 79<sup>b</sup>. 2.) De Auspicz jurati scripserunt sic. Frater Rottlini, vectoris de Brunna, noster concivis domum, quam in Ausspicz habuit, vendidit euidam extraneo, apud nos nolens de cetero habere residentiam corporalem. Et cum idem emtor die sibi praefixo practium emtionis venditori coram juratis exhiberet, ipsum accipere recusans fratrem suum Rottlinum statuit asserentem, quod ad domum fratribus suis pinguius jus sibi competet, quam extraneo. Unde petivit pro se sententiari, utrum eo jure, quod vulgariter dicitur „abschutten“, non debeat domum fratri sui potius quam aliis quispiam obtinere. Rogamus ergo edoceri, cum hucusque ea sumus usi consuetudine, quod contractus venditionis et emtionis rite celebratus rescindi non possit, quod fieri debeat in casu praescripto. Super quo diffinitum fuit, quod venditio vel emtio, postquam legitime completa fuerint, irritari non debent; in juribus enim originalibus civitatis continetur sic: Sic decrevimus etiam, ut in civitate proprietates habens possit easdem vendere absque impedimento cuiuslibet personae, necessitate cogente. Et idem sententiatum est ad villas diversas, quamvis in civitatibus, quandoque fiat ex consuetudine, quod propinquus venditoris emtorem modo, qui dicitur „abschutten“ repellat ab emto.

364. Qualiter haeredes emancipati cum non emancipatis ad portiones haereditarias admittantur. (H. 83<sup>a</sup>. D. 80<sup>a</sup>. 1.) Per juratos de Naussedlicz scriptum est: Unus de nostris in campo per sagittam occisus et intestatus repente mortuus, uxorem cum sex reliquit pueris, quorum duos, masculum scilicet et feminam ante annos aliquot data sicut voluit, unicuique partem quandam a se per matrimonium emancipavit. Et quia masculus inutiliter parte sua, quae tamen modica fuit, consumta, incepisset egere, ad portionem cum cohaeredibus de bonis per patrem dimisisse petivit, secundum justitiam se admitti. Eodem modo petit semina, quae tamen copiose donatione paterna partem suam est assecuta, sibi portionem eam contingentem assignari. Quaeritur ergo, qualiter bona talia sint inter uxorem et sex pueros dividenda. Super quo diffinitum est, quod ad uxorem tertia et ceterae duae partes bonorum transiunt ad haeredes. Et si duo per dotalitium exclusi, cum non emancipatis partes habere desiderant, tantum in sortem ponent,

quantum perceperunt, quo facto quilibet eorum sex suam sextam tollet partem. Si vero dietam portionem aliquis haeredum facere non habuerit, quilibet aliorum haeredum nou divisorum tantum percipiet, quantum divisus ponere debeat, et si quid postea residuum fuerit, inter omnes aequaliter dividatur. Unde haeres emancipatus cum non emancipatis partem habere volens, partem, quam percipit, in sortem reponat, vel in sua parte percipienda defaleat, vel quemlibet cohaeredem non emancipatorum tantundem ante divisionem tollere patiatur.

365. Quod praescriptionem excludit tacita veritas. (II. 83<sup>a</sup>. A. 27. 35. B. 36<sup>a</sup>. I. C. 80<sup>a</sup>. 2. D. 80<sup>a</sup>. 2. K. 167<sup>a</sup>. 5.) Si venditor haereditatem, quae censualis est, emtori coram judicio veritate tacita pro libera tradiderit, quamvis a die traditionis et resignationis tempus et annum, quod praescriptionem continet, effluxerit, nihilominus si postea emtori per dominum census cum testimonio literarum vel testium, quibus necessario creditur, quaestio de census solutione mota fuerit, illam venditor completione temporis praescriptionis non obstante, suis expensis et laboribus disbrigabit. Veritas enim tacita, qua fraudem et dolum palliavit, nullum de jure praescriptionis patrocinium generabit. Sic sententiatum est juratis de Woikowicz. Et ad idem quaere supra in sententia, quae sic incipit: „Petrus de Klobuk.“

366. Haereditas ex mandato domini non possessa quandoque devolvitur ad ipsum. (II. 83<sup>b</sup>. A. 27. 36. B. 36<sup>a</sup>. 2. C. 18<sup>a</sup>. 6. D. 80<sup>b</sup>. I. K. 167<sup>b</sup>. 1.) Dupplex est haereditas: Quaedam habens in villa vel extra villam domum vel aliquod commodum, in quo consuevit subses residentiam habere personalem; alia, quae caret tali commode, sicut est hortus, pratum, humularius et consimilia. Modo si dominus justa causa motus mandat, primam haereditatem per emphiteotam seu censualem subsidem vendi alteri, locari ac per alium possideri, qui personaliter resideat in eadem, et hoc mandatum trina monitione, quarum quaelibet per dies XIV continuos sibi succedentes fiat, transgredietur; tunc haereditas tamquam pro derelicto habita ad dominum devolvetur.

Haereditas vero secunda, quae non habet speciale commodum sibi pro habitatione subsidis annexum, si temerarie infra dictos tres XIV dies trina monitione praemissa vendi et in alium transferri negligatur, ad manus domini transiens revertetur. Justum tamen et legitimum impedimentum, propter quod venditor

emtorem habere non potuit, terminum monitionis hujusmodi merito prorogabit.

### **Capitulum de homicidiis.**

367. De homicidio in genere quantum, ad diversa. (II. 83. A. 28. 1-4. B. 36<sup>a</sup>. 3. 36<sup>b</sup>. 1. C. 18<sup>a</sup>. 7. 18<sup>b</sup>. 5. D. 80<sup>b</sup>. 3. K. 167<sup>b</sup>. 2. 168<sup>a</sup>. 1.) L talenta, quae nominantur frequenter in juribus originalibus, valent XXX marcas LXIV grossos pro marca computando. Unde habens triginta marcas pro homicidio poterit fidejubere.

Item homicida accusatus pro homicidio per juratum melius potest vitam et innocentiam suam obtinere et ostendere per juratum, quam vinci possit per juratum. Item si quis pro homicidio simplici querimonia accusatus fuerit, solus in cruce poterit se expurgare.

Item quamvis actor mota pro homicidio querimonia signum occisionis vulgariter dictum „Leichzeichen“ coram judicio non exhibeat, nec intra quatuor sedilia ponat, tamen propter hoc reus sententiandus non est absolutus. Item qui pro homicidio vult innocentiam suam ostendere vel vim vi repulisse, quod vulgariter dicitur „notwer“, jurabit metseptimus probabilium virorum, inter quos unus sit de juratis, vel loco jurati, duo alii fide digni viri propriam habentes residentiam, hoc est in vulgari dicendo scilicet „zwen gezessen man“, et sic erit metoctavus.

Jurantes pro homicidio restorationem juris, quae vulgariter „holung“ dicitur, non habent: unde cum judex concedit partibus „holung“, hoc est intelligendum, quantum ad reclamationem querimoniae, responsionis, nominationis testium vel alorum consimilium, quae prolocutores proponunt, sed non quantum ad reiterandum juramentum. Sed notandum tamen, quod antiquum jus civile habet: Si homo impetratur simplici querimonia pro homicidio ante multos annos perpetrato, vel in alio judicio commisso, vel cuius funus et occisi vulnera jurati non perspexerunt: ille simplici juramento se expurgabit et holung habebit. Et simile intelligitur de „haimsuehung“ excessu aequali.

368. Quando pro homicidio sit admittenda allegatio defensionis. (II. 84<sup>a</sup>. A. 28. 5. B. 36<sup>b</sup>. 1. C. 18<sup>b</sup>. 5. D. 81<sup>a</sup>. 2. K. 168<sup>a</sup>. 2.) Jurati de Radisch scripserunt sic: Quidam homo levis, qui vocari consuevit vulgariter „naiser“

sen „troisirer“ in domum ejusdam tabernarii intrans, et bibentibus vinum eorum eibens. Postquam a pincerno de domo extrusus esset, stans foris in dominum verba turpia proferebat, quod audiens quidam scriptor de familia hospitis existens eundem scurram pro insolentia hujusmodi capilavit et aliquantulum verberavit. Ipse vero cultello evaginato dictum scriptorem continuo interfecit. Mota itaque querimonia coram judicio per dominum scriptoris de dicta scurra, tamquam de homicida, confessus est vitam defendendo dictum se homicidum perpetrasse. Quaerunt ergo cum praefatus „naiser“ nec vulneribus, nec usque ad effusionem sanguinis, nec adeo graviter, quod inflatura, quae in vulgari „peul“ vel „plauschleg“ dicuntur, in eo apparet laesus fuerit, utrum ad probandum defensionem et vim sibi factam admitti debeat consideratis circumstantiis supradictis. Quibus sententialiter scriptum fuit. Ex quo jura originalia civitatis dicunt: Si aliqua levis et inhonestata persona verberata fuerit, quae hoc forte ipsum sua mernit insolentia, si suspectus hoc probare poterit metterius cum viris credibilibus, liber erit a judice et auctore. Ex quo etiam ille, a quo et initium et origo contentionis procedit, potius offensor quam defensor est censendus, quia defensionem non possit rationabiliter allegare: ergo „naiser“ ad probandum defensionem et vim sibi factam admitti secundum justitiam non debet proprie, namque judicandus est defensor, qui non dedit operam rei illicitae et qui non est caput insaniae ac initium rixae et maxime, qui alio modo evadere non potest invasorem, nisi cum mutile vel occidet.

369. Utrum homicida fugiens et postea comparens possit defensionem allegare. (II. 84<sup>b</sup>. A. 28. 6. B. 36<sup>b</sup>. 1. C. 18<sup>b</sup>. 6. D. 81<sup>a</sup>. 1. K. 168<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est juratis de Chrisans: Quamvis secundum ius Maydeburgense accusatus pro homicidio vel vulnere volens defensionem vulgariter dictam „notwer“ praetendere, debeat statim post actum judicem accedere et gladium sibi resignare. Tamen secundum consuetudinem juris Brunnensis antiquam licet taliter accusatus primo ratione fortassis metus amicorum laesi, vel alia quacumque causa fugiendo discedat, et aliquot vicibus citare se permittat, tamen adhuc ultimo judicio potest comparere et defensionem rationabiliter allegare.

370. Utrum uxori sit exhibenda justitia pro homicidio mariti pueris judicium contemnentibus. (II. 84. A. 28. 7. B. 36<sup>b</sup>. 1. C. 18<sup>a</sup>. 7. D. 81<sup>b</sup>. 2. K. 168<sup>a</sup>. 2.) Juratis de Chrisans sententiatum fuit: Si uxor pro occi-

sione mariti justitiam et judicium sibi fieri petit, pueri vero ipsius, sive uterini sive privigni justitiam contemnentes coram judice et judicio confiteantur, quod per se mortem patris eorum vindicare velint: rebellione seu contemptu puerorum non obstante uxori poscenti, non est juris beneficium denegandum. Et etiam, si ad mandatum judicis pueri judicium recipere frivole recusaverint, reus est ab ipsis sententialiter absolvendus; et insuper si petit, fidejussoria cautione sunt restringendi, quod malum ejus non quaerant.

371. De homicidio, quantum ad reum, de quo nullus conqueritur. (H. 84<sup>b</sup>. A. 28. 8. B. 37<sup>a</sup>. 1. C. 18<sup>b</sup>. 8. D. 81<sup>a</sup>. 3. K. 168<sup>b</sup>. 3.) Sententiatum est juratis in Gostel: Si accusatus de homicidio tribus XIV diebus defensus fuerit, et judex et jurati nesciant, utrum reus sit, vel non, nullumque defendiculum apud ipsum, cum capiebatur, inventum fuerit, nullusque de ipso conqueratur, nec judicium sibi fieri petit: a vinculis potest absolvi et liber dimitti.

372. De homicidio, qualiter ex verbis incidit aliquis in emendam homicidium. (H. 85<sup>a</sup>. A. 28. 9. B. 37<sup>a</sup>. 1. C. 18<sup>b</sup>. 9. D. 82<sup>a</sup>. 1. K. 168<sup>b</sup>. 4.) Rusticis de Praczaw sententiatum est: Qui mandat aliquem verberari, licet expresse prohibeat, ne occidatur, in emendam homicidii incidit, si verberans mandati fines excedens illum occidat, cum mandator in culpa fuerit, et hoc evenire de ipso posse debuerit cogitare.

373. De homicidio ratione homagii. (H. 85. A. 28. 10. B. 37<sup>a</sup>. 1. C. 18<sup>b</sup>. 10. D. 82<sup>a</sup>. 2. K. 168<sup>b</sup>. 5.) Cum Hermannus judex de Chrisans ante annos XIII cuidam mulieri maritum suum occidisset et pro eodem homicidio quantum ad emendas judici et quantum ad compositionem amicabilem uxori et consanguineis occisi, secundum proborum virorum consilium satisfecisset; supervenit quidam Henzlinus frater uxoris praedictae petens pro se sententiari, utrum ratione occisionis sororii sui dictus Hermannus sibi homagium facere non deberet. Quod Hermannus contradicens quaesivit, utrum non esset de hoc secundum justitiam supportandus. Super quo diffinitum est, quod ratione homicidii sufficit, homicidam ex rigore juris uxori pro marito, pueris pro patre, et aliis conjugatis occisi pro eorum consanguineo occiso homagium facere et jurare: fratribus autem et cognatis uxoris ad faciendum homagium non est adstrictus, et est ratio; fratres enim et cognati uxoris alium sororium ex eo, quod vidua ad secundas transire nuptias potest,

bene habebunt; pueri autem patrem aut alii consanguinei loco occisi, consanguineum alium non habebunt.

374. De homicidio facto sagittando vel projiciendo. (H. 85. A. 28. 11. B. 37<sup>a</sup>. 1. C. 19<sup>a</sup>. 1. D. 82<sup>a</sup>. 3. K. 169<sup>a</sup>. 1.) Ad requisitionem juratorum in Praeza w est sententiatum: Quicumque in via, per quam assidue homines non ambulant, voluerem sagittare vel projicere volens hominem sagittando vel projiciendo occidit: pro occisione tali non est vita privandus, nec in membris corporis mutilandus, sed sufficit, quod secundum proborum virorum ordinationem satisfaciat, prout sibi possibile fuerit et componet: sed si metterius credibilium testium convictus fuerit, quod tempore sagittationis vel projectionis hominem vidit, et quod nec sagittaret nec projiceret inclamatus esset, sententiae capitis subjacebit. Item in via, quam continue homines transire consueverunt, sicut est in medio habitationis hominum, quicumque sagittando vel projiciendo, vel aliquando operam rei illicitae dando, hominem occiderit, poenam, quae homicidam de jure sequitur, sustinebit.

375. De homicidio, „auf fluchtigen fuez“, qualiter ducatur ad judicium. (H. 85<sup>b</sup>.) Accidit in Jerspitz, quod unus alium in villa insequens noctis tempore cum cuspide retrorsum interfecit. Sic jacens clamat super eundem. Et vicini ad clamorem excitati, securi sunt illum pede fugitivo usque antiquam Brunnam. Ubi accurentes et judice et juratis raptus est cum cuspide cruentato, et tandem ante judicium vinculis ferreis ductus. Sic responsum est juratis antiquae Brunnensis: Quod licet productio rei in vinculis ferreis, expurgationem sibi non tollunt; tamen quia in fuga et cuspide cruentato raptus est, haec sibi expurgationem denegant, et rigore juris extitit abjudicatus.

376. De homicidio, utrum judex et jurati habeant auctoritatem salvandi homicidam proscrip- tum et postea captum. (H. 85<sup>b</sup>. A. 28. 12. B. 37<sup>a</sup>. 2. C. 19<sup>a</sup>. 4. D. 82<sup>b</sup>. 1. K. 169<sup>a</sup>. 2.) Postquam in Gostel quidam pro homicidio ordine servato judiciario proscriptus fuisset, accidit, quod eadem pendente proscriptione iterum secundum homicidium commisit, pro quo per amicos occisi est captivitati praesentatus. Modo primi actores dicunt, quod nobis de morte sua demus eum peregrinationi et passagio terrae sanctae. Et eodem modo secundi actores sonant, utrius in actione procedere nolentes. Quaesiverunt ergo judex et jurati, utrum etiam ipsi sine prejudicio et gravamine dictum homicidam possint

dimittere salva vita. Quibus diffinitive responsum fuit sic: Sicut homicidam servato juris ordine proscriptis, sic ulterius circa ipsum servando juris ordinem procedatis. Unde considerandum, quod judex et jurati in salutem vitae illius homicidae, qui prima vice non tempore pacis indictae ex causa honesta in persona sui concivis sibi aequalis homicidium perpetrat, videntur posse consentire; in salutem autem illius, qui homicidium reiterat vel in personam judicis, jurati seu alterius officialis sui domini committit, nisi talis domini consensus ad hoc acceserit; non debent nec possunt forte sine praejudicio et gravamine consentire.

377. De actoribus homicidii laicis et clericis. (II. 86. A. 28. 13. B. 37<sup>b</sup>. 1. C. 19<sup>a</sup>. 5. D. 82<sup>b</sup>. 2. K. 169<sup>a</sup>. 3.) Si fratres occisi existentes sacerdotes renuntiant actioni, propter hoc patruis vel avunculis occisi, si impetunt homicidam, non est justitia deneganda.

378. De homicidio, homagio et fidejussione. (II. 86. A. 28. 14. B. 37<sup>b</sup>. 1. C. 19<sup>a</sup>. 6. D. 82<sup>b</sup>. 3. K. 169<sup>a</sup> 4.) In Radisch actor conquestus est de reo, quod amicum suum occidendo vita privaverit, et querit, cum sibi prius juraverit et homagium fecerit in alia quidem causa, utrum pro nunc de homicidio, quod eidem imponit, possit se defendere via juris. Et cum habita deliberatione sententiatum esset: quod ipsius esset responsio audienda, reus respondit, quod in taberna sedens amici actoris cum suis sociis gladiis vibratis in eum irruerunt, quorum insultibus resistere volens unum eorum vim vi repellendo, ut vitam salvaret interfecit, quod proborum virorum testimonio, qui interfuerunt, se obligat probaturum. Quacritur ergo, utrum reus, qui facta responsione iterum carceri traditus est, dimitti debeat recepta fidejussoria cautione; et utrum debeat procedere sui testes. Super quibus respondetur, quod non obstante homagio seu promissionis juramento, quod et jurantem et illum, cui juratur, acque stringit, ita quod ambo ad invicem sibi mutuo pari fidelitatis vinculo obligantur a reo fidejussores debent recipi, si forte iterum contra illum, cui homagium fecerat, homicidium fecerit, et si pro sua defensione probanda testes habuerit idoneos, utetur, et actoris querimoniam declinabit.

379. De homicidio, quantum ad bona rei. (II. 86<sup>b</sup>. A. 28. 15. B. 37<sup>b</sup>. 1. C. 19<sup>a</sup>. 7. D. 83<sup>a</sup>. 1. K. 168<sup>a</sup>. 4.) Hospes quidam Brodam ungaricalem veniens homicidium ibidem commisit, et cum in claustrum causa pacis fugisset, judex et jurati se de equis, currū et bonis dicti hospitis intromiserunt. Quo facto civis de Olomucz superveniens dictas res suas esse dicebat,

sient vellet sufficienti testimonio demonstrare. Jūdex autem in contrarium allegat cum fuga hospitem de homicidio convincat, utrum res dictae non debeant in parte sibi ratione emendarum et liberis occisi, ratione satisfactionis homicidii assignari et infra. Super quo diffinitum est, si civis de Olomuez res et bona, quae repetit, sua esse secundum quod justum est, probare poterit, ipse res easdem obtinebit. Hospes autem, si legitimis citatus edictis judicio non comparuerit, proscribetur. Et ista sententia vim sortitur ex eo, quod civis de Olomuez res institales currii hospitis, ut eas in Olomuez sibi praesentaret, imposuerat pro mercede. Seens autem fortassis esset si civis ex eo res sibi usurparet, quia hospitem haberet sibi in debitibus obligatum.

380. Propter hoc non convincitur aliquis de homicidio, quod cultellus vel gladius evaginatus in manibus ejus rapitur. (II. 86<sup>b</sup>. A. 28. 18. B. 38<sup>a</sup>. 1. C. 19<sup>b</sup>. 2. D. 83<sup>b</sup>. 2. K. 170<sup>b</sup>. 1.) Rustici de Strelicz scripserunt sic: Unus apud nos in contentione fixus cultello interiit et sic unus litigantium cepit fugam, in qua persecutus a jūdice et prensus in captivitate servatur. Modo actores testati sunt in duos juratos et nostros et hospitem eundem detentum esse reum homicidii, qui in judicio interrogati confessi sunt concorditer, se vidisse eum habuisse evaginatum cultellum in manu et capucium brachio convolutum, sed non quod viderint actum vulneris. Quacritur ergo, si testimonium illud et etiam, quia in fuga detenus est, sibi praejudicent. Respondetur diffinitive, quod talis reus, cum jurati de visu vulneris non testantur, potest se considerata tamen vita sua, quam duxit, justitiariter expurgare. Residuum quaere supra de actore et reo, et de emendis.

381. De homicidio, quantum ad accessoria, sicut opera emendae et alia. (II. 86. A. 28. 16. B. 37<sup>b</sup>. 2. C. 19<sup>a</sup>. 8. D. 83<sup>a</sup>. 2. K. 169<sup>b</sup>. 1.) Occiso Petro ejus cognati habita deliberatione primum accusaverunt coram juratis Fridricum, postea vero coram jūdicio iterum habito accusaverant Martinum. Quo auditio Fridricus pro se sententiari petivit, utrum ex accusatione Martini ipse non esset absolutus; et cum jurati pro eo sententiassent, Martinus quacsivit, utrum etiam ipse ex prima accusatione Fridrici, cui nondum renuntiatum esset, non deberet merito liberari. Quo similiter sententiato libero, actores conquesti sunt de Friderico, quod origo contentionis, in qua eorum propinquus occisus esset, per eum incepérunt, quare ipsum de opera homicidii accusarunt. Ad quod Fridericus ostendit: cum sententia

diffinitiva ab actione principalis, scilicet homicidii cum absolvarent, ultrum non esset etiam de opera et aliis accessoriis absolvendus. Judex autem quaequivit, cum ipse immerito fraudaretur suo jure, quis emendas homicidii solvere tenetur. Super quorum primo sententiatum fuit, quod cum homicidium et opera non sunt causae necessariae connexae, actores possunt tam Fridericum quam Martinum super operas accusare: secus autem esset, si accusati non ex negligentia actoris, sed ex defensione per testes fuerint absoluti. Super secundo vero sententiatum est, quod judex emendas de jure perdidisset in homicidio; nam tamquam principali non procedente emendaec judiciales sicut accessorium suffocantur. Potest tamen judex, si voluerit partes compellere, quod tacta cruce fidem sibi facient, de compositione inter eos occulte non facta, ut ipsum emendis taliter defraudarent. Et proinde notandum, quod quandoque tenet principale et accessorium, ut quando secundum legem, quandoque neutrum, ut quando contra legem, quandoque accessorium tantum, ut quando praeter legem.

382. Quod tantum homicidia sequuntur operae. (H. 87<sup>a</sup>. A. 28. 17. B. 37<sup>b</sup>. 1. C. 19<sup>b</sup>. 1. D. 83<sup>b</sup>. 1. K. 169<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est in consilio civitatis, quod solum in homicidiis et etiam excessibus aequa gravibus, et non in vulneribus possunt aliqui de „wollaist“ accusari. Et sic accusatus excusabit se mettertius fidelium virorum, sicut scribitur in juribus originalibus illo paragrapho: Insuper si filius vel alicujus etc.; si autem ceciderit loco emenda, si voluerit, actori solvet marcam et civitati medianam marcam.

---

383. De incendio in genere, quantum ad signa appensa, quantum ad literas minatorias, quantum ad expurgationem et alia consimilia tractanda in judicio. (H. 87. D. 84.) Postquam Henricus dictus Hulrat, mercator civis de Cwittawia per aliquot annos septimanatim diebus fori in domo Conradi de Trebicz civis Brunnenensis hospitari consuevisset, accidit, cum una noctium in taberna tantam moram trahere, quod a sociis suis quaevis nec inventus Conradus claudi domum fecit, et cum circa medium noctis custos domus Henrico pulsanti domum aperiret, Henricus prae ebrietate cecidit in terram. Et cum per custodem domus et unum de sociis suis dormitum se duci non permitteret, inventi sunt apud eum centum grossi; quibus per custodem usque mane servatis, cum Henricus jam sobrius esset, et dicti centum

grossi sibi restituerentur, dixit se multo plures habuisse: de quibus custodem, quod eos sibi repperit, accusavit. Quo negante Conradus dominus domus Henrico dixit: Famulum meum, quem de tuis inculpas denariis paratus sum, coram iudicio statuere ut tibi respondeat ad objecta. Quo rennente, et quasi in ira a Brunnna recedente, Conradus judicem accedens protestationem interposuit, de praescriptis adjiciens, quod etiam in posterum vellet famulum suum iudicio statuere, quod Henrici querimoniis responderet. Et cum postea iterum et iterum et saepius Henricus mercandi causa domum visitaret Conradi, semper eum monuit, si famulum suum de denariis haberet impetrare, quod hoc ficeret forma juris. Quod Henricus differens facere hujusmodi verba Conrado dedit: Denarios meos in domo tua perdidi, de quo doleo, quamvis taceam ista vice. Transacto ergo plusquam anno Conradus quodam mane in domo sua signa incendii, scilicet scopam et titionem et cineres invenit appensa. Quod Dittlino vicino suo significans ulterius facto silivit de eodem. Decurso vero medio anno iterum quodam mane Conradus invenit appensa in ostio signa similia supradicta. Invenit etiam cum eis literam, quae cantabat sic: „Dem erbern manne, dem Trebeez burger zu brunne entbieten wier vuser frintschaft also, ab ir euch wellet bedecken vmb vuser gelt, das wir in ewer innung haben verloren, des selben wollen wir euch danken, das vns das wider werde, noch ob das nichten geschicht so wollen wir vns des derholen wo wir mogem, an ewrs selbs leibe, vnd ob wir an euch nit geschaffen mogem, so sollt ir das wissen, das wir vns gerechen wellen an nachbourn ader wo wir mogem vnd dittel, ewr nachbawr das wolweis, daruber bedeakt euch noch, ob ir welt.“ Conradus ergo cum signis praedictis et litera et vicino suo Dittlino juratos accedens eorum consilium requisivit; qui consulerunt, quod sub silentio expectaret, si fortassis Henricus denuo Brunnam reveniret: quo reveniente eo tempore, sicut prius facere consueverat, captus fuit. Et cum sibi de signis incendii narraretur, respondit, se innocentem esse et illa noctes in civitate Grecz super albea fuisse, sicut et cives Greczenses pro eo suis patentibus literis testabantur et similiter judices et jurati de Czwittawia et Alta muta, de Luthomysl, de Brisonia, de Lethowic̄z, de Policzka et nobiles pro eo scripserunt, quod per totam vitam suam honeste se conservaverit

et nomen bonum nullius infamiae macula laeserit. Venerunt etiam ad consilium juratorum burggravius de Modricz, Wenceslaus miles de Boraw et alii probi viri conservationem laudabilem dicti Henrici coram juratis in consilio multipliciter commendantes. Dominus eliani episcopus Olomucensis hoc idem personaliter affirmabat. Jurati ergo ponderaverunt, quod non esset verisimile, alium, quam Henricum signa incendii cum litera superius inserta. Cujus tenor, sicut etiam Dittlinus, vicinus Conradi, dicebat, tantum Henrico competebat appendisse. Pro parte vero contraria inspexerunt, quod testimonium literarum civitatum et vivaे vocis proborum virorum Henricum de dicto maleficio rationabiliter excusaret, et maxime cum voluntarie post signa incendii Brunnam venisset. Consenserunt ergo quasi diffinitive in hoc, quod Henrico defensio et expurgatio per septem testes idoneos esset concedenda. Et probatur ista sententia ex eo, quod literae accusatoriae de incendio vel alio criminoso missae, licet accusatum simpliciter non condemnent, tamen defensionem sibi prohibent. Per contrarium ergo in proposito literae accusatoriae de accusato scriptae, ipsum propter tenorem literae et signa praescripta non absolvunt simpliciter; expurgationem tamen legitimam merito sibi praestant, viso tamen prius et discusso matura inquisitione casus exordio, scilicet propter quid vel quare talia minatoria sint orta. Ex talibus enim circumstantiis sollicite pensatis apparebit, utrum reus vel simpliciter condemnari vel absolvi, quod se purget cogi debeat via juris; nam si per dicta signa et literae scripturam vinci deberent, reus in proposito quilibet honestus et fidelis homo, per aemulum suum facta et negotia, quae habuerit hinc et inde, cum diversis habere tractare considerantem, tali vitio ut vindictam de ipso sumeret, malitiose posset et faciliter irritari.

384. De incendii minis et vulneribus factis tempore incendii. (II. 88<sup>b</sup>. A. 29. 2-3. B. 38<sup>a</sup>. 1. C. 19<sup>b</sup>. 4-8. D. 85<sup>a</sup>. 1. K. 171<sup>a</sup>. 2-3.) Cives de Rausseins sunt informati, quod quicumque minas incendii notarias fecerit et postea actu incenderit et effugerit, si per incensum sequentem capietur, septem manuum testimonio convincetur et igne peribit; si autem voluntarie per se comparuerit, metseptimus suam innocentiam approbat. Sed si in fuga detentus fuerit, omni occasione postposita metseptimus convincetur. Quicumque facto incendio inimicum suum vulneravit, et convictus duobus testibus idoneis, decollabitur; si vero aliquem vulneraverit, cuius inimicus ante non fuit, duobus testibus convictus,

amputabitur sibi manus. Est et aggravata propterea poena praedicta, quod ignis et incendium, in commune damnum transit, ad quod intercipiendum omnes homines inimiciis, quas habuerunt, prius quiescentibus, cum diligentia debeant se mutuo juvare.

385. De incendio, quantum ad actorem et reum, et quantum ad consilium et perceptum. (II. 88<sup>b</sup>. A. 29. 4. B. 38<sup>a</sup>. 1. C. 20<sup>a</sup>. 1-2. D. 85<sup>b</sup>. 1. K. 171<sup>b</sup>. 1.) Jurati de Chremisir scripserunt sic: Cuidam de nostris noctis tempore, nec minis nec monitionibus praecedentibus, in curia sua stabulum incensum fuit. Quod cum perceperisset, subito surgens ignem extinxit. Mane autem facto unum de conjuratis nostris accedens super hoc casu dari sibi consilium postulavit. Qui assumtis quibusdam aliis juratis sibi suasit, quod in oppidis et locis vicinis clamari faceret, si aliquem laesisset, illi juxta proborum virorum ordinationem componere paratus esset. Quod consilium cum negligenter, postea transactis octo diebus, iterum in curia sua incensus fuit et ignis in tantum invaluit, quod quatuor vicinis eorum aedificia sunt cremata. Qui vicini ipsum in causam trahentes pro se sententialiter petunt sententiari. Ex quo consilium juratorum imitatus non fuerit, utrum ejus etiam responsione non audita ad satisfactionem damnorum, quae ex ejus negligentia receperunt, non sit ipsis rationabiliter obligatus. Super quo sententiatum fuit, quod responsio praedicti hominis incensi est audienda et postea secundum ejus responsionem et partis adversae querimoniam, est diffinitiva sententia proferenda. Et est valde caute circa hunc casum procedendum, consilium enim juratorum, quod dicto homini porrexerunt, non necessitavit ipsum; per proclamationem enim, quam dictum consilium fieri ei faciebant, saepissime justi homines et innocentes, qui nullum laeserunt, ex parte maleficorum, qui de hoc confisi minas incendiis eis incendiunt et etiam frequenter actu incendunt seu cremant, suis pecuniis sunt fraudati. Unde licet ad praecettum juratorum homo stare teneatur; ad eorum consilium tamen, praecipue in quibus alii ita salubriter sciunt consulere, sicut ipsi, ut accidere potest in casu praescripto, non obligatur aliquis, nisi velit.

386. De incendio, quantum ad defensionem. (II. 89. A. 29. 5. B. 38<sup>b</sup>. 1. C. 20<sup>a</sup>. 3. D. 85<sup>b</sup>. 2. K. 171<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est eisdem licet pro incendio praeterito, cuius damnum certum est, aliquis fidejubere possit, tamen pro minis incendiis seu pro incendio futuro, cuius damnum non

est certum nec taxari potest; non sufficit aliquis quaecumque dives ad fidejubendum.

387. De incendio casuali vel ex negligentia exorto. (H. 89<sup>a</sup>. A. 29. 6. B. 20<sup>a</sup>. 4. C. 20<sup>a</sup>. D. 85<sup>b</sup>. 3, K. 171<sup>b</sup>. 3.) Frequenter sententiatum est: Si ignis casu fortuito, non ex scitu et negligentia, videlicet, quia ipsum non extinxit, dum bene potuit, in domo eujuscumque exortus fuerit: propter hoc ad solutionem damnorum reus ex igne tali contingentium nullatenus obligatur.

388. De incendio exorto absente hospite. (H. 89<sup>a</sup>. A. 29. 7. B. 38<sup>b</sup>. 1. C. 20<sup>a</sup>. 5. D. 86<sup>a</sup>. 1. K. 171<sup>b</sup>. 4.) In Heinrichs actor conquestus est de reo, quod in ejus absentia per stultitiam et negligentiam uxoris et ancillae suae igne in domo ejus exorto, in octo modiis siliginis damnum percepit, in quibus sibi satisfacere petit justitia mediante; reus vero quaerit, cum ex verbis actoris, qui cum dixit absentem fuisse, merito sit immunis: utrum pro uxore vel ancilla teneatur respondere et in causa praecipue criminali. Super quo respondetur, quod reo non est neccessarium respondere, sed pure voluntarium si placet, dato etiam, quod respondeat actori, damnum non resarciet; casus enim fortuiti, sicut incendium, homicidium et consimiles, dum tamen dolum non contineant, culpa carent. Residuum quaere supra titulo de accusationibus sub illa rubrica: „In accusationibus criminum cuiusmodi sunt incendia.“

389. De incendio, quantum ad actores plures et unum reum, quantum ad tempus locum et quidam alia. (H. 89<sup>b</sup>. A. 29. 8-11. B. 38<sup>b</sup>. 1. 39<sup>a</sup>. 2. C. 20<sup>a</sup>. 6-11. D. 86<sup>a</sup>. 1. K. 172<sup>a</sup>. 1-4.) Ad petitionem civium de Chremsir (rusticis de villa dicta Peilan) sententia sunt subscripta. Primo quod incensus sive crematus incendiarium fugitivum in alieno judicio insequendo quaerere volens, statim per se de domo ad domum poterit festinanter transire et inventum captivitati judicis praesentare. Et si, cum in talibus periculum sit in mora, ad querendum nec judicis licentiam, nec ejus nuntium sibi concedi petiverit, propter hoc tamen nullas tenebitur ad emendas; secundo quod incendiarius sine signis incendiis praeteriti, cuiusmodi sunt titiones seu carbones, vel incendiis futuri, cuiusmodi sunt chartae scripturam incendii vel ejus minas continentis, vel cineres cum scopa super se non ligatis, coram judicio statuantur, propter hoc actor ab actione non repellitur, nec obnoxius est emenda.

Tertio si multi cre-

muti simul ad judicium veniant et habito inter se consilio per unum ex eis in incendiarium agant, tunc ille, si juris ordine et sententia diffinitiva eundum actorem evaserit, ab aliis judicatur actoribus justitiariter absolutus. Et scilicet quamvis domino villae ea crenata speciale damnum contingat: tamen si reus incendi actionem villanorum secundum justitiam declinaverit, dominus villae specialem sibi movere non poterit quaestionem, cum non sit verisimile villanorum actionem latuisse. Quarto quod quicumque pro parte actoris incendi coram judicio personaliter, comparentes laborant, verbis et factis seu consiliis ipsum fovendo et pro eo, quantum possunt faciendo, reum incendi, si actorem evadit, jure in causam novam trahere non possunt, maxime de incendio uno tempore et uno loco facto: securus autem esset, si forte de incendio alio tempore et alio loco facto inciperent agere et praecepue, si de tali actione futura, tempore primorum placitorum coram judicio expressam interposuerint protestationem.

### **Capitulum de interdicto.**

390. De interdicto, quantum ad temporis prioritatem, utrum videlicet primus interdictor pinquius jus habeat quam secundus. (I. 90<sup>b</sup>. A. 30. 1. B. 39<sup>a</sup>. 3. C. 20<sup>b</sup>. 1. D. 86<sup>b</sup>. 1. K. 172<sup>b</sup>. 1.) In Chrem-sir homo quidam convento braseatorio, cum quidam civis sex brasea, alter vero quinque, tertius vero quatuor sibi ad labrandum dedissent, ipse a civitate Chrem-sir fugitive recedens tantum novem cum dimidio braseo in braseatorio reliquit. Modo hospes seu dominus braseatorii primo judicem accedens octo brasea interdixit. Postea vero alii successive venientes, quilibet eorum tantum interdixit, quantum homini, qui recesserat, commisit. Quae erit ergo utrum primus interdictor majus jus habeat quam secundus, et sic de aliis ordinat. Super quo diffinitum fuit, quod prioritas vel posterioritas interdictionis absolute jus non generat, licet super jure obtinendo vel demonstrando aliqualiter attestetur. Unde dominus braseatorii ante alios de braseis relicitis de censu, pro quo braseatorium expuerat, est pagandus. Residuum vero de braseo quantum fuerit est in quindecim cumulos aequales dividendum, de quibus ille, qui sex brasea in braseatorium dederat, sex tollet; secundus vero quinque, ad tertium vero quatuor pertinebunt. Et insuper

si dominus braseatorii totum censem expositionis percipit, interdictores alii de braseatorio se intromittentes de ipso tanto utentur tempore, quanto ipsum convenerat qui recessit. In debitis autem secus esset, ibi enim, qui prior est tempore, potior est jure.

391. De interdictis, quantum ad conservacionem rerum. (H. 90<sup>a</sup>. A. 30. 2. B. 39<sup>a</sup>. 4. C. 20<sup>b</sup>. 2. D. 87<sup>a</sup>. 1. K. 172<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est ad plura loca: Si in domo cuiuscumque res alicujus extranei ex parte judicij ad petitionem cuiuscumque interdicuntur: dominus domus, nisi velit, ad rerum interdictarum conservationem nullatenus obligatur; imo si tempore interdicti nuntiis judicis dicit, quod res interdictas nolit custodire, judex ipsas in suam recipiat custodiam interdicenti de ipsis juxta suam quaerimoniam de justitia provisurus. Si autem ipsi hospiti ille, cujus res sunt interdictae, in expensis vel in debitis, vel istis consimilibus obligatur, pro talibus res interdictas servare poterit de ipsis principaliter suum debitum extorsurus.

392. De interdicto ratione debitorum facto. (H. 90<sup>b</sup>. A. 30. 3. B. 39<sup>a</sup>. 5. C. 20<sup>b</sup>. 3. D. 87<sup>a</sup>. 2. K. 172<sup>b</sup>. 3.) In consilio sententiatum est: Si civis hospitem et advenam, cum rebus suis domum ejus intrantem, irrequisito judge pro debitis, in quibus sibi tenetur, arrestaverit et occupaverit: solvet judici LXXII parvos denarios pro emenda. Unde ne civis emendam incidet, judicem pro arrestatione facienda petat, et per ejus nuntium seu bedellum dictum hospitem in domo propria interdicat; quod si neglexit et alias creditor cum interdicto judicis auctoritate facto civem ipsum praeveniat: ille prius ab hospite et rebus ipsius suum debitum judicialiter consequetur; unicuique enim mora propria est nociva.

393. De interdicto pecuniae dictae „besserunge.“ (H. 90<sup>b</sup>. A. 30. 4. B. 39<sup>b</sup>. 1. C. 20<sup>b</sup>. 4. D. 87<sup>a</sup>. 3. K. 173<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est juratis de Chrisans, quod pecunia, quae in compositione homicidii vel alterius casus, qui vulgariter „pesserung“ dicitur, dari debet, interdici non potest, quia sine contradictione et omni difficultate debet per reum actoribus assignari; quo facto quicunque tunc habet in eos agere, seu pro dicta pecunia vel quavis alia causa, illi debent objecta secundum justitiam respondere.

394. Interdici non potest pro debitis debitor mortuus. (H. 90. A. 30. 5. B. 39<sup>b</sup>. 2. C. 20<sup>b</sup>. 5. D. 87<sup>a</sup>. 4. K. 173<sup>a</sup>. 2.) Ad loca diversa sententiatum, quod in debi-

torem mortuum creditor agere non potest, cum ulterius jurisdictionem evaserit judicis temporalis; in possessiones autem bonorum ejusdem mortui potest agere pleno jure. Leges volunt, quod in debitorem mortuum creditor agere non potest. Unde non debet prohibere, quod corpus defuncti extra domum non portetur, vel ecclesiasticae sculpturae non tradetur, nisi prius super debitorum solutione canticio sibi fiat; imo et contra credidores hoc petentes, et contra judices hoc mandantes sacrae leges, quas gravissimas statuerunt.

### **Capitulum de invasione domus.**

395. De invasione domus in genere, quomodo probatur et quomodo non probata emendatur. (II. 91. A. 31. 1. B. 39<sup>b</sup>. 1. C. 20<sup>b</sup>. 6-9. D. 87<sup>b</sup>. 1. K. 173<sup>a</sup>. 4.) Cives de Rauseins tamquam novicii juris et ignari, cum ab antiquo usque modo jure Menesesi sint usi, de excessu qui dicitur „haymsuchen“ sic informati sunt:

1. Quicumque domum alterius armis, ballistis, arcubus temerarie invadere praesumserit, dato etiam, quod nullum in ea vulneret: tamquam in homicidio puniatur.

2. Debet autem hospes invasorem domus vincere duobus testibus vicinis suis ex utraque parte domus, vel cum uno transviam et secundo vicino a latere, vel cum solo jurato: et sic convictus et per hospitem in domo violenta manu vivus vel mortuus detentus est decollandus.

3. Si vero invasor de domo recesserit, et postea coram judicio se innocentem facere voluerit, cum viris idoneis mettertius in cruce se expurgabit. Si autem invasus plano modo sine testibus querimoniam super ipsum fecerit, solus se expurgabit.

4. Nec debet hospes domus in movendo querimoniam de invasione praedicta, quae gravis est excessus, facilis et pronus esse; imo de testimonio sufficiente caute sibi debet providere; si enim ad probandum se obligaverit, et postea querimoniam suam testibus probare non poterit, judici duo talenta et unum civitati solvet pro emenda, et hoc verum est de majori invasione domus, in qua vulnera sunt commissa; pro minori invasione, in qua verba tantum sunt commissa, actor si cadit in causa, solvet judici tantum LXXII halenses pro emenda.

396. De invasione domus, quod non omnis intrans domum alterius, ratione actus legitimii invasor domus est censendus. (H. 91<sup>a</sup>. A. 31. 2. B. 39<sup>b</sup>.

2. C. 21<sup>a</sup>. I. D. 87<sup>b</sup>. 2. K. 173<sup>b</sup>. 1.) Rustici de Lautzsans proposuerunt talem casum: Filia cuiusdam convicini nostri verbera mariti sui timens ad domum patris sui fugit; postquam autem moram ibi per biduum traxisset, maritus ut ad propriam mansionem eam reduceret, domum patris uxoris videlicet socii sui intravit; prohibitus autem per quemdam inquilinum domus, ne uxorem in absentia patris, qui tunc non aderat, educeret, eundem quatuor vulneribus vulneravit: quaerit ergo praeditus pater uxoris, utrum de dicto genero suo non debeat sibi tamquam de invasione domus judicium exhiberi. Super quo responsum est diffinitive, quod non; cum enim maritus dictae mulieris domum socii sui non causa malignandi, nec in ira et furore, nec armata manu, nec aliquo gladio seu aliis offendiculis agitando, sed tantum, ut legitimam suam, quod actus fuit licitus, ut eam reciperet, intravit: invasor domus non est censendus nec socero suo de invasione, sed tantum inquilino de vulneribus tenetur simpliciter respondere.

397. De invasione domus et mortificationem uno actu continuato in duobus tamen judiciis factis, quantum ad actorem reum, judices et plures alios casus notabiles incidentes. (D. 88<sup>a</sup>. 1. II. 91<sup>b</sup>.) Cum in Hulein decem viri domum cuiusdam viri hominis ibidem clausam armata manu violenter invadentes ostio extruso intrassent, ipsum per tectum domus fugientem ad curiam vicini sui et de curia ulterius extra limites judicii, in quibus domus, quam primo invaserant sita fuit, in limites alterius judicii fugantes mortificassent. Quaesitum est juratis per actorem: utrum coram primo judice, sub quo facta est invasio domus, vel utrum coram secundo, sub quo facta est mortificatio, debeat querulari. Secundo etiam quaesitum est a juratis ab eodem actor: utrum pro tam gravibus excessibus non liceat sibi in omnes decem aequa primo simul agere, vel utrum unum quemque impetrere debeat querimonia speciali. Et tertio: utrum rei non debeat sibi primo judicio praescripti denuntiari, si convincat eos testimonio fide digno. Cum super primo sententiatum fuit, quod cum neuter judex ex eo, quod peccatum esset juri injuriam facere, jure suo est fraudandus; sed ambo judices simul judicio debent praesidere et actor coram ambobus suam querimoniam proponere, dictique judices emendas judiciales inter se condivident aequo modo. Si autem in talem praesidentiam judices consentire noluerint: tunc actor coram unoquoque id, quod in ejus judicis commissum est, conqueratur; et juxta

talem querimoniam unus quisque judicum justitiae sibi faciat complementum nec oportet, quod de mortificatione, quae maximus videtur esse excessus, quantum ad actum prius conqueratur; imo, cum invasio domus aequa capitalis sit excessus et gravis sicut mortificatio, potest de ipsa primo conqueri, si sibi videbitur expedire.

Super secundo autem diffinitum fuit, quod cum omnes decem eundem actum fecerint, actor si nescit, quis eorum principalis fuerit, potest in omnes et etiam in plures simul, si essent et conjunctim, una actione agere; ipsique postquam una responsione responderint, se expurgationem obtinuerint, jurabunt singulatim, et quicunque in juramento ceciderit, vitam perdit. Et hoc tamen alii non judicantur cecidisse; sicut enim uno per juramentum evadente, non omnes evadent, sic nec uno cadente, omnes cadent. Sed in actione fortassis civili, si in plura una actione pro debitis ageretur, ex casu unius censemur alii cecidisse. Si autem actor sine dubio noscit illum, qui fuit origo invasionis domus, et illum, qui plagam letalem mortificationis dedit, in illum aget principaliter; in alios vero ex consequenti tauquam in coadjutores, et si eos vicerit, peribunt, nam faciens et coadiuvans in excessibus tam gravissinis pari poena subjacebit, si autem expurgare se debuerint, quilibet, ut dictum est, juramento suo tantum salvabit vitam propriam vel amittet.

Notandum, quod in aliis homicidiis, seu honestis causis non conceditur actori, quod in plures simul agat. Unde quaedam actio est civilis, et in illa potest in plures simul agere; quaedam autem est actio criminalis, sicut in proposito invasio domus et mortificatio, et illa est duplex. Quaedam enim fit per unum actum, quem plures simul facere non possunt, sicut homicidium fit per unam plagam, quam simul plures percutere non possunt, et in tali actione cum actor dubitat, in plures agere simul potest; et iste actus vocatur actus non iterabilis. Secunda autem est actio, quae etiam fit per unum actum, quem plures simul bene facere possunt, quia plures possunt simul unum infamare, vel si obloquitur vel in honore suo sibi detrahere; et in tali actione non est necesse, quod actor simul in plures agat; quamvis dubitet, imo in quemlibet specialiter de eodem actu agere potest; et vocatur iste actus iterabilis, quia quilibet eum iterare potest. Tamen si talis actus imponeretur determinatae multitudini, sicut forte consilio juratorum, in tales unica actione agi posset. Ad tertium autem dictum fuit, quod facta per actorem probatione secundum formam juris sufficienti,

rei sunt primo judicio proscribendi, et si per ambos judices proscribuntur, non est mirandum, duplex enim peccatum duplice poena puniri debet, unde in proverbio dicitur: „Ad facinus duplex non sufficit ultio simplex.“

398. De invasione domus, de qua domo sit intelligenda et quod taberna non semper invaditur. (H. 92. A. 31. 5. B. 40<sup>b</sup>. 1. C. 21<sup>b</sup>. 1-2. D. 89<sup>a</sup>. 1. K. 174<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est in judicio civitatis, si duo in platea vel alibi pugnare incipiunt, et unus alium in domum apertam insequens et fugans ipsum ibidem vulneret vel occidat, ex hoc non censendus est invasor domus. Similiter nec ille dicitur invasor domus, qui tabernam intrans, dato etiam, quod sit clausa et ad ejus petitionem sibi aperiatur, in ipsa facta contentione aliquem mutilet vel occidet.

399. De invasione domus, quantum ad tempus in quo debet querulari. (H. 92. A. 31. 5. B. 40<sup>b</sup>. 2. C. 21<sup>b</sup>. 3. D. 89<sup>a</sup>. 2. K. 174<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est rusticis in Ledawicz, quod in magnis et gravibus excessibus vulgariter dictis „heymsuchung,“ qui verba continent et facta, vicini debent pro subsidio per invasum inclamari, excessusque tales infra dies XIV querulari: gaudent enim dicti excessus tali jure, quod scribitur in juribus originalibus rubrica: De stupro notatum paragrapho: „Statuinus etiam firmissime,“ et secundum hoc restringendum est, quod scribitur in fine jurium originalium in rubrica: De invasione domus: „Quicumque domum alicujus etc.“

400. De invasione domus, quantum ad vicinos propinquos vel remotos. Secundo, quantum ad hospitem plures domos habentem. Tertio, quantum ad diversos modos, quibus inhabitatur domus. Quarto, quod domus modis, quibus illicite invaditur, licite defendatur. (H. 93. A. 31. 6. B. 40<sup>a</sup>. 3-8. C. 21<sup>b</sup>. 4. D. 89<sup>a</sup>. 2. K. 174<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est juratis in Heinrichs, quod ad probandum invasionem domus recipi possunt testes vicini non solum collaterales superius et in ferius, proximi vel transversales, directe oppositi, imo alii, dummodo sint idonei, quamvis a domo invasa sint in aliqua distantia in eadem linea vel in alia residentes. Item qui plura in una civitate vel in locis diversis habuerit domicilia, quamvis in uno frequenter habitari consueverit, tamen pro illo tempore, quo in alio steterit, de invasione domus testari poterit ut vi- cius. Item excessus in invasionis domus atrox est, et a domo nomen accepit, et debet accipi domus, sive in propria domo,

quis habet sive in conductu, vel gratis pro hospitio receptus sit. Item quumvis dominum et arenibus et ballistis invadere graviter sit prohibitum, tamen dominum sic vel qualitercumque aliter defendere videtur licitum et concessum.

401. De invasione domus et spolio dicto „rera w.p.“ (H. 93, B. 40<sup>b</sup>, 6, C. 21<sup>b</sup>, 8, D. 89<sup>a</sup>, 3.) Septem balneatores duorum balneorum intra muros civitatis ex opposito horti minorum fratribus exteriis super Ponaviam sitorum magistri cum eorum quinque famulis tabernam vini in civitate, in platea civium tempore subintrantes aestivo, cum soli secum taxillis ludentes usque ad medium noctis, quando nullus propter eos jam aderat continuassent, et hospes cum uxore et scriptore vini denarios, quos per diem emerat numeraret, inter se de solutione XL halenses, quos debiberant, contendere cuperunt. Quod, cum hospes et scriptor amicabiliter et lenibus sopire vellent verbis simul surgentes et gladios et cultellos nudantes in eos ac uxorem hospitis tam vehementer irruerunt, quod pro vita salvanda vix in cellarium ab intra claudentes ostium evaserint. Quo facto famulo cuidam in collo cellarii dormienti manum amputantes quatuor insuper ipsum vulneribus vulneraverunt, et tandem pixedem, quam hospes reliquerat cum denariis cum slappa, mitram ferream et canulam exportantes diffugierunt. Intervallo vero facto hospes, uxor et scriptor exeuntes de cellario cum pixedem cum denariis non invenissent, super dictos balneatores, tanquam mortificatores, domorum invasores et spoliatores vulgariter dictos „rera waber“ clamorem terrificum, qui „waffengeschrei“ dicitur, flebiliter protulerunt. Quo clamore precones ac ministri judicij excitati cum insequerentur fugitivos, solum duos magistros balneatores in balneo super Ponaviam dormientes cuperunt cum gladio cruentato: quibus incippatis et tandem coram tribunali statutis hospes de ipsis, sicut praescribitur, querulans pro se sententiari petunt, utrum advocatione pro responsione secundum justiliam habere possent. Super quo definitum fuit, quod non: licet enim domus invasionem excuset taberna, tamen post recessus aliorum bibentium praestolatio nocturna solitaria sessio ac mutue contentionis inter se motio prae- sumptionem fecit, non tantum causa bibendi, sed etiam potius malignandi propositio eos tabernam intrasse. Item quia balneator in civitate residens ab uxore domoque propria extra civitatem super Ponaviam illa nocte, quod alias facere non consuevit, declinavit, hoc ipsum fugitivum indicavit. Item quod subito post factum per officiales judicij cum gladio cruen-

tato sunt capti, hoc probationis maximam vim ostendit. Ex quamvis ea, quae per spolium „rerawb“ abstulerant, non sint in eorum manibus inventa, tamen dictae praesumptions, quae de domus invasione per manus amputationem, vulnerationem, hospitis in cellarium fugationem et per plagas ac sectiones in lapides ostii cellarii, quae recentes videbantur, factae fidem generant. Dictum etiam spolium per balneatores commissum probare quodammodo reputantur.

402. De testibus invasionis domus. (II. 93. B. 41<sup>a</sup>. 1-2. C. 22<sup>a</sup>. 1-3. D. 90<sup>a</sup>.-1. K. 174<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est juratis in Budespicz, quod conventores domorum bonae famae, licet sint caupones et ducillarii in causa invasionis domus tanquam veri hospites testimonium ferre possunt. Item minor invasio domus sine sanguinis effusione contingentes per testes vicinos, si antequam per invasum statuantur, per adversam partem de vulneribus incusati fuerint, probari non potest. In majori vero invasione domus, in qua superficies appetat, sanguinolenta exceptione praescripta non obstante testes prachabiti admittuntur pacis domesticae in favorem.

403. De electione judicis, quis et qualis sit eligendus, et quae conditiones suo convenient regimini. (II. 94. 9.) Homo in judicem eligendus non debet esse perjurus, nec etiam debet esse proscriptus nec excommunicatus, nec sit etiam judaeus nec haereticus vel paganus, sitque legitimi matrimonii filius non sit etiam rusticus, hoc est in moribus rudis et grossus; unde multum est laudabile, si projudice persona haberi poterit litterata. Corpore etiam sanus existens in manibus praecipue defectum non patiatur; non sit coecus, non sit surdus, neque mutus; in aetate quoque annos viginti et unum non exceedens, octoagesimum non attingat. Et istae conditiones judicii convenient quo ad corpus. In anima vero virtutibus debet fulgere cardinalibus. Primo justitia, quod nec amore, nec odio, nec muneribus, nec quavis actione a justitia declinans, partem numquam foveat injustam. Secundo fortitudine. Debet enim tam virilis esse in animo, quod motibus dominetur virilibus, nec ipsum errare faciant a semita veritatis. Unde pro tuenda justitia more boni pastoris animam exponere debet et corpus. Secundum quod sapiens dixit: „pro justitia agonista usque ad mortem.“ Tertio prudentia, quod videlicet inter bonum et malum distinguere, sciens bonum et justum eligere, et malum seu injustum studeat reprobare.

Item, cum initium sapientiae sit timor domini, judex debet dominum timere; nam qui dominum timet, faciet bona. Tali etiam judicii populus libentius est obediens et subjectus. Juxta illud prohibet in secretis suis: Tunc incipiet populus timere regem, cum viderit eum timere dominum. Et sic ut hoc dicatur de rege, sic suo modo de judice, qui vicem gerit regis, intelligi poterit in praesenti. Quarto temperantia, quod motus cardinales restringat sub regula rationis. Unde iracundiam fugiens, ebrietatem cavens; in cibis et potibus ut sit moderatus, in factis etiam quibuslibet medium tenens; ne sit nimis praeceps, nec nimis tardus; pauperibus injuriam passis ad ipsum querulando venientibus pia verba porrigena et benigna. Item judex facta electione jurabit in cruce, quod in omnibus causis justum unicuique judicium faciat, atque verum. Item judex ab injustis, in praecuditum justi munera non recipiat; quod si fecerit, talia munera non tantum injusto, cuius ea recepit malitio, se restituat, sed justo, quem ratione munierum corundem, jure suo fraudatnr, ipsa tenetur dare et restituere pleno jure; non solum hujusmodi imoque omnia alia, quae ex dictis muniberibus justi in judicio perdiderint, judex refundere et in ipsis satisfacere debet integraliter et complete.

404. De judice qualis in officio suo esse debet. (II. 94. B. 41<sup>b</sup>. 2. C. 22<sup>b</sup>. 1. D. 90<sup>a</sup>. 2). De Broda ungaricali et diversorum locorum jurati de subscriptis quandoque per verba et quandoque per litteras sunt instructi. Judex in officio suo non debet esse gravis et onerosus hominibus; debet etiam esse a violentia et cupiditate remotus, eo, quod violentia est legibus inimica et acceptio munierum et praevarecatio veritatis. In judice non debet esse ira et furor, sed tantum ratio dominari. Non enim ira viri Dei iustitiam operatur: Unde nihil debet judex tempore irae judicare, sed cum est in mentis tranquillitate, nam restringenda est sub ratione potestas, nec quicquam agendum priusquam mens commota ad quietem redeat. Eo, quod commotionis tempore justum putat omne esse, quod facit. Debet quoque judex incompositos disciplinare et praecipue noctis tempore ad intercipiendum surta et maleficia cum sua familia civitatem hincinde pertranseundo custodire, ad quod jurati eorum sibi praebebunt auxilium cum effectu.

405. De officio judicis, quantum ad juratos. (II. 94. B. 42<sup>a</sup>. 1. C. 22<sup>b</sup>. 2. D. 90<sup>a</sup>. 3.) Item judex debet juratos tamquam legislatores reverenter tractare, nullas per se sententias dictare, neminem sine ipsorum scitu captivare,

emendas civitatis sibi non appropriare nec emendas ad eum pertinentes, nisi postquam a juratis adjudicatae sibi fuerint recipere, in tali receptione pauperibus gratiam facere; praescriptos et a civitate repulso sine juratorum consensu nullatenus reasumere; de sigillo et privilegiis civitatis, quae jurati debent regere, se non intromittere. Et concludendo singulariter universa et universaliter singula judex debet semper juratos audire et eis obaudire, ad ipsorumque consilium omnia negotia sui officii expedire.

**406. De officio judicis, quantum ad sententias.** (H. 94. B. 42<sup>a</sup>. 2. D. 22<sup>b</sup>. 3. D. 90<sup>b</sup>. 1). Item judex Deum, qui praesens est in omni judicio, pree oculis habens, quando tribunal praesidet, debet quaerere a juratis de sententiis, sicut sedent in hancis nullo pree postero ordine observato, nec etiam favore, odio, timore, vel expectatione premii debet unam partem alteri praefacere seu preeponere, nec etiam quaerat sententiam ab illo jurato, quem noverit parti illi, pro qua quaeritur sententia magis favere, eo quod in judicio est omnis suspicio submovenda. Ad consentiendum etiam in sententiam tam interlocutoriam, quam diffinitivam unam partem pree alia non cogat. Tenetur insuper judex secundum propositionem partium de sententiis quaerere a juratis: et semper quaerat inter duas sententias, quod juris sit, nisi tunc una pars nolit aut negligat sententiam per se inquirere, ex tunc judex sententiam ad requisitionem unius partis inquirat. Et circa hunc punctum debent jurati hanc cautelam servare, quod nec extra judicia, nec in iudiciis aliquam sententiam communem, contra quam pars adversa nondum audit a nihil objicit vel allegat, proferant et pronuntient quoque modo. Ex talibus enim sententiis in genere prolatis saepissime cum ad speciem descenditur, vel maxima difficultas generatur vel evidens contradicatio multiplicatur. Quaerat etiam judex de sententia nihil penitus minuendo vel addendo, nam judex defectum supplere non debet; sed, si quid partes vel advocati partium de jure omiserint, illud supplere potest, in his et in omnibus aliis juris preeceptis ad justitiam litigantibus faciendam motum sui animi inclinando.

**407. De officio judicis, quantum ad partes.** (H. 95. B. 42<sup>a</sup>. 3. C. 23<sup>a</sup>. 1. D. 90<sup>b</sup>. 2). Judex etiam tenetur sententias a juratis prolatas exequi reverenter, ut, si accusatori res immobilis fuerit adjudicata, ipsum mittat in possessionem rei ejusdem, in ea ipsum viriliter manutenden; quia non sufficit quem mittere in possessionem, nisi in eam missus

tueatur. Si autem res sit mobilis, ipsam actori cum effectu praecipiat praesentari. Sed si reus a petitione actoris fuerit per sententiam absolutus, ex tunc ipsum judex in jure suo similiter tueatur, actori super eo perpetuum silentium imponendo. Item quamvis judex exercenda justitia juraverit, tamen solum de querimonine prioritate et de nullis aliis causis testimonium ferre potest. Hoc enim spectat ad juratorum officium. Item judex cavit, ne captivi in cippo rebus et vestibus spolientur. Item judex debet providere partibus, quae tutae compareant. Unum si necesse fuerit potest prohibere, quod sine armis veniant et maxime, quod inermes compareant coram tribunalii.

408. De electione juratorum. (H. 95<sup>b</sup>.) Pater cum filio et frater cum fratre non elegantur simul ad officium juratorum, unde, quando habiles et valentes haberi possunt personae, etiam socer cum genero, non sint simul in juratorum ordine. Tales enim personae frequenter propter sui cohaerentiam diversitatem generant inter juratos uni talium personarum, quia quod placet uni, saepius alteri placet, quamvis sit injustum et iniquum. Cognati etiam judicis sororii et aliae personae sibi multum familiares non elegantur. Vel si propter defectum personarum fuerit necesse, tunc, quanto pauciores in officio scabinatus fuerint, tanto salubrius. Tales enim personae judicii complacere volentes, pauperibus in emendis solvendis graves sunt nimium et infesti. Nullus etiam infamis eligatur ad juratum, imo si ignoranter electus fuerit, et postea de hoc constiterit, deponatur. Nam una ovis morbida inficit totum gregem. Item garruli, qui secreta celare nesciunt, et qui indifferenter bonos et malos odio habent, et qui nimis avide proprium quaerunt commodum et bonum, et qui etiam nimis sunt juvenes non statuantur in juratos; debent enim jurati communi utilitati totis viribus providere. Unde in antiquis Cronicis de Athenis, quae fuit quondam famosissima civitas, scribitur sic: „Latens odium, privatum commodum, juvenile consilium destructio fuit Atheniensium.“ Omnia quoque superius de electione judicis scripta, de juratis, qui absente judge ejus vicem supplant, quando debent eligi, sunt servanda. Et insuper jurati, a quibus salus et periculum tam judicis quam judicandorum dependet cum diligentia videre tenentur, quod unicuique debita fiat justitia et condigna. Unde cum ipsi principalissimi sint testes in judicio et in omnibus causis ad eos deductis, semper habere debent in memoria, quod falsus testis tribus est obnoxius personis; primo Deo, cuius praesentiam contemnit, Deus enim omni

judicio praesens adest; deinde judici, quem mentiendo fallit; et tertio innocent, quem falso laedit testimonio. Unde cum uterque sit reus, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat, jurati cavere debent, ne occultent veritatem et ne proferrant falsitatem. Et ideo personae, quae mentiri consueverunt, pro jnratis nullatenus assumantur. Item si aliquis juratorum moritur, vel ex impedimento legitimo officium suum regere non possit, unde ut numerus juratorum semper completus habeatur, alter loco ipsius constituatur.

409. De juratis novis et eorum officiis etc. <sup>1)</sup> (H. 96<sup>a</sup>. A. 22<sup>b</sup>. B. 46<sup>b</sup>. 1.) Novi jnrati postquam locati fuerint, statim die sequenti non feriata debent convenire, et sic se ad invicem unire, quod seniores informent juniores, qualiter in officio scabinatus regere se debeant et tenere, videlicet quod ad maniloquia et consilia diebus statutis, vel si festum fuerit, alia die non festiva feriam statutam proxime secutura mature et tempestive veniant, et secrete, quae audierint in consilio, nulli ea revelando apud se teneant, et alia, quacumque seniores sciverint, juniores congrue de his ipsis fideliter debent informare. Quo facto ut status civitatis illius sit ordinatus, et ordinato decentium, et communi melius provideatur bono: debent magistros operum mechanicorum praeteriti anni vocare, et ab eis sub virtute jnramenti praestiti diligenter inquirere, utrum aliquid sciant correctione et emendatione dignum operibus in eisdem: et, si quidquid non consonum justitiae ipsis publicatum fuerit, illo reformato et ad statum debitum revocato rebelles contumaces et justitiae transgressores, qui per magistros operis eosdem accusati fuerint, ita districte puniant, quod ceteris transeat in exemplum. Postea vero debent novos magistros jnratos, quos ad hoc idoneos et fidedignos esse cognoverint, inter pistores, carnifices, panniparios et alios consimiles plus principales mechanicos eligere, et illos tacta cruce facere jurare, quod eorum sollicita faciente provisione labores et opera, quibus praeficiuntur, juste et ordinate ac fideliter siant, ut in venditionibus, in emtionibus forum servetur debitum; si autem transgressores voluerint effugere, poenam ipsis juxta formam statutorum civitatis et juratorum consilium imponendam.

<sup>1)</sup> II. hat: De novis juratis. Qualiter se debeant habere circa statuta et regimen politiae.

Debent etiam jurati inquisitionem, de praeteritis operam magistris superius scriptum, a notario civitatis et scriptore iudicis, qui pro tempore fuerint, modo consumili facere et denum a subjudice et praeconibus, et eodem omnes officiales de novo facere jure, et ipsis impingere, quod in gereudis suis officiis tantam fidem habeant et diligentiam, sicut nota infamiae nolunt maculari, et eis se diligenter conservare; postremo vero, cum jurati non solum per alios, imo etiam per se ipsos bonum civitatis, quantum ad utilitatem et decentiam status teneantur prouidere et procurare, debent semper duobus ex se officium committere speciale puta duobus officium propinac, qui vulgariter magistri mensurae vocantur, ordinare. Duobus vero aliis informationem murorum, turrium, fossatorum et singulorum aedificiorum civitatis, qui muros interius et exterius hinc inde respiciendo, quidquid in eis meliorandum et reformatum esse invenerint, conventis et conductis operariis faciant reparari. Item aliis duobus officium respicienda conservatoria et loca ignis, cujusmodi sunt coquinæ et fornaces stubarum braseatoriorum et braxatoriorum; quod caute in talibus locis ignis soveatur et conservetur, et hoc officium duobus circumspectis et idoneis est committendum. Sacpissime namque per incendium famosae civitates destruuntur, unde ubi ignis conservatur est summa diligentia adhibenda.

Item aliis duobus venditionem et forum piscium, ad quorum mandatum praceptores et praecipue mulieres praceptrices piscium a foro repellantur et pescatores principales, qui ad formam pisces adulterunt, per se vendent eosdem. Poena autem talibus praceptoribus et praceptricibus piscium secundum voluntatem juratorum talium imponetur. Item aliis duobus, quod singulis diebus dominicis, vel aliis ad hos statutis, captivos, qui apud subjudicem vel alibi, ubi carcer fuerit civium, servantur, visitent et accedant, de causis et excessibus, pro quibus, in quo tempore capti fuerint, et quibus detineantur vinculis inquirendo, hoc conjuratis eorum aliis, ut secundum hoc ad judicium procedere valeant, intimando. Item aliis duobus mundationem et purgationem platearum civitatis, ad quorum praeceptum simus et lutum de constratis et viis publicis educatur, et qui in hoc rebelles fuerint, poenam a juratis eisdem impositam luant et persolvant. Haec et his similia jurati diligenter debent respicere, utilitati communi et reipublicae, sicut virtus juramenti eorum exigit, in hoc praeccipue servientes.

**410. De judice, quantum ad compescendas lites.**

(H. 97<sup>a</sup>.) Cum quatuor rustici subsides domini Marchionis de Camera in foro Brunnensi pugnarent et judex cum suis ad pacandum et compescendum eos acciperet, ipsi judici resistentes, nec ejus verba, quae de gladiorum resignatione ac pacis observatione sonora voce perstrepebat, advenientes extra portam Renuensem et ultra Letzam usque ad campum violenta manu se defendantes processerunt, judex autem cum crida et clamore valido multitudinem hominum sibi in auxilium advo-casset, accidit, unum de quatuor rusticis occidi, et unum de coadjutoribus judicis graviter vulnerari. Et infra. Super quo causa ad intercessionem Purgravii de Aychors sopito, jurati in pleno consilio ad perpetuam futuronrum memoriam diffiniendo statuerunt: Quod quicumque ad clamorem judicis et suorum ad sedandas lites et detinendos maleficos currentium, eis in auxilium non venerit, vel pugnans judici poscenti dummodo defendi possit, gladium et arma non resignaverit, vel qui verbis vel factis aliquos impedit vel detinet, ne ad subveniendum judici festinent emendas LXX<sup>a</sup> nostrorum parvorum solvet. Et insuper: Quicumque ad clamorem judicis vel suorum pacem indicentium a pugna non cessaverit vel saltem verbis se libenter cessare velle, si securus esse posset protestatus, non fuerit pacem verbis, et postea ledens aliquem factis judicatur violasse. Item, qui in tali pugna judicio se opponens per ejus rectores, defensores et cooperatores vulneratus vel occisus fuerit, non emendabitur, imo mortuus decolletur, nec postea tradatur amicis ad sepi-liendum, nisi praestita cautione fidejussoria, quod nec judicis malum, nec suorum in posterum quaerant. Item, qui judicem vel sibi adhaerentes vulneraverit, poenam capitatis statim ad terrorrem aliorum et ad roborandam justitiam sustinebit. In talibus etiam excessibus commissis non solum jurati, imo pro testibus recipiuntur alii, dato etiam, quod cum judice accurrerint fide digno. Item non est necesse in delictis tam manifestis semper ordinem judiciarum observari. Requie supra in sententia quae sequitur XXIV anno XLVIII<sup>o</sup> et in sententia, quae sequitur nonam, anno XLVIII<sup>o</sup> et in sententia octava anno XLIV<sup>o</sup> et in sententia quinta anno XLIII<sup>o</sup>.

**411. De judice, quantum ad captivos assessores et expensas assessorum.** (H. 98. A. 32. 2-5. B. 43<sup>a</sup>. 1-2. C. 24<sup>a</sup>. 2. 24<sup>b</sup>. 3. D. 91<sup>a</sup>. 1. K. 177<sup>a</sup>. 1-4.) In Lautscheins quidam accusatus de homicidio judici prae-

sentatus est, quem cum die praefixo statuere deberet, careerem evuserat. Quaeritur ergo, quid sit juris in hoc casu. Super quo respondetur diffinitive, quod judex homicidam seu maleficum sicut furem et spoliatorem sibi praesentatum, unomodo simpliciter et absolute in suam custodiam recepit et clausuram. Alio vero modo sub conditione, qua videlicet pro majori custodia invocat auxilium sui superioris, seu parti dicit, quod sua conservatio sit debilis, et quod per se de secura custodia sibi provideat: protestans nihilominus, si captivus evaderet, in hoc culpabilis esse nolle. Modo si captivus, de quo judex simpliciter et absolute se intromisit, evadit, judex pro ipso emendam XXX marcarum solvet et insuper jurauentum corporale faciet, quod sua fraude non sit captivi evasio procurata. Si autem captivus secundo modo custoditus evasit, judex de emenda pecuniae supportatus simplici se juramento, ut praemittitur, expurgabit. Debet tamen judex de captivo pro maleficio parti judicium petenti favorablem se exhibere, nec terminos prorogare, nec gravem ac difficultem aliqualiter se reddere, alioquin tamquam de fautoria maleficii, suspectus poenam malefici si evaserit, personaliter sustinebit.

Assessores ac juris defensores et protectores, si quos fortassis judex aliunde sibi assumxit illis non partes, sed ipse duntaxat ex eo, quod emendas judiciarias pro se tollit, satisfaciet in expensis.

412. *De judicis disciplina et qualiter propter enormia verba perdite emendas.* (H. 97<sup>b</sup>. A. 32-5. B. 43<sup>a</sup>. 2. C. 24<sup>b</sup>. 3. D. 91<sup>a</sup>. 2. K. 177<sup>a</sup>. 4.) Dominus cuiusdam villaे personaliter judicio praesidens cuidam homini suo querulanti subjicit, quod querelam, quam alias extra judicium ad eum retulisset, coram judicio nutigaret et mutaret; dicto vero homine objectionem domini negante, dominus eam resumpsit, modo praemisso; secundario vero homine negationem replicante dominus sibi dixit: „Mentiris sicut antiquus filius meretricis“ quaerens cum hoc a juratis sententia dari, qualiter dictus homo emendare debeat, quod ipse dominum suum arguere ac ejus verba praesumserit reclamare. Super quo diffinitum fuit, quod cum licitum sit partibus verba judicis disciplinate affirmare vel negare, dominus per verba inhonesta, quibus hominem suum arguit, emendis, dato etiam, quod de jure sibi competenter, se privavit; judex enim sicut et partes sic et se ipsum tenetur principaliter magistrare.

413. *De judicis auctoritate in vulneribus et excessibus criminalibus.* (H. 98. A. 32. 6. B. 43<sup>c</sup>.

3. C. 24<sup>b</sup>. 4. D. 91<sup>b</sup>. 1. K. 177<sup>b</sup>. 1.) Si in causis criminalibus partes infra terminum concordandi, quem a judice rogaverant, non concordant: non oportet, quod judex exspectet, usque actor reum citet; imo potest per se partibus terminum praesigere; idem tamen terminus, si causa sit ardua, habebit dies XIV in quibus partes amicos eorum possint inquirere, et sibi de advocateis providere. Sic sententiatum est in Praczaw.

414. De judice, quantum ad res, quas recepit in domo fugiti. (II. 98. A. 32. 17. B. 43<sup>b</sup>. 1. C. 24<sup>b</sup>. 5. D. 91<sup>b</sup>. 2. K. 177<sup>b</sup>. 2.) Si judex in domo homicidac fuerit et aliquas res accepit, illas postea facta compositione homicidii juxta valorem earum in emendis sibi solvendis defalcabit. Sic instructi sunt rustici cujusdam villae.

415. De judice et juratis suspectis. (II. 98. A. 32. 8. B. 43<sup>b</sup>. 2. C. 24<sup>b</sup>. 6. D. 91<sup>b</sup>. 3. K. 177<sup>b</sup>. 3.) Sicut judex et jurati ferre non deberent indigne si ab eis ad audientiam majorem appellatur: sic nec ad verecundiam sibi ascribere, si pro suspicione partibus tollenda a causarum aliquarum tractibus et judiciis per suos juratos rationabiliter amoventur; possunt enim causis eisdem judicialiter tractandis admonitione predicta non obstante extra sedes tribunales sicut ceteri interesse.

416. De judice, quod non debet emendas sub usura vel damno conquirere. (II. 98. A. 32. 9. B. 43<sup>b</sup>. 3. C. 24<sup>b</sup>. 7. D. 91<sup>b</sup>. 4. K. 177<sup>b</sup>. 4.) Judex illum, qui in emendis obligatus sibi fuerit, impignorare potest et eadem pignora sine exhibitione, quae in judicio fieri consuevit de aliis pignoribus, vendere; ipsas autem emendas omissa impignoratione sub usura vel damno conquirere non potest sine ejus, cuius interest, licentia speciali.

417. De judice, quantum ad emendas, quas destitutus involutas reliquit. (II. 98. A. 32. 10. B. 43<sup>b</sup>. 3. C. 24<sup>b</sup>. 8. D. 91<sup>b</sup>. 5. K. 178<sup>a</sup>. 1.) Ad judicem sequentem spectant emendae, quas ejus predecessor insolutas dimittens non pepercit; emendae enim non personam judicis sed officium consequuntur.

418. De judice, quantum ad emendas, in quas personaliter incidit. (II. 98. A. 32. 11. B. 43<sup>b</sup>. 4. C. 24<sup>b</sup>. 9. D. 92<sup>a</sup>. 2. K. 178<sup>a</sup>. 2.) Cum in Gurda jurati contra quemdam rebellem diffinitivam publice coram judicio dixissent sententiam, judex qui videbatur eundem fovere, alta juratos inclamans voce prorupit in haec verba: Ir mecht den vrteiln in iene werlt. Quod cum jurati au-

dirent et pro verecundia sibi ascriberent, judex motus quodam modo poenitentia eorum gratiae se subjecit. Quaesitum est ergo et infra. Super quo responsum est: Si judex, qui dixit: Ir mecht den vrtailu in iene werlt, ex quo poenitentia ductus gratiae se subjecit, si non contumaciter nec honori juratorum per hoc detrahere volens talia dixit, solvet secundum quemlibet juratum LXXII halenses pro emenda; si autem frivole in detrimentum honoris juratorum praedicta verba dixit, solvet pro emenda X marcas grossorum, et in haec emenda nec judex nec jurati partem habebunt; nec judex nec etiam jurati pro se testari possunt, qua intentione verba sint prolata praedicta, quia nec actor neque reus in causis propriis dicere eorum possunt testimonium pro se ipsis; unde fortassis in favorem reverentiae judicij et juratorum communes probi homines, qui assisterunt judicio, in hoc casu pro testibus sunt audiendi.

419. Ad idem de excedente contra judicem et de loquente contra juratorum sententiam, et de verberante captivatam a judice. (H. 98<sup>b</sup>. A. 32. 12. B. 43<sup>b</sup>. 6. - 44<sup>a</sup>. 1. C. 25<sup>a</sup>. 1-3. D. 92<sup>b</sup> 1. K. 178<sup>a</sup>. 3.) Dum in Gedaw quidam pro insolentiis detineri debens judici coram juratis in tantum restitisset, quod potenter superatus incippatus fuit: sententiatum est, quod quinque libras halensium parvorum pro emenda solvere teneretur. Item ibidem: Cum per juratos inter partes diffinitiva fuisse sententia dicta, unus eorum juravit per deum altissimum, quod sic non esset, sententiam per hoc juratorum quodam modo vilipendens: sententiatum est similiter, quod judici in quinque libris halensium obligatus esset. Item ibidem, quod orta in domo judicis contentionе per duos, judex unum de domo trudens, et secundum tamquam captivum supra scamnum locaverit, tertius accurrit et sedentem cum gladio non evaginato ad caput percussit, quod de scanno cecidit, verberavit: pro quo sententiatum fuit, quod judici in emenda X librarum halensium obnoxius teneretur, vulnerato vero ratione gladii non evaginati esset taliter obligatus, sicut de fustigatione in juribus originalibus continetur.

420. Judices et jurati audire debent necessaria verba partium sine emenda. (H. 99. D. 92<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est jratis de Crumlaw quod judices et jurati benivole et cum mansuetudine omnia verba partium, quae tamquam eis necessaria protulerunt, debent audire dummodo reverenter et disciplinate proferantur. Unde si pars dixerit: Reverendi domini judex et jurati, plures terminos coram vobis habui plura judicia

et consilia quaeſivi et ſic labores et expenſas graves feci, peto inſtanter finem mihi dari vel ad majorem audientiam me remitti. Vel ſi hodie cauſa mea iuſtitialiter non poterit terminari, oportet, quod cauſam meam alibi proſequar vel quod coram veſtris ſuperioribus ipsam proponam. Vel ſi ſic ſaltem dicat: Si cauſam meam breviter fine debito non decidetis, dabitis mihi materiam appelleandi. Vel quicquid talium coram iuratis dixerit, propter hoc non oportet, quod emendas aliquas obligetur, quia leges dicunt: quod iurati debent lites cum omni aequitate audire et breviter iudicare ac homines liberare ab alterna contentione et non permettere causalium expenſarum occaſione damnificari.

421. De iudiciis, quod una cauſa non debet diuidi in duas. (H. 99. A. 32. 13. B. 44<sup>a</sup>. 2. C. 25<sup>a</sup>. 4. D. 92<sup>b</sup>. 2. K. 180<sup>a</sup>. 2.) Frequenter ſententiatum eſt, quod nulli prorsus audientia praebatur, qui cauſae continentiam diuidit et ex beneficij praerogativa id, quod in uno eodemque iudicio poterat terminari, apud diuersos iudices voluit ventilare, poena ei ex officio iudicis imminente, qui contra hanc ſuppli- caverit ſanctionem, alium ſuper poffeffione atque alium ſuper principale quaefione iudicem postulaverit. Et ſimiliter iudex non admittat, quod id, quod in una querimonia potest capi, in altera replicetur.

422. De iudiciis, quod ad parendum juri cauſio a partibus eſt petenda. (H. 99. A. 32. 14. B. 44<sup>a</sup>. 3. C. 25<sup>a</sup>. 5. D. 92<sup>b</sup>. 1. K. 180<sup>b</sup>. 1.) Quaedam eſt cauſio nuda ſicut juratoria, et illam ſufficit a partibus fieri de parendo juri et ſtando iudicio in dubiis et levibus cauſis; ſed eſt alia cauſio idonea ſicut pignoraticia vel ſidejufſoria, et illa in gravibus et notariis cauſis a partibus eſt petenda.

423. De iudiciis, quod cauſa non perditur per verba ſimplicia et levia. (H. 99. A. 32. 15. B. 44<sup>a</sup>. 4. C. 25<sup>a</sup>. 6. D. 92<sup>b</sup>. 4. K. 180<sup>b</sup>. 2.) Cum duae mulieres in iudicio pro debitis contendere, et advocateſ unius ab alia quaerere, ſi de ſua teſtes habere potest intentione probanda, illaque deliberatione non prachabita ex ſimplicitate respondiſſet, quod mediam civitatem pro teſtimonio ſtatueret vellet: quaefiſum eſt ab advocate, ſi mediam partem hominum civitatis pro teſtimonio non produceret, utrum cauſam perdiſſet. Super quo diſſiñitum fuit, quod per talia verba et eis ſimilia per actorem vel reum prolata, cauſa non perditur nec obtinetur, ſed ſolummodo holung perditur; qua emenda in cauſa proceditur ſicut de jure fuerit procedendum, dum modo dicta verb

ex simplicitate proferantur et indeliberate; quia si ex pertinacia contumaciter fuerint prolati, parti praejudicant, sicut si forte derisorie seu frivole pars pro debitilis impugnata actori dicere ita: Eme bursam novam vel aliquid tale; et similiter verba in ultima hollung prolati, qualitercumque proferantur, causam obtinent vel amittunt.

424. De judiciis, quod actor obtento accessorio non obtinet principale. (H. 99. A. 32. 16. B. 44<sup>a</sup>. 5. C. 25<sup>a</sup>. 7. D. 93<sup>a</sup>. 1. K. 178<sup>b</sup>. 1.) Dum in Zahars (prope Crem-sir) judice hereditario mortuo dominus villa relictam iudicis prole masculina carentem ad hoc, quod judicium sibi venderet, compellere niteretur, et illa talem venditionem facere nollet: praesixit ei talem terminum peremptorium, in quo judicialiter secum contendere deberet, utrum dictam venditionem secundum formam justitiae posset reclamare. Adveniente termino cum reicta sicut sponte se facturam promiserat, in judicio non compareret, nec infra sequens triduum causam absentiae legitime ostenderet: dominus petivit sibi sententialiter dictari, utrum propter absentiam reictae in terminum peremptorium praeteritum non esset jus suum finaliter executus, et de judicio reictae emtione cessante non deberet se intromittere pleno jure. Super quo sententiatum fuit, quod non judicium et ejus proventus, de quibus quaestio non fuit, sed solum venditionem judicii per reictam juxta ipsius arbitrium faciendam dominus obtinebit ipso jure. Unde talis venditionis tamquam accessorii cuiusdam obtentionem non sequitur principale, proventus scilicet judicii, nisi prius emtio rationabilis intercedat.

425. De judiciis, quod debent esse aequalia circa pauperem et divitem et unumquemque. (H. 100. A. 32. 17. B. 44<sup>b</sup>. 1. C. 25<sup>b</sup>. 1. D. 93<sup>a</sup>. 2. K. 180<sup>a</sup>. 3.) Cum in Praczaw juratus dives rusticus pro homicidio esset proscribendus, quaesitum est ab amicis suis, utrum ultra sex septimanas, quibus communes homines proscribendi in judicio citantur, non deberet merito adhuc per triduum expectari. Super quo responsum fuit, quod in judiciis non aliter cum divitiis et aliter cum mendicis, sed aequaliter cum omnibus est agendum, cum in lege divina scriptum sit: Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum.

426. De judiciis, quod in excessibus manifestis ordo judiciarius omitti potest. (H. 100. A. 32. 18. B. 44<sup>b</sup>. 2. C. 25<sup>b</sup>. 2. D. 93<sup>b</sup>. 1. K. 181<sup>a</sup>. 1.) Licet in causis singulis ordo judiciarius sit servandus: tamen si

judex pro excessibus notoriis, qui validissima probatione scilicet evidentia facti probantur, reos, advocato eis non concesso et sic ordine judiciario praetermisso puniens ultimo deputat suppicio, propter hoc non est aliqualiter arguendus. Si enim crimina manifesta, quae nulla tergiversatione celari possunt, et quae probatione testium non indigent, processu judiciario discuti debent: propter hoc non solum judicialis disciplina, quae sine probatione puniri non posset, verum etiam jus actoris, cui onus probationis incumberet, plurimum laederent; nec ex obliuione praedicti ordinis judex, qui jurat in omnibus causis ordinem judiciarum se velle conservare, censendus est perjurus; illud enim juramentum non juretur de excessibus notoriis, sed solum de illis, in quibus est ordo judiciarius observandus.

427. De judiciis, quantum ad obtenta. (II. 100. A. 32. 19. B. 44<sup>b</sup>. 3. C. 25<sup>b</sup>. 4. D. 93<sup>b</sup>. 2. K. 181<sup>a</sup>. 2.) Antiqua consuetudo civitatum habet: Quod quidcumque coram judicio obtinetur, et in tabulis judiciariis signatur, hoc ante proximum futurum peremptorium judicium, vel per impignorationem vel modum alium, si expeditum non fuerit, de cetero caret robore firmitatis, nisi per scriptorem civitatis in librum, ubi census et alia notantur acta, per obtentorem de scitu juratorum scribi fuerit procuratum. Sic sententialum est consilio juratorum.

428. De judiciis, quantum ad principale et accessorium, quantum ad juratos, quantum ad arbitros, quantum addolum, ad presumptionem et quantum ad feriarum observationem. (H. 100<sup>b</sup>. A. 33. 1. B. 44<sup>a</sup>. 5. C. 25<sup>b</sup>. 7. D. 93<sup>b</sup>.) In Lautscheins postquam duo privigni cum eorum noverca pro agris, per patrem privignorum praemortuum nomine dotis novercae deputatis judicialiter contendissent, et eadem contentio per arbitros ex parte ad hoc electos utraque amicabiliter quievisset noverca, licentia a Lautscheins recepta, domino Henrico de Ledecz se subjicit, qui videus eam non consequi justitiam pro aliis quibusdam agris, quos judex de Lautscheins possidebat, judicem eundem, quem in Ledecz reperit, arrestavit. Judex autem, cum terminum novercae et Henrico de Ledecz hora quasi sexta usque ad horam vesperarum ejusdem diei placitandi in Lautscheins coram juratis deputasset, dictique Henricus et noverca illuc venissent, jurati, qui pro tunc aderant, eis dixerunt, quia major numerus juratorum in campus esset; erat enim illo die vigilia Petri et Pauli apostolorum, quo tempore villani circa campestria sunt intenti, et quia minus discrete judex egisset, quod ab hora sexta

usque ad horam vesperarum unius dici, et praeципue irrequisitis  
 ipsis terminum judiciale statuisset, et quod non expediret, ab ea-  
 dem vespere usque ad sequentis diei vesperam, propter temporis  
 feriatum interim currens aliquem actum judiciarium exercere,  
 sed quod sustinerent causam in suspenso tenentes, quousque cum  
 eorum domino, conjuratis et villaे senioribus deliberarent super  
 termino peremptorio, eis et judici finaliter praesigendo. Quam  
 responsionem juratorum **Henricus de Ledecz** indigne ferens  
 judici de Lautscheins dixit coram scabinis: **Judex!** alium de-  
 bnuisti deludere; subses mea de cetero, a te sibi in Lautscheins  
 fieri justitiam, non requiret; sed ego cum ipsa examinabimus,  
 utrum alibi eam consequi valeamus. Postea vero praescripta no-  
 verca pro judice praenotato quendam carnificem de Lautscheins  
 cum in oppido Gobals occupasset et idei terminum ab ea et  
 Henrico de Ledecz impetrasset, et in Lautscheins veniens  
 judicem, ut ipsum ab occupatione redimeret, monnisset, judex  
 respondit: **Chunczmannus**, te non redimam, nisi rigore juris  
 ad hoc compellar. Quo facto cum **Henricus de Ledecz**  
**Chunczmanno** plures terminos dedisset, quos quaesivit, finaliter  
 sibi terminum sub poena perditionis et obtentionis causae  
 certum assignavit. In quo cum **Chunczmannus** non compa-  
 reret, jurati de Gobals ad instantiam **Henrici** et novercae  
 sententiaverunt, quod **Chunczmannus** cuiuslibet excusationis  
 futurae allegatione cessante in causa succubuisse et novercae in  
 viginti marcis grossorum, ad quas agros, quos a judice de  
 Lautscheins petebat, taxaverat, legitime teneretur. Ad audientiam  
 vero **Chunczmanni** cum dicta sententia pervenisset, iterum judici  
 de Lautscheins dixit, quod eum absolveret. Qui postquam res-  
 pondisset, ut superius continetur, **Chunczmannus** cum **Henri-**  
**co** et noverca pro sedecim marcis componens et a Lautscheins  
 se licentians ad bona domini **Marchionis** se transtulit, qui offi-  
 cialibus suis commisit, quod vocatis ad eorum praesentiam  
 judice et juratis de Lautscheins, **Chunczmanno**, **Henrico**  
 et noverca causam audirent, eam sine debito accidentes. Assignato  
 igitur termino **Henricus** coram officialibus proposuit: quod  
 in Lautscheins nec ipse, nec subses sua de eorum querimoniis  
 justitiam consequi potuerint a juratis. **Chunczmannus** vero con-  
 questus est, quod ratione negligentiae et contumaciae judicis, qui  
 termino in Gobals sibi praefixo stare non curavit, damnificatus sit in  
 sedecim marcis. Adjiciens insuper, quod nuper ipse et judex  
 memoratus Brunnam venientes in unum de antiquis scabinis  
 ibidem, et alium famosum hominem tamquam in arbitros con-

cordassent. Qui super sententia arbitrationis proferenda sub poena perditionis causae terminum statuerunt, in quo judex iterum non comparuit, de quo ipsum vult vincere arbitros per eosdem. Judex vero proposita per Chunczmannum negabat, dicens, quia cum domino suo, juratis et aliis idoneis viris de Lautschein sufficierter vellet probare, quod in omnibus praemissis contra jus nunquam venerit et nihil aliud fecerit, nisi quod forma juris exegerit, et in toto consonum fuerit aequitati. Modo quaeritur cuius testificatio, Chunczmanni vel judicis, sit potior in hac causa. Quaeritur etiam, utrum jurati de Lautschein aliqui juri fecerint injuriam in praetactis. Super quorum primo definitum fuit, quod judex ad probandum suum intentum est simpliciter admittendus, cum enim principale non valuerit, scilicet arrestatio facta in Ledecz, de carnifice, pro judice nec accessoria omnia valuerunt. Dicunt enim leges, cum principalis causa non consistat, plerunque nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent. Et nota, quod quandoque tenet principale et accessorium, ut quando secundum leges. Item quandoque neutrum, ut quando contra legem. Item quandoque accessorium tantum, ut quando praeter legem. Et quod arrestatio non fuerit vigorosa, patet ex hoc, quod non debet persona non rea arrestari pro rea, nisi coram competente judice justitia in loco debito quacsita et denegata. Judex etiam de negligentia et contumacia male arguitur, cum enim frequenter dixerit: Chunczmannne, non faciam aliud, nisi ad quod jure compellor, liquet, quod juri voluit parere. Et nemo juri obtemperans contumax est censendus, licet etiam efficax sit testimonium arbitrorum in causis, de quibus cognoverunt, et de quibus, quid servandum sit ordinantes et statuentes pronuntiaverunt; tamen hoc in proposito non est actum, quamvis etiam arbitrio stetur metu poenae, tamen in praesenti perditio causae, qua Chunczmannus loco poenae arbitrium vallatum esse dicit, cum dolum presupponat, nullius est momenti. Et elicetur dolus ex hoc, quod Chunczmannus, postquam plures terminos in Gobals quacsivisset, ad ultimum peremtorium terminum venire nolens postea venit, et cum Henrico et noverca pro sedecim marcis concordavit. Ex quo necessario praesumitur, quod inter eos per dolum eadem sit compositio procurata, et sic nomine dictae compositionis per Chunczmannum allegatur non causa ut causa, quod coincidit cum fallacia, quam sophistae sic appellant. Item terminus juris, quem judex ab hora sexta usque ad vesperam statuit, ob hoc maxime non valuit, quod ipsem reus fuit, et sibi ipsi nec terminum statuere, nec jus

dicere potuit, sed residencebant haec apud juratos, per quos eidem fuerant facienda. Item jurati bene monebantur quod a vespera vigiliae apostolorum in diem alium non feriatum juris terminum ponere voluerunt: licet enim diebus, qui feriati sunt ratione messium, vel vendemiarum de voluntate litigantium, renuntiari possit, tamen diebus feriatis in honorem dei sicut fuit dies a vespera vigiliae, usque ad vesperam diei celebris apostolorum, currens renuntiare non expediebat, quia pacto privatorum reverentia divini numinis remitti non potest. Ex istis patet responsio secundi quaesiti, scilicet, quod Henricus indebit conquestus est de juratis, cum ipsi a via juris non deviaverint in praemissis.

429. De judiciis, quantum ad holunge. (II. 101. D. 95<sup>a</sup>. 1.) In Haierichs reus impetus cum super responsione deliberationem obtinuissebat habito cum suis consilio, subito quatuor intrans sedilia crucemque tangens jurare volebat. Unde quaesitum est ab actore, cum antecedente puta responsione praetermissa consequens scilicet juramentum sit aggressus, utrum causam non perdiderit ipso jure. Super quo diffinitum fuit, quod non causam, sed solum juris iterationem, quae vulgariter holunge dicitur, perdidit; qua emendata ad motam sibi querimoniam iterum deliberatione prævia respondebit. Et similiter, si reus non eodem ordine, quo impetratur, sicut verbi gratia, si prius ad tertiam, quam ad secundam respondeat querelam, non propter hoc causam, sed holunge amittit, qua emendata, ut supra.

430. De judicio peremtorio. (II. 102. D. 95<sup>a</sup>. 2.) Judicium peremtorium bis habetur in anno, scilicet post epiphaniam domini et post dies quatuordecim, a die paschæ numerando. Et in prima die sicut in feria secunda, fiunt juramenta causarum tam civilium, quam criminalium, de priori tempore feriato, in quo non jurabatur, ad judicium peremtorium induciata. Die vero sequenti habetur judicium homicidiorum, insolentiarum et omnium consimilium, et juramenta per reos actores et testes in talibus facienda, nisi precibus induciantur, continuo sunt praestanda. Sed tertia die fit judicium debitorum, in quo similiter, nisi precibus protrahatur, statim est jurandum. Ultima vero die specialiter est judicium pro judaeis isto videlicet modo, quod judaei tantum agunt in christianos, et tunc, ut prius christiani statim jurabunt; sed juramenta, quae christiani diebus feriatis per judaeos impetiti ad judicium protraxerunt peremtorium, sunt feria secunda, scilicet prima die ejusdem judicij facienda. Pro querimoniis autem christianorum, quas habent movere judaeis, judex judaeorum speciali judicio praesidebit. Notandum tamen,

quod cuicunque extraneo judicium peremtorium in genere sub istis scilicet verbis vulgariter dicendo „e zu offent agen“ indicatum fuerit, ille quolibet dierum praedictorum etiam inclusu sabato suam justitiam prosequetur.

### **Capitulum de Judaeis.**

**431. De judaeis, utrum agendo et respondendo judaeus possit dici probus vir.** (H. 102. A. 34. 1. B. 46<sup>b</sup>. 2. C. 25<sup>b</sup>. 7. D. 95<sup>b</sup>. 1. K. 186<sup>b</sup>. 4). Quidam in Giewicza, cui equus arrestabatur in Boskowicz, dixit coram judicio, quod probum virum, apud quem dictum equum emerit, pro ejus disbrigatione statuere vellet; instante vero termino judicii quemdam statuit judaeum, contra quem adversarius excipiens quaesivit, utrum judaeus, cum sit infidelis, locum probi viri agendo vel respondendo supplere possit. Super quo diffinitum fuit, quod cum judaeus secundum aetatem, secundum sexum, secundum sensum i. e. secundum discretionem et secundum probitatem, et secundum actus viriles sit et possit esse vir, et omnibus istis modis non repugnet sibi, quod sit probus: vicem probi viri, quamvis non probi christiani, dummodo non sit infamis agendo vel respondendo, supplere potest. Unde, quod non est fidelis, ex hoc solum habetur, quod nou sit vir conjugio; matrimonium enim et alia sacramenta extra ecclesiam non habentur.

**432. De judaeis, quantum ad furta et causas criminales.** (H. 102. A. 34. 2. D. 95<sup>b</sup>. 2.) Postquam quaedam civissa hujus civitatis de camera res suas perdidisset, dictum est ei per inquilinos domus, quod quemdam judaeum sic vestitum et sic dispositum in domo vidissent. Ad quae verba mulier se convertens in plateam judaeorum mutato habitu, quo quotidie induebatur, judaeum secundum signa, quae ab inquilinis audiverat, querere coepit. Eo itaque viso cum ad fugam se converteret ita, quod non videret eum amplius, mulier eucurrit ad judicem judaeorum petens, quod ipsum judacum tamquam furem suum caperet. Judex vero, quia ante adventum mulieris de furto ipso perceperat, judacum in fuga detinuerat et in vinculis iam habebat. Quo auditio mulier dicebat judici: Domine! perdidi tot marcas grossorum pragensium in tali marsupio, et tot solidos viennenses in secundo marsupio et peplum, et monilia et alia clenodia talia et talia. Quae cum judex in cista judaei quacerere inciperet, invenit aliquos grossos, et etiam viennenses in duobus marsupiis, et etiam invenit peplum et alias res sub debitiss signis, quae mulier rebus dixerat de eisdem Cum igitur judaeus, tam-

quam fur in fuga captus, per mulierem in causam traheretur, respondit, quod res in sua potestate inventae sibi essent obligatae, et quia ipsas furtim ablatas ignoraverit, eas pro pignoribus recepit; quod vellet juramento suo super eisdem pignoribus obtinere, sicut dicunt jura et privilegia judaeorum sub his verbis: Item si christianus impetraverit judaeum, quod pignus, quod judaeus habet, ei furtim vel per violentiam sit ablatum; judaeus juret super illo pignore, quod, cum recepit, furtim ablatum vel raptum ignoravit, hoc juramento suo implicante, quando sit ei pignus hujusmodi obligatum et infra. In contrarium vero mulier allegavit, quod non sit consuetum, quod denarii tamquam pignora pro aliis denariis judaeis obligentur; nec etiam marsupia pro pignoribus consueverunt obligari. Et insuper cum ipsa certa signa dicat de clenodiis in cista judaei inventis, utrum sibi ipse quamquam fur non debeat condemnari. Pendente itaque termino, tper juratos christianorum et judaeorum ad deliberandum super praemissis allegationibus posito, judaeus ipse promissis et tormentis de veritate dicenda monitus et inductus confessus est, quod dictas res subtraxerit, et quod quemdam christianum Mathiam nomine socium ejusdem furti habuerit, et quod eidem Mathiae de pecunia ejusdem furti cesserint sex marcae. Secundum quam confessionem dictus Mathias captus recognovit de praescriptis. Dictam vero confessionem judaei, quia tantum coram christianis juratis facta fuerat, alii judaei ex hoc, quod non simul judaei et christiani eam audiverant, nullius esse vigoris dicebant. Consilium vero plenum civitatis, quod regitur per vi- ginti quatuor, sententialiter adinvenit, quod non obstante judaeorum allegatione, quia christianus ex proditione judaei esset captus, et accusationem judaei veram esse recognoverit, judaeus ipse ex confessione propria coram solis christianis facta, poena patibuli mori deberet. Unde quamvis judaeus per christianos et judaeos sit convincendus, tamen in actu furti raptus per ipsum actum vel furtum convincitur ipso jure. Dictus denique judaeus, quia judex judaeorum a civitate declinaverat, coram tribunali christianorum ductus fuerat abjudicatus, et pilleus de scutella ligno quodam elevato superius scutellae more judaico imposito factus cum pice ardente erinibus et capiti judaei impressus cum eodem pilleo, ut a christianis suspensis discerneretur, patibulo, catenis et ferramentis cum collo, ventre et pedibus est affixus; dominus vero de Landstein, capitaneus Moraviae postea Brunnam veniens, juratis objecit, quod judaeum, qui fuisset servus camerae domini Marchionis, contra justitiam suspendissent. Ad

quod jurati responderunt, quia moti jure civitatis judaeum patibulo tradidissent. Scribitur enim in privilegio jurium civitatis sic: Quicumque in alio furto deprehensus fuerit, quod sexaginta denarios valet, suspendium patiatur et infra. Et quia nullus fur excipitur a poena suspendii in verbis praescriptis, ideo jurati plenum jus habent, omnem furem, et maxime cum furto captum vel de furto confessum, cum in dicto privilegio auctoritate regia confirmato hoc ipsis non sit prohibitum, suspendendi. In hoc enim nomine infinito, „*qui cum que*“ omnis fur includitur, et „*nullus*“ fur excipitur. In qua juratorum responsione ipse contentatus nullam de judaei suspensione fecit ulterius mentionem.

433. De *judaeis*, quantum ad *accusationem et defensionem*. (H. 103. A. 34. 2. B. 46<sup>b</sup>. 4. C. 26<sup>a</sup>. 2. D. 96<sup>b</sup>. 1.) Licet privilegium *judaeorum* dicat, quod *christianus* volens *judaeum* vincere cum *christianis*, debet etiam *judaeum* in *testimonium recipere*; tamen, si *judaeus* *christianum* cum *testibus christianis et judaeis* impetit, non oportet, quod ipse hic *christianus* similiter cum *christianis* et *judaeis* se defendat et expurget, sed sufficit, quod *defensionem juridicam* cum *testibus faciat christianis*; cum enim *accusatio* sit *voluntaria*, et *defensio* sit de *jure naturali*, *jus potius defensori* debet succurrere, quam *actori*. Sic sententiatum est in *Gostel*.

434. De *judaeis*, quantum ad *debita soluta testimonio juratorum contracta*. (H. 104. B. 47<sup>a</sup>. 2. D. 96<sup>b</sup>. 2.) *Jurati de Nause diez* scripserunt sic: *Judaeus impetivit christianum pro debitis, quae sibi concesserit coram jurato, et quaerit, si juratus de concessione testetur, utrum christianus eadem debita solvere sibi non teneatur*. *Christianus autem respondens concessiōnem affirmat, sed debita se asserit persolvisse, quod velit ostendere forma juris et infra*. Item scripserunt etiam sic: *Judaeus impetivit christianum pro debitis, quae coram jurato sibi concessit isto modo, quod sororio suo hujusmodi debita solvere deberet*. Ad quod *christianus respondit, quod dicta debita coram eodem jurato jam mortuo, dicto judaei sororio etiam defuncto persolverit, quod velit probare forma juris et infra*. Super quibus ambobus diffinitum fuit, quod *christianus debita soluta mettertius credibilium virorum in cruce jurando ostendere tenetur*. Ad quam tamen ostensionem *christianus non admitteretur, si tempore concessiōnis judaeus hanc cautelam interposuisset: volo, quod ista debita mihi non alibi, nisi coram jurato persolvantur*. Et hoc est intelligendum super prima *quaestione*. In secunda vero, ubi *juratus dicitur esse mortuus, locum non habet*.

**435. De judaeis, quantum ad formam jurandi.** (II. 104. A. 35. 5. B. 47<sup>a</sup>. 1. D. 97<sup>a</sup>. 1. K. 189<sup>b</sup>. 1.) In Radisch cum judaeus mulieri christianaे jurare deberet pro octo lapidibus lanae, alter judaens formam jurandi sibi praedixit istis verbis in vulgari: „Des swerst du umb di schuld, als dir die fraw schuld guit bei der Ee di dir got gabe auf dem perg sinai.“ Quaesitum est ergo, utrum valeat ista forma. Et responsum est, quod sic. Ut autem debitus modus circa ipsam servetur, recipiendus est pentateuchus Moysi, scilicet rodale judaeorum, et quaeratur in Exodo vel in Deuteronomio scriptura decem praeceptorum domini, et super illo praecepto: non perjurabis, nec assumes nomen dei tui in vanum; judaens jurans manu ponat, et sive repeat verba post illum, qui sibi formam proponit, sive proponens totam formam pro se loquatur, judeus subjungat solum Amin, forma valet. Debet tamen in ipsa forma res, de qua placitatur, affirmatio vel negatio, quae ad hoc exigitur, propriis verbis exprimi, et si judaeus istam formam recusans circa jus, quo privilegiatus est, se petierit conservare, hoc est sibi favorabili concedendum.

**436. De judaeis ratione vulnerum.** (II. 104. A. 34. 2. B. 46<sup>b</sup>. 5. C. 26<sup>a</sup>. 3. D. 97<sup>a</sup>. 2.) Ad requisitionem civium de Chrem si r sententiatum fuit, quod christianus accusatus per judaeum, quod ipsum vulneraverit, per testes idoneos christianos melius potest innocentiam suam ostendere, quam judaeus cum vincere possit.

**437. De judaeis, quantum ad convictionem in criminibus.** (II. 104. A. 34. 2. D. 97<sup>a</sup>. 3. K. 187<sup>a</sup>. 1.) In Radisch judaeus deprehensus in furto cum coram praetorio accusaretur de furto, alter judaeus astans ibidem prolocutori dixit, quia major fur esset, quam judaeus, de quo furti querimoniam proponebat. Ad cuius prolocutoris querelam modo praemisso expositam judaeus respondit negando petens, se circa privilegia judaeorum conservari. Advocatus vero christianus judaeum vult vincere testimonio juratorum, qui praetorio asserderent. Quaeritur ergo et infra. Et respondeatur, si coram judicio, ubi judaeus dicitur advocatum christianum fuerem appellasse, plures alii judaei fuerunt, sicut est verisimile, tunc judaeus cum christianis et judaeis est vincendus. Si autem praeter illum solum alii non affuerunt judaei, tunc super ferenda sententia diffinitiva matura deliberatio est habenda. Est enim forte contrarium juri, ut jurati, qui tribunali praesidentes, ubi major est vis eorum officii, sententias absolvitorias et contempnatorias

in astantes judicio proferunt, non possint testari de verbis et factis, quae per quemcumque hominem cujuscunque professionis existentem, ibidem fierent. Sic enim, si judaeus ipsum judicem vel juratum in actu judiciario vita privaret, impune transiret. Licet etiam in generali privilegio judacorum scribatur, quod judaeus per christianum et judaeum vinei debeat, tamen ex hoc forte princeps non concessit judaeis, quod in specie non esset verisimiliter concessurus. Et praeципue cum hoc in dicto privilegio non sit expressum nominatim.

438. De judaeis, quantum ad pignora et jura menta. (II. 105. A. 34. 3. B. 46<sup>b</sup>. 6. C. 26<sup>a</sup>. 4. D. 97<sup>b</sup>. 1. K. 189. 1.) Sententiatum est judaeis civitatis, quod judacus tantum super pignora rei mobilis, quae in sua tenet clausura, per juramentum potest suum debitum obtinere. Secus autem est de hereditatibus et rebus immobilibus, quae sibi inpignorata sunt ut asserit, debet hoc per testes vel literas demonstrare.

439. De usuris, quando cedant sortem et quando non, et utrum judacus sorte et usura receptis pignora sine contradictione restituere teneatur ipso jure vel non. (H. 105. D. 97<sup>b</sup>. 2. K. 187<sup>b</sup>. 1.) Jurati de Radisch de usuris et pignoribus judaeis obligatis duos scripserunt casus, quorum primus est iste: Quidam de nostris concivibus judaeum accedens petivit sibi concedi quinque fertones grossorum, quos cum judaeus sibi mutuasset, christianus usque in tertium annum solutionem protrahens sortem principalem, cui quinque fertones alios pro usura superaddit, judaeo numeravit. Modo judaeus sorte et usura receptis petivit pro se sententialiter dictari, utrum in dicta usura jure debeat contentari, cum annus et secundus et insuper plus temporis pertransiverit, a die concessionis capitalis pecuniae supradictae. Christianus autem in contrarium allegat, cum nullum pactum inter ipsum et judaeum primo tempore concessionis de usura solvenda sit interpositum, cum etiam postea debito pendente nonnquam per judaeum sit monitus, nec aliqua ratio inter ipsos sit habita, utrum usura, quae accrevit, summa excedere debeat principalem. Secundus casus est talis: Quidam de nostris cuidam judaeo duo obligavit pignora, quae cum postea redimere vellet, nominatam cum ipso de usura fecit rationem, quam una cum sorte judaeo expediens, cum judaeus pecuniam in sinum suum recepisset et christianus pignora sibi restitui peteret, unum pignus eidem obtulit dicens, quod secundum tempore, quo auctoritate domini Marchionis captus fuerit, perdidisset. Quaerit ergo christianus, cum judaeus totam

sortem et usuram receperit, et nec ante, nec post, nec illo tempore, quo pro usura secum pactaverit de pignoris amissionem fecerit, utrum pignus suum perdere debeat ipso jure. Super quorum primo sententiatum fuit, ex quo pacta per conventionem legem accipiunt, et primo inter christianum et judaeum nulla nominata facta est mentio ratione enjus usura tunc accessa aliam super se recipisset usuram, sufficit, quod tantum acreverit in usura, quantum fuit de debito principali. Et est ista sententia non nova, sed ab antiquo usitata. Et quicquid judaeis in usurarum voragine per istum modum deficit, hoc ex eo, quod in pactando debitores non monendo nec cum eis rationem habendo, desides sunt et remissi, propriae debent negligentiae imputare. Et nota, quod redempto pignore a judaeo pro sorte, si usuras statim debitor non solverit, ipsas infra mensem sine alia usura judaeus recipere tenetur. Et similiter facta ratione inter christianum et judaeum, si judaeus infra mensem pagatus non fuerit, super primam usuram accrescit alia usura. Et hoc probatur ex privilegio judaeorum, ubi scribitur sic: Item si a judaeo christianus pignus suum absolverit ita, quod usuras non persolverit, easdem usuras si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usurae. Decipiunt ergo judaei christianos in hoc, quod redemitis, pignoribus vel habitis cum ipsis rationibus pro debitis, statim per dies XIV super primas usuras alias computant usuras. Super secundo vero diffinitum fuit pro christiano: judaeus enim amissionem pignoris publicare debuit statim, ut de ea certus fuit, vel saltem illo tempore, quando cum christiano pro usura habuit rationem. Valorem autem pignoris amissi, christianus, testes si habere non potest, de hoc suo juramento confirmabit. Et trahitur ista sententia ex privilegiis judaeorum ubi scribitur sic: Si autem judaeus per casum incendii aut per furtum aut per vim res suas cum obligatis sibi pignoribus amiserit et hoc constiterit, et christianus, qui haec obligavit, nihilominus eum impetiverit, juramento proprio judaeus se absolvet. Ecce per hoc, quod dicitur *constiterit*, patet, quod amissio pignoris debet publicari, et non sub silentio teneri. Unde nota, quae in talibus magnam vim habet illa publicatio quae vulgariter dicitur „urkund,“ quia suspicionem tollit.

440. Utrum solutio in parte facta judaeis sit in sorte vel usura defalcanda. (H. 105. D. 98<sup>b</sup>. 1. K. 188<sup>a</sup>. 1.) Si chrisianus in debitis partem judaeo dederit et postea inter eos fierit quaestio, christiano dicente, quod in sorte partem illam solverit, judaeo vero asserente, quod in usuris eam recipit, tunc sententiandum

est pro christiano; cum enim sors de jure debeatur, usura vero sit accessoria, et quodam modo minus debite petatur, potius est favendum sorti quam usurae, quia etiam jure divino prohibitae sunt usurae.

441. De judaeis ad invicem contendentibus. (II. 106. A. 34. 4. B. 46<sup>b</sup>. 7. C. 26<sup>a</sup>. 5.D. 98<sup>b</sup>. 2. K. 189<sup>a</sup>. 2.) In quaestione, quam judaeus movet judaeo, soli jurati judaeorum sententias dicere possunt, nisi fortassis nolint, vel partibus habentur suspecti; tunc enim christiani jurati cum judacis ad pronuntiandum sententias assumantur. Sic sententialum est in Radisch.

### **Capitulum de juramentis.**

442. De juramentis, et primo de forma jurand in genere. (H. 106. A. 35. 1. B. 49<sup>a</sup>. 1.-2. C. 26<sup>a</sup>. 6-7. D. 98<sup>b</sup>. 3. K. 190<sup>a</sup>. 1.) Rustici de Nenawicz sunt informati, quod ille, qui juramentum facere debet, si voluerit, potest per se sine prolocutore jurare, et si formam a scabinis approbatam in juramento non servat, male jurat, et in causa cadit. Si autem prolocutorem habuerit, tum prolocutor ad hoc recipiatur, quod homo in causa juvetur. Si illum in forma juramenti per scabinos approbata ordinate et debite secutus non fuerit, in causa cadit. Si autem prolocutor in forma erraverit, et jurans ipsum eodem modo in verbis secutus fuerit, propter errorem prolocutoris in causa non cadit, sed holung perdit. Sed si jurare debens tantae providentiae fuerit, quod prolocutore errante ipse formam a juratis datam et approbatam debite et ordinate servat, bene jurat, et obtinet causam, cum enim prolocutor in bene vel male jurando nihil perdit, necessarium est jurare debenti, diligenter formam juramenti habere in memoria, ne causam amittat.

443. Quomodo forma juramenti corruptitur per nomen proprium. (H. 106. A. 35. 1. B. 49<sup>a</sup>. 3. C. 26<sup>a</sup>. 9. D. 98<sup>b</sup>. 4. K. 190<sup>b</sup>. 1.) Ad loca diversa sententialum est. Item si jurans in forma juramenti nominat Chunzlinum in Kinzlinum, quod est nomen diminutum, cum ille, cui juratur, similiter se nominavit, bene jurat, imo et si nominat Conradum, quamvis ille, cui juratur, nominaverit se nomine diminutivo, adhuc bene jurat. Non enim baptizatur homo sub nomine diminutivo.

Item si jurans dixerit: De quo me iste inculpat, de jurando super ipsum et addendo quocumque christiano nomine vo-

entus sit, licet nullum nomen proprium exprimat, bene jurat; imo etiam, si aliud nomen exprimat, quam sub quo, cui jurantur se nominaverit, dummodo addat, vel quocumque christiano nomine vocetur, adhuc bene jurat. Si autem absolute jurat nominans Petrum, cum ille, cui juratur, nominavit se Paulum, male jurat et in causa succumbit.

444. De forma jurandi, quantum ad emendationem et corruptionem. (H. 106. A. 35. 2. B. 49<sup>a</sup>. 4. C. 26<sup>b</sup>. 10. D. 99<sup>a</sup>. 1. K. 190<sup>b</sup>. 2.) Si advocatus jurare debentem informans sibi praedixit in juramento vulgariter dicendo: „Und elle czreueze,“ per secundam vocalem **e**, et ille ipsum sequens dixerit: Vnd alle crayez, per primam vocalem **a**, nisi jnrati formam audientes nominatim sub cause perditione ei prohibeant, ne **a** proferat, si per **a** dicat: alle crayez, bene jurat; licet enim usitatum sit dicere: elle crey e z tamen per **a** promuntiando melius videtur esse praedictum, quod patet in aliis dictionibus, verbi gratia: alle tag, alle nacht; all weg, all steg, et in pluribus aliis, quae magis proferuntur per **a** quam per **e**. Und etiam advocati monendi sunt, quod de cetero dicant per **a** et non per **e**. Tamen si advocatus dixit **e** et jurans similiter, bene jurat, quia advocatione sequutus est.

Advocato autem proferente **a** si jurans **e** protulit, videtur formam corumpisse. Sic sententiatum est in consilio civitatis.

445. Forma jurandi pro homicidio. (H. 106. A. 35. 3. B. 49<sup>a</sup>. 5. C. 26<sup>b</sup>. 2. D. 99<sup>a</sup>. 2. K. 190<sup>b</sup>. 2.) Quamvis in querimonia homicidii nominentur uxor, pueri, fratres et omnes amici occisi, tamen sufficit, quod testes rei tantum dicant in juramento, quod de homicidio, de quo Henricus accusatur per Conradum, ipse sit innocens, et similiter reus tantum dicat: De homicidio Conradi mihi per tales vel tales actorem, quem nominabit, impositi, innocens sum, et non est necesse, quod de uxore, pueris et amicis specialem fiat mentionem.

446. De forma jurandi pro spolio dicto „rerawp,“ mortificatione, pacis violatione et excessibus criminalibus. (H. 106. D. 99<sup>a</sup>. 2.) In villa dicta Barffus Henricus egit in Conradum prima querimonia de mortificatione, et secunda de spolio rerawp, videlicet, quod occisum depraeclatus esset, et tertia de violatione pacis indictae. Advocatus autem Conradi cautus et circumspectus cum pro se et Conrado justitioller diffiniri obtinuisse, quod praedictis tribus excessibus, quorum quilibet poenam capit is tangebat, tantum una querimonia deberet responderi, quaesitum est pro parte Henrici, utrum non saltem tribus

**juramentis**, primo scilicet cum testibus et secundo ac tertio sola manu ita, quod, si primo desiceret capitaliter, secundo vero vel tertio pecunialiter pro excessibus tam gravibus puniretur, suam deberet innocentiam comprobare. Super quo inventum fuit, cum querimonia et responsio naturam quodammodo relativorum, quorum unum tantum refertur, ad unum includant, cum etiam jura menta in forma et numero responsionem sequantur, et quod potissimum est, cum homo, corpus et res simul defendere possit; corpus enim et vita cum sint principalia, si defensa fuerint per justitiam, et obtenta res et bona tamquam accessoria evasisse, merito judicantur, quod Conradus tantum uno juramento sub hac forma: De mortificatione spolio dicto „rera w p“ et de violatione pacis, de quibus me Henricus inculpat, sum innocens, et infra, expurgare se deberet: assumtis tamen testibus, inter quos unus esset juratus, vel pro eo duo viri fide digni residentiam habentes propriam et alii quinque; qui testes jurare tenerentur, quod juramentum Conradi mundum esset, vel salvum, vel justum et verum. Et nota, si actor querulando longam aren gam verborum faceret, quae difficulter esset resumptibilis, non oportet, reum jurando totam eandem seriem explicare, imo sufficit, quod in genere dicat de omnibus spoliis et aliis consimilibus excessibus, mihi impositis et objectis, sum innocens etc. Nota etiam si advocatus rei ad tres querimonias capitales actoris vel, ad plures tribus responsionibus vel pluribus distincte respondeat; tunc oportet, quod tribus vel pluribus vicibus reus se expurgat; de omnibus tamen aliis praeter primam, quae testes exigit, sola manu propria se absolvet et cadens vel deficiens in primo capite, in omnibus autem sequentibus solum pecunia punietur.

447. **D e juramentis in genere.** (H. 107. A. 35. 4. B. 49<sup>b</sup>. 2. C. 27<sup>a</sup>. 1. D. 99<sup>b</sup>. 1. K. 190<sup>b</sup>. 3.) Sententiatum est in maniloquio: Si homo in providendis sibi necessariis existens in termino ad jurandum praesicho non comparet, non propter hoc statim in causa cadit, imo ex ostensione impedimenti legitimi potest se tueri; non est enim rationabile, quod homo a labore victus sui quiescat, terminum judicij expectando.

448. **D e juramento calumniae specialiter.** (H. 107<sup>b</sup>. A. 35. 5. B. 49<sup>b</sup>. 3. C. 27<sup>a</sup>. 2. D. 99<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est civibus in Radisch, quo nec in causa pecuniali, quae est de bonis mobilibus, nec in causa reali, quae est de bonis immobilibus, sed tantum in causa personali et criminali, sicut est homicidium, invasio domus, vel reatus consimilis, actor de jure cogi debet ad praestandum calumniae juramentum.

**449.** De juramento calumniae, quantum ad mulierem. (H. 107<sup>b</sup>. A. 35. 6. B. 49<sup>b</sup>. 4. C. 27<sup>a</sup>. 3. D. 100<sup>a</sup>. 1. K. 191<sup>a</sup>. 1.) In judicio civitatis sententiatum est, quod, sicut vir, sic et mulier juramentum calumniae praestare debens, si jurando cedit, in causa succumbit.

**450.** Impedimentum naturale excusat casum juramenti ipso jure. (H. 107<sup>a</sup>. A. 35. 6. B. 50<sup>a</sup>. 1. C. 27<sup>a</sup>. 4. D. 100<sup>a</sup>. 1. K. 191<sup>a</sup>. 1.) Dum Heinricus Conradum pro decem marcis convenisset judicio, sententiatum fuit in judicio: Si homo debens jurare balbutiens, titubans, blesus vel naturaliter impeditae linquae, ita, quod expresse loqui non possit, fuerit, et prolocutor ejus, antequam jurare incipiat, protestationem de hoc facial, quamvis in verborum expressione titubaverit vel deviaverit: tamen propter hoc in jurando non judicatur cecidisse; defectus enim naturalis vel potentia loquendi recte casum hujusmodi excusat et supportat.

**451.** Utrum jurare sinistra manu valeat, an non. (H. 107. A. 35. 7. B. 50<sup>a</sup>. 2. C. 27<sup>b</sup>. 1-2. D. 100<sup>a</sup>. 3. K. 191<sup>a</sup>. 2.) Jurati de Prazcaw proposuerunt, quod quidam apud eos pro vulneribus sinistra manu juravit et in juramento non erravit, quae sierunt ergo, utrum ceciderit in causa. Super quo diffinitum fuit, quod ex rigore juris utraque manus valet et est sufficiens ad jurandum, sicut ad quemlibet alium actum legitimum exercendum; jura enim originalia non distingunt inter manum dextram et sinistram, sed simpliciter dicunt, quod jurans debet se expurgare duobus digitis in cruce. Unde etiam, si aliquis utraque manu truncatus jurare debet, causam suam defendere vel obtinere posset jurando solum verbis, dummodo formam debitam non mutaret, non enim manus mutatio, sed formae juramenti variatio juramentum salvat vel corruptit, quia tamen ex approbata et communi consuetudine juramentum dextra manu fieri consuevit; si jurans ex protervia et pertinacia voluntarie manum sinistram levaret, seu cruci supponeret pro dextra, causam perdet. Si autem ex oblivione et dolose hoc contingit, jurans in causa non cadit, nihilominus ut consuetudo servetur; si causa est criminalis ita, quod in juramentis holung non habetur, qui jurat sinistra manu, judicandus est, tantum holung perdidisse, et debet postea dextra manu jurare; et tunc secundum formam juramenti, quam servat vel non servat, causam obtinet vel amittit.

**452.** De juramentis hominis nobilis et clericorum ordinati. (H. 108. A. 35. 8. B. 50<sup>a</sup>. 3. C. 27<sup>b</sup>. 3. D.

100<sup>a</sup>. 4. K. 191<sup>b</sup>. 3.) Homo nobilis, et militaris, et clericus ordinatus, quamvis respondeant pro debitibus in judicio civili, tamen, si jurare debent et petunt, ad judices proprios puta nobiles ad provincialem, et ordinatus ad canonicum, quod coram eis jurent, more solito remittantur.

453. De juramento facto cum uno digito solum. (H. 108. A. 35. 10 B. 50<sup>b</sup>. 2. C. 27<sup>b</sup>. 4. D. 100<sup>b</sup>. 2. K. 190<sup>b</sup>. 1.) In Huleins sententiatum est: Qui uno digito elevato, vel cruci supposito jurat, non obtinet intentum, quia semper in iuribus originalibus civitatum scribitur, quod juramenta fierent cum duobus digitis vel cum sola manu, et hoc est tractum de scriptura sacra, ubi dicitur Quod in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.

454. Si jurans ex consuetudine loquendi formam mutat, causam non perdit, protestatione saltem praemissa. (H. 108. A. 35. 11. B. 50<sup>a</sup>. 3. C. 27<sup>b</sup>. 5. D. 100<sup>b</sup>. 3. K. 191<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est in Sahars: Si (Renensis) Wiennensis, Saxo vel Swevus vel alienigena alium habens modum loquendi, quam hic loqui consuetum est, jurare debuerit, et cum advocatus formam sibi praedicit et considerat, quod verba, sicut in suis partibus consuevit, profert, nec faciliter alio modo proferre potest, protestationem antequam jurans crucem tangat, de hoc proponat et sic impedimentum consuetudinis, quae quodammodo similis est naturae, variationem formae juramenti excusat.

455. Si jurans scit diversa ideomata, sub quo jurare debeat. (H. 108. A. 35. 11. B. 50<sup>a</sup>. 4. C. 27<sup>b</sup>. 6. D. 100<sup>b</sup>. 4. K. 191<sup>b</sup>. 2.) In judicio civitatis sententiatum est: Item si jurare debens diversa scit ideomata, jurabit sub naturali, quod a suis progenitoribus est instructus, vel si malit, sub illo, quod plus usitavit et quod expeditius loqui potest; dum tamen ex protestatione praemissa, antequam levet manum, vel crucem tangat, disinitivam de hoc sententiam petiverit pro se ferri.

456. In quo juramento holunge habeatur. (H. 108. A. 35. 9. B. 50<sup>b</sup>. 7. C. 27<sup>b</sup>. 5. D. 100<sup>b</sup>. 5. K. 191<sup>b</sup>. 3.) Antiquum jus civitatis habet, si homo impetratur simplici querimonia pro homicidio, ante multos annos perpatrato, vel in alio judicio commisso, vel cuius funus et occisi vulnera jurati non persperixerint: ille simplici juramento se expurgabit, et holung habebit et similiter intelligatur de heymsuchung et excessu aequali.

457. De juramento, facto cum tota manu. (H. 108. A. 35. 12. B. 50<sup>b</sup>. 2. C. 27<sup>b</sup>. 8. D. 100<sup>b</sup>. 5. K.

**191<sup>b</sup>.** 4.) Qui cum quinque digitis, hoc est cum tota manu, coram judicio levando vel in cruce non ex protertia et ex presumtione, sed ex obliuione vel ex alia negligentia juramentum fecerit, quum major numerus minorem includat, cum duobus digitis juravit, nec est censendus, male jurasse. Si tamen forma juramenti non servavit, unde adversario excipiente holunge perdidit, et de novo, sicut consuetum est fieri, jurabit. Sic sententiatum est in Chremisir.

**458.** Informatio juramentorum debet fieri adversario audiente. (H. 108<sup>b</sup>. A. 35. 13. B. 50<sup>b</sup>. 3. C. 27<sup>a</sup>. 1. D. 101<sup>a</sup>. 1. K. 192<sup>a</sup>. 1.) Advocatus jurantis debet eum de forma jurandi coram juratis audiente adversario informare, et debet super in eadem forma causam, pro qua juratur, aliqualiter tangere; potest etiam ille, cui juratur, dictam informationem, si defectuosa fuerit, per se vel per advocationem suum rationabiliter emendare.

**459.** De juramentis non servandis. (H. 108<sup>b</sup>. A. 35. 14. B. 50<sup>b</sup>. 4. C. 28<sup>a</sup>. 1. D. 101<sup>a</sup>. 2. K. 192<sup>a</sup>. 2.) Licit non sit tutum, aliquem venire contra juramentum suum, nec etiam judices et jurati, ne actores perjuri videantur, alicui praebere debeant materiam veniendi contra proprium juramentum; si aliquis judicialiter imputitus fuerit, quod non servat juramentum vergens in interitum salutis aeternae, super quaestione hujusmodi est actori justitia simpliciter deneganda.

**460.** De juramentis, quae fiunt pro incidentibus et non super negotio principali. (H. 108<sup>b</sup>. A. 35. 15. B. 50<sup>b</sup>. 5. C. 28<sup>a</sup>. 2. D. 107<sup>a</sup>. 3. K. 192<sup>a</sup>. 3.) Qui pro accessoriis et incidentibus, a quibus tamen facti principalis confirmatio non dependet, jurare debens in juramento cespitaverit, non est propter hoc judicandus in causa principali corruisse totaliter.

**461.** De juramento in cruce facto. (H. 108<sup>b</sup>. A. 35. 17. B. 50<sup>b</sup>. 5. C. 28<sup>a</sup>. 3. D. 101<sup>a</sup>. 4. K. 192<sup>a</sup>. 4.) Si actor petit, reus jurare debet in cruce non qualicumque, sed in illa duntaxat, in qua signum passionis domini sit expressum; quia cum jurans dicit in juramento: Sic me juvet Deus et ista crux etc. Ibi crux passionem domini repraesentat, et non crucem ligneam vel ferream, quae nulli praestat subsidium vel juvamen. De juramentis vero mulierum, quaere infra sub titulis de mulieribus.

**462.** Emenda deponentis juranti digitos de cruce. (H. 109<sup>a</sup>. A. 35. 16. B. 50<sup>b</sup>. 6. C. 28<sup>a</sup>. 4. D. 101<sup>a</sup>. 3. K. 192<sup>a</sup>. 4.) In causis civilibus vel criminalibus si jurare debens per definitivam sententiam, quod juret et per judicis

licentiam, quia digitos cruci jam superpositos habet, obtinuerit juramentum, suum processum habebit, nec exceptio nec appellatio contra talem jurantem et juramentum per ipsum praestandum, quae prius neglecta sunt, poterunt interponi. Imo quicumque postea digitos sibi subtrahere vel de cruce depolare praesumserit, quod vulgariter „ab streichen“ dicitur, quinquelibras pro emenda solvet, juramento nihilominus modo debito procedente.

In arrestationibus equorum tantum cum protestatione praemissa testium vel juramentorum admittitur repulsio, eo modo, sicut superius in sententiis de arrestationibus continetur.

**463. De juratis agentibus et simul testantibus.** (H. 109<sup>a</sup>. D. 101<sup>b</sup>.) De Gayaw judex et scabini scripserunt sic: Undecim praeteriti anni scabini consurgentes in duodecimum una querimonia sibi impinxerunt pro culpa, quod ex ejus consilio apud dominum suum in quinque marcis fuerint damnificati, ipse vero econtra respondit, quod in omnibus querimoniis, tam de consilio quam de aliis sit immunis et innocens, et suam velit, prout scabini decreverint, innocentiam demonstrare: et dum nos moderni scabini intelleximus, quod hacc querela honorem reipublicae tangeret, adinvenimus, quod ipse potius honorem et bona debit beat defendere, quam actores eum debeant abjudicare. Quam sententiam antiqui scabini arguentes, eam a nobis ad vestram deduci audientiam postularunt. Quibus rescriptum fuit sic, quod sententia praedicta, per modernos juratos lata, processum habere debet, tamquam bona, quia justitiae est conformis: licet enim scabini pro causa actoris vel rei testari possint, in causa tamen propria pro se ipsis testimonium ferre non possunt, quia aliquem simul actorem et testem esse non consonat acquitati.

**464. Jurati agentes vel respondentes jurabunt in cruce.** (H. 109. A. 36. 1. B. 47<sup>b</sup>. 2. C. 28<sup>a</sup>. 5. D. 101<sup>b</sup>. 2. K. 183<sup>a</sup>. 2.) Item licet juratus pro alio testimonium ferens crucem jurando non tangat, tamen vicem actoris vel rei gerens in cruce jurabit, sicut alter communis homo.

**465. Ad idem, quod quandoque permittuntur jurare in maniloquio.** (H. 109. A. 36. B. 47<sup>b</sup>. C. 28<sup>a</sup>. 6. D. 101<sup>b</sup>. 3.) Quamvis de consuetudine in favorem et reverentiam juratorum juratus, vicem actoris vel rei tenens in maniloquio seu consilio, judice et adversa parte praesentibus, jurare permittatur, tamen si causa criminalis est et gravis, et adversarius petit, jurabit in tribunal coram populo, sicut alter communis homo.

466. Quod jurato testimonium pro vulneribus est recipiendum, licet taliter testentur, quam producantur. (II. 109. D. 101<sup>b</sup>. 3.) Jurati de Pisenez scripserunt sic: Quidam de nostris conquestus est, quod inquilinus quidam in taberna uno vulnere quatuor sibi digitos amputaverit, et quod hospes domus coadjutor ipsius in hoc fuerit, et si consententur, veritatem dicunt, si vero negant, ambos vult vincere per juratum, qui intersuit et vidit. Dictus itaque juratus ad virtutem juramenti sui super veritate dicenda interrogatus, postquam terminum deliberandi sex septimanas secundum consuetudinem scabinorum impetrasset, depositus, quod inquilinus de vulnera per actorem sibi imposito innocens esset, et quod hospes dictum vulnus evaginato suo gladio fecisset. Unde nobis discernere delis, quis ipsorum, et qualiter patienti et judici satisfacere teneatur. Quibus responsum fuit sic in hoc casu: secundum testimonium jurati est procedendum, actoris querimonia non obstante. Unde hospes, quem juratus dixit esse reum de vulnera, debet satisfacere videlicet secundum quamlibet mutilationem seu amputationem digiti, judici duo talenta et passo quinque talenta persolvendo.

467. De juratorum excessibus puniendis. (II. 109. A. 36. 2. B. 48<sup>a</sup>. 2. C. 28<sup>b</sup>. 1. D. 102. 1. K. 184<sup>b</sup>. 1.) Ad petitionem juratorum de Hainrichs sententialum est, quod si aliquis scabinorum excesserit in quacunque causa, judicabitur sicut alter civis, et non gravius punietur, cum enim scriptum sit: Patere legem, quam ipse tuleris; concordat iustitiae, scabinos tamquam legislatores eisdem, quibus judicant alios, legibus judicare.

468. Ad idem. (II. 109. D. 102.) Sententialum est iuratis in Chremsir: Quamvis juratus ex ira, raptus mentis, vehementia, vel se defendens vim vi repellendo, vel alio casu honesto tamen in poenam incidat, vel emendam, quam luat, solvat, propter hoc tamen non est ab officio scabinatus removeundus ut infamis; cum enim melius sit nomen bonum etc. non debet homo faciliter, nisi excessus enormis, qui honori derogaret, hoc exigeret, ab honestatis statu destitui, vel deponi. Ad idem require supra de emendis.

469. Quod juratus moriens potest in ipsum protestata ad alium juratum deducere. (II. 110. A. 36. 3. B. 48<sup>a</sup>. 3. C. 28<sup>b</sup>. 2. D. 102. 3. K. 183<sup>b</sup>. 1.) Sententialum est in judicio civitatis, quod juratus in extremis constitutus ea, quae tempore officii sui de debitibus vel causis aliis

in ipsum protestata fuerunt, ad alium de conjuratis suis causa memoriae ac testimonii pro ipso ferendi potest deducere pleno jure. Si autem aliquis non existens juratus a jurato audit facta in ipsum protestata, idemque juratus decebat et praedictus postea per tempus in juratum constituantur, talis de praescriptis, quae audivit, loco jurati praemortui testari non potest; obstant enim duo: Primum est quod iste, qui actu testatur, per juratum, qui decessit, super audiendis, de quibus testatur, invitatus non fuerit et specialiter rogatus; secundum est: quod licet iste testans pro nunc sit juratus, tamen illo tempore, cum juratum audivit, juratus non fuit; quare illa, quae testatur, efficaciam, quam verba jurati faciunt, nullatenus sortientur.

470. Quod testimonium juratorum est efficacius, quam allegatio defensionis ratione vulnerum. (H. 110. D. 102. 12.) Cives de Radisch scripsierunt sic: Actor conquerendo de reo, quod ipsum vulneraverit, obligavit se ad verificandum suam querimoniam testimonio jurati. Reus vero respondendo confessus est, quod hoc fecit, vim vi repellendo i. e. notwer, obligans se ad hoc probandum testimonio tot proborum virorum, sicut postulat forma juris. Quaeritur ergo, cuius partis testimonium sit alteri preferendum, et responderetur, quod actoris. Unde in hoc easu jurati testimonium est audiendum, et secundum ipsum partibus de jnstitia providendum.

471. De juratorum testimonio, quantum ad tempus et alia. (H. 110<sup>b</sup>. A. 36. B. 48<sup>a</sup>. C. 28<sup>b</sup>. 4. D. 102<sup>b</sup>. 2. K. 183<sup>b</sup>. 2). De Chremsir scriptum est sic: Actor conquestus est de reo, quod ante XVI annos debitum quoddam coram uno de juratis illius temporis et nusquam alibi sibi solvere promiserit, quod facere distulerit, usque modo. Reus vero debitum negans, quaesivit, cum in tot annis numquam quaestionem sibi moveret, utrum testimonium jurati post tantam moram sit audiendum, et tamquam efficax recipiendum; super quo casu diffinitum fuit, quod obstante mora XVI annorum, ultra, quam humana memoria infallibiliter extendere se potest, si juratus testabitur, quod debitum nondum est solutum, et ex promisso rei tantum in sui praesentia solvi debuit, reus ad ejus solutionem obligatur.

472. Utrum jurati possint testari extra judicium proprium per litteras. (H. 110<sup>b</sup>. A. 36. 5. B. 48<sup>b</sup>. 1. C. 28<sup>b</sup>. 5. D. 102<sup>b</sup>. 3. K. 184<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est in pleno consilio per viginti quatuor juratos, quod licet jurati extra metas judicij, in quo juraverunt, vigorem testandi vel

**excessus accusandi non habeant, tamen pro causis coram eis forma judicii vel amicabiliter, vel per sententias diffinitivas expeditas, pro causis legitimis absentiae, quae vulgariter „e h a f f n o t“ dicuntur, pro debitis justitialiter obtentis, pro proscriptis et quibuslibet aliis causis criminalibus, ad quemcumque locum literas eorum patentes sub sigillis autenticis scripserint, illis fides est adhibenda et secundum ipsarum tenorem judicium et justitia facienda.**

**473. De juratorum testimonio, quantum ad numerum.** (H. 110<sup>b</sup>. A. 36. 5. B. 48<sup>b</sup>. 2. C. 28<sup>b</sup>. 6. D. 102<sup>b</sup>. 4.) Sententiatum est ibidem: Quamvis testimonium unius jurati sit efficax, tamen, si aliquis coram judicio dicit, se velle probare causam suam cum juratis, opportunet, ad minus, quod duos habeat; pluralis enim locutio duorum numero est contenta. Si autem dicit, quod per omnes juratos probare vellet, per sex, vel per octo, oportet, quod per omnes, qui ad idem judicium pertinent, vel per tot, sicut in numero expressit, causam suam probare, alioquin in causa succumbit.

**474. Utrum testimonium jurati accusati ante purgationem sit accipiendum.** (H. 111<sup>a</sup>. A. 33. 3. B. 46<sup>b</sup>. 1. D. 103<sup>a</sup>. 2.) In Gostel actor criminaliter et divisim egit in duos reos, quorum unus non juratus, alter autem juratus illo fuit tempore, et cum non juratus reus innocentiam suam praetenderet, et illam per juratum, qui una cum eo per actorem accusabatur, ostendere niteretur, quaesitum est, utrum ejus testimonium sit admittendum. Super quo responsum fuit, quod jurati rei pro seipso prius est responsio audienda, et si de objectis se purgaverit forma juris per testes vel alio modo, sicut actoris querimonia postulabit, tunc tandem pro secundo reo non jurato testimonium ferre potest; secus autem est, si seipsum non mundaverit. Similiter secus esset, si actor indivisim, dummodo sine dolo malo hoc fecisset, in ambos reos una simplici querimonia egisset.

**475. De juratis et eorum auctoritate et ipsorum statutis et sententiis.** (H. 111<sup>a</sup>. A. 36. 6. B. 48<sup>b</sup>. 3. C. 29<sup>b</sup>. 1. D. 103<sup>a</sup>. 2. K. 184<sup>b</sup>. 2.) Si pars juratorum vel consulum aliis absentibus vocatis tamen et venire nolentibus, vel ex causis potentibus quidquid statuerit, ordinaverit, vel fecerit, vel lites decidendo sententiaverit de absentibus, non contradicetur, quia referitur ad universos, quod publice sit per maiorem partem, sicut exempli gratia: Si populus vocetur per tubam vel campanam, vel voce praeconia, licet non omnes veniant,

videntur tamen omnes facere, quod faciunt, qui convenerunt; et si tantum duae partes venirent, major pars illarum duarum partium consentiret, valeret etiam; ratio est, quia non omnes facile possunt consentire, idem est, si faciat major pars eorum, qui praesunt universitati, et sunt deputati loco totius civitatis; non tamen specialiter, quod in ferendis sententiis et in expediendis causis judiciariis, si consules praesentes sine absentibus aliquid determinant, in eo cauti sint, quod a via juris non recedant, quia lex dicit, quod imperilia culpae adnumeratur. Et ponitur exemplum in medico et judece et quolibet artifice.

Item obscura si sunt jura possidentis et potentis, tunc sententiandum est pro possidente.

Item si habitatores loci alicujus privilegiati sunt, quod per se ipsos principe non interrogato judicem et juratos eligunt et statuunt tempore debito, tunc non est opus, quod XI jurati pro destituzione duodecimi si hoc demeruit, principem requirant. Secus autem est, si princeps sibi ipsi auctoritatem hujusmodi reservavit; tunc enim, sicut electio, sic et destitutio ad eum pertinet, cum accessorium sequi debeat principale. Pro ista materia quaere supra sub titulis de emendis.

**476. Excessus verbalis coram juratis factus qualiter sit emendandus. (H. 111<sup>b</sup>.)**

Jurati ad consuetudines et aliarum civitatum jura localia respicientes statuerunt: Si pro excessu verbali saltem coram eis facto, emenda vel in juribus originalibus, vel in sententiis suprascriptis non inveniantur, excedenti trium optio detur: scilicet quod vel anno et die extra civitatem et ejus limites maneat, vel novem marcas grossorum pragensium in civitatis emendationem convertendas det, vel novem diebus in cippo, turri, vel alio loco clauso, secundum quod jurati qualitate, personae considerata decreverint, more captivi continetur; die decimo vel anno cum die finitis, si hoc eligere maluerit, juratis de correctionis disciplina cum amicis suis et aliis probis viris actiones gratiarum redditurus debitas. Et cuicumque praescripta data fuerit optio, in judicio vel consilio civilis eodem actu de matura deliberatione praehabita ex praefatis tribus unum eligat, nequaquam ad hoc longiori sibi termino deputato.

**477. De jure civili per novicios obtento, et de prohibitione maiorum unionum, quas mechanici in czechis suis componunt. (D. 103<sup>b</sup>. 2.) Qui de novo jus obtinet civitatis, postquam facit, quae jurati sibi dixerint facienda**

non debet compelli per suos coartifices, quod ad eorum czechum et unionem quicquam solvat, immo libere sicut alter civis debet tractare res suas, sicut habetur in privilegio regis Wenceslai in penultimo: Statuimus insuper et volumus etc. Et si talis novius cerevisiam, brasium vel alias res quascunque secum in civitate ducit, propinando vel alio modo in denarios eas convertere potest. Postea vero, si propinare voluerit cerevisiam, tantum in civitate braxabit. Sic sententiatum est per juratos in consilio civitatis. Et notandum, quod sicut uniones mechanicorum ex praetexto privilegio Wenceslai regis sunt prohibitae, sic etiam per excellentissimum dominum nostrum Karolum nunc Romanorum et Bohemiae regem, cum adhuc in minoribus constitutus marchionatum Moraviae regeret, sunt cassatae, ut appareat ex literis suis in cista civium servatis, quarum tenor talis est: Karolus, domini nostri regis Bohemiae primogenitus Marchio Moraviae, dilecto fidei suo Conrado de Vithis Burggravio in Spilberk salutem cum plenitudine omnis boni. Constituti nuper in Moravia relatione fide dignorum, quam plurimorum tam in Olomucensibus, quam Snoymensibus civitatibus manifeste comperimus, quod cum statuta, quae carnifices et pistores et alii civitatum nostrae terrae Moraviae mechanicae artis operarii odiose inter se facere consueverint, communitalibus civitatum ipsarum plurimum sint damnosa, propter quod in dictis civitatibus statuta homini sustinere diutius non valentes in Olomicz et Snoyma ea cassavimus, et fecimus in antea ea non committi, et volebamus id ipsum Brunnae procurare, si in hoc negotiorum prolixitas nos non impedivisset. Committimus igitur tibi, et seriose mandamus quatenus, ne statuta talia inter mechanicos Brunenses deinceps siant, vel etiam observentur, quod, quam prope civitates nostras circumcirea infra unius miliaris spatium non habeantur, de cetero studeas auctoritate nostra intercipere cum effectu contra rebelles tibi in hac parte seriosius, prout necesse fuerit, procedendo. Dictus itaque Conradus praescriptas literas judici et juratis assignans eis in praemissis commisit plenarie vices suas. Ut autem a futuris cognoscatur, quod perniciosa sunt civitatibus dicta statuta, eorum aliqua duximus exprimenda.

Mechanici in czechis et capitulis suis quando convenient, ubi de salute tantum animalium tractare deberent, ordinationes pro suo privato commodo faciunt in hunc modum.

Pistores inhibit, quod solum ter in septimana et non in omni die recens panis pistetur et ad vendendum in foro exposetur. Similiter carnifices inhibit, ne pecora mactentur, ante-

quam carnes antiquae vendantur. Cerdones etiam cum carnis-  
cibus speciales habent uniones, secundum quas nullus ad opus  
eorum admittatur, nisi cum pecunia jus et czecham secundum  
gratiam ipsorum emat, vel aliquis eorum filiam in uxorem ducat,  
si pater carnifex vel cerdo moritur et pueros suos cum bonis  
eorum alteri homini, quam carnifici vel cerdoni commiscerit: tales  
pueri jure operis, quod pater eorum se nutriverat, sunt privati.  
Prohibent etiam cerdones, ne hospites corium, quod Brunnam  
ducunt sutoribus et aliis mechanicis indigentibus corio, in do-  
mibus vel in foro vendantur. Eodem modo sutores multos operis  
sui, qui cum civitate contribuunt, propter hoc solum, quod in  
czecha eorum non sunt, calceos suos in foro etiam communis  
die forensi vendere non permittunt. Ditiores etiam cerdones  
prohibent, ne aliquis eorum operis corium, nisi pro paratis de-  
nariis sutoribus vendat; de quo pauperes cerdones pereunte  
plurimum damnificantur. Et insuper, quando nocivum est ma-  
xime, communiter mechanici in czechis suis compromittunt, ne  
aliquis juvenis et puer opus eorum informetur, nisi prius pa-  
rentes ejus cum tot vel tot marcis jus czechae sibi compararent,  
quas marcas puero moriente, vel ab opere discurrente pro  
czecha recipiunt et conservant. Item sartores inhibit, ne fa-  
muli ad civitatem venientes laborent sartoribus non existentibus  
in czecha, eosdem sic a civitate repellentes. Item communiter  
dicitur, quod mechanici, qui sunt in czecha, inter se statuant:  
Si novicius ad civitatem se recipiens, et czecham secundum  
eorum beneplacitum convenire nolens, per quemcumque eorum  
occidatur, pro illo debeat satisfieri et emenda solvi de pecunia  
czechae: quam tamen solum pro salute animarum se dicunt com-  
ponere, taliter dictam detestandam malitiam occultantes. Haec  
et his similia, communi bono contraria tamquam ad inventiones  
pessimas, quasi omnes mechanici in suis czechis ordinant et  
confringunt; cum tamen salubre sit et utile, quod omnis homo,  
cujuscunque operis sit, absque quolibet impedimento Brunnam  
vel alias se recipere, et ibi laborem, quem sciverit, libere va-  
leat exercere.

**478. De jure vinearum.** (H. 113. D. 104<sup>b</sup>.) Vineae cum  
suis montibus, sicut et montana metalli cuiusmodi sunt aurifodinae,  
argentifodinae et labores consimiles, quibus ferrum, plumbum cete-  
raeque species aeris, in aqua vel terra queruntur, speciali gaudent  
jure. Unde omnes causae, lites, sententiae, traditiones, cessiones,  
obligationes, appellations, et universaliter singula, et singulariter  
universa, quae circa talia per modum quaestionis, responsionis

vel alium quemvis modum, sive super principali vel accessoriis annexis incidentibus et emergentibus occurunt, in illis judiciis sunt querenda, ubi vineae seu montana sita sunt: et non ibi, ubi domini vinearum et montanorum, si forte in locis aliis residentiam habent, habitare consueverunt. Et ergo cum super vinea quadam ex parte ejusdem civis Brunnensis et ejusdem rustici de Lautschein s quaestio esset suborta, jurati Brunnenses questionem eandem ad juratos in Auspiz, ut ibi terminaretur, quia vinea ibidem fuit sita, deduci jusserunt. Qui sententiam ejusdem quaestioneis, de qua dubitabant, ulterius ad juratos in Falckensta in, ubi antiquiora sunt montana vinearum, quam in aliquo loco in Moravia, vel ex ista parte Danubii in Austria deduxerunt. Et cum per eosdem sententia fuisset in scriptis Burggravio de Eichhorns transmissa, ipse ad examen juratorum Brunnensem eam dirigens a juratis et pleno consilio responsum accepit in scriptis sub his verbis: Domine Burggravie, ad vestras semper stare preces nos habetis inclinatos, in praesenti tamen casu, qui jus vinearum tangit, quamvis libentissime faceremus, nihil ad nos pertinet, nec expedit, quod vel super facto principali, vel quovis accessorio, principali annexo, incidenti, emergenti, seu per appellationem et modum alium quempiam intervenienti, diffinitivam sententiam proferamus. Habent enim vineae jus speciale montium, in quo omnes dictae causae consueverunt terminari. Ad idem etiam jus nos et antecessores nostri singulas causas tales soliti sumus remittere, ut modo debito terminentur. Unde non aegre feratis, quod pronunc ab admissione precum vestrarum justitia consuetudinaria non excusat.

**479.** De jure novalium, cuiusmodi est novorum agrorum mensuratio, metarum signatio, terminorum positio et eorum evulsio, et de emendis protalibus solvendis et aliis diversis in hac materia contingentibus, prout articulatim sequitur in haec verba. (B. 83<sup>b</sup>. 1. C. 28<sup>b</sup>. 9. D. 105<sup>a</sup>. 1.) Cum in villis nec scriptorum nec literarum habeatur copia ideo subscripta, jura agriculturae deservientia verbis vulgaribus, ut a rusticis intelligantur Incidius, taliter conscripta sunt: Wann man new ecker mist, so gait man einem lehen als vil, als den andern, vnd tailet mager ecker vnd fruchtber ecker czu iczlichen lehen vnd was dann das los einem iczlichen gait, das ist sein, vnd mit rain vnd mit gemerkhen, es sei stein oder kolen, die man im grossen hösen in die erde grebt, vnd steinhaussen darauf legt, ader semlich ander dink, mercket man

die mass der ecker, das die niemant prech, nach die rain ausz erde, nach die staine von iren rechten steten lege; wann wer das thuet mit vorsacz vnd wirt des vberwunden, sam ein recht ist, der ist bestanden wandels sunfzig gulden, die machen zehn marck großer pfennige. Thuet es ader des herren knecht ader sein dirn in argem list an des herrn wissen vnd an sein gepott, so ist der herre vnschuldig vnd der knecht ader die dirn ist mit dem halze bestanden, si wolle dann der herre mit sunfzig gulden ledigen. Bescheicht aber ein semlich aus eren (von geschicht?) von eim tayl des ackers ader von vndenken, aber ob die staine dieplich eczlichem czu schaden geruckt wurden, dann sie von ersten gelegen sint, das ist nit buess wirdig. Chumpt ader einer vor den richter, vnd pit das man seine ecker vnd seins nachpaurn ecker mafz durchs rechten willen, vnd der ander begert auch desselben, vnd keiner vnder in klaget auf den andern, das er in hab vber arn an semelicher sache, mag sich wol die mafse an busse ergeen. Claget ader einer auff den andern mit namen, er hab in vbereckert, ader die rain ader die gemercke zuprochen wissentlich vnd williglich, des wolt er in wol mit der masse vberwinden, wer dann vnder in schuldig wirt funden, der ist der busen bestanden, doch schullen richter vnd schöffen fleissichglic betrachten ein semelichen sachen, ab czwischen nachpaurn nach der ersten mafz icht newer wilkier sei geschelen ader wie die ecker, ader der acker mafz von einen auff den andern sei kumen mit kausse, mit erbtail ader mit geschafte ader mit ander sachen, das dornach einen iczlichen ein recht gescheile, wirt auch krieg zwischen nachpaurn vmb czwaierlei ecker die ee ein man hat gehabt, derselbe hat er sich wol an trewe vnd an warhait enthalten, mag der krieg wol entweren, mit welchen gemercken er einem iczlichen seinen acker hab verkauft; wer auch umb semeliche sache auf dem andern klagen wil, der schol sich wol ee vorseheu, das er in icht an pot war vnd welle im mit vnrechte seines ackers abgewinnen; wann wirt er des vberwunden mit der mafse und der warheit, so verleist er seines aigens ackers als vil, als er mit argen listen frembdes ackers wolde haben gewunnen. Teitigen vmb rain prechen ader vmb vbereren gehort czu veldecker, vnd nit czu hauszecker, ader gerten, die mit czewnen ader mit andren dingen sind befrit, wann vmb semeliche ecker ader umb maierhöfe ader vmb heuszer in den steten, die mit wenden vnderschaiden sind, vmb ir hoffstete, vnb ir weite, vnd vmb ir lenge, do taidingt man nicht vmb die

vorgeschrifene busse; wer auch vberwunden wirt, das er den andern vbereren hab, ader die rain czuprochen hat, der schol dem andern seinem acker wider ganez machen vnd besundern mit sichtigen gemerken vnd schol das thuen in den nächsten vierezehn tagen nach dem vnd die sache getaidiget ist, er mug dann vor chaftiger nott lenger tag haben vnd schol im daryber denselbigen acker als lange vnd als prait er ist wol tungen mit mist in den vorgeschriven vierezehn tagen, wo er das nichten thuet, so ist er im mit XXV gulden bestanden. Wann herren ader frawen die aigen ecker haben der vorgenannten buefz vberhaben wollen werden, so schollen si new knechte, die si czu iren ecker czu panen nemen auff die ecker furen vnd schollen in czu angesicht der nechsten nachpaurn die ecker, die rain die gemerke an prait vnd an lange czaigen vnd schollen in gepieten, das sie recht ackern vnd nimant das seine nemen; thun si das, so werden si der pusse ledig vnd die knechte mussen verpuesset, ab sie icht vnrecht tetten, spricht derselbige schol wann man in anspricht umb vbereren ader rainprechen, es hab sein pflugknecht getan an sein wissen vnd an sein geheisse, begert dann sein der clager, er muess darumb sein recht vff dem creuce tun, vnd felt er an dem rechten, er ist mit dem wandel bestanden, er hat dan dem knechte ee die ecker geczaiget vnd habe in recht haissen eren, als vorgeschriven ist; vmb vbereren ader rainprechen, mag ein iczlich nachgepaur auff den andern clagen, doch wer ee fuer dem richter seine clage bringet, er werde schuldig ader vnschuldig, er hat die vorklage. Dem messer schol beide der clager vnd der antworter sein lon geben. Haben czwene miteinander einen gemeinen grunt ader erttrich, do vil ecker aufliegen, do rein durchgeen, derselben mag ainer auff den andern nicht clagen vmb vbereren ader rainprechen, die andern nachpauern mogem wol auf si clagen, ader si auf die andern; hab ich und du einen gemainen acker, vnd dobei hab ich allein ein besundern acker, von derselben wegen mag ich auf dich mit clagen vmb vbereren ader rainprechen, wan was ich auf dich clagen, das gieng auf mich, selben dauon, das ich vnd du von des gemainen ackers wegen an eines ackers stat stehen. Die maierhöfe haben, die schollen ir mair ader ir pflugknecht, ab sy die höfe mit knechten panen, vor die schoffen stellen, vnd in gepieten, das si niemancz vbereren nach acker gemercke prechen, so werden si furbas der pusse ledig vnd die mair ader die knechte muessen vorpuessen, was sie vnrecht daran begeent. Darumb wer dreyfsig

jar sweiget vmb vbereren ader rainprechen der mag furbas darumb auf den andern nicht clagen.

**D e a g r o.** (D. 106<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est de eo, qui agrum seu partem agrorum sibi usurpavit, quod restituat agrum firmatum et secundum quemlibet de communitate residentem et habentem hereditatem solvet quinque grossos pro emenda. Similiter qui deducit annonas alienas de die, violenter reddat annonas et stramina et secundum quemlibet solvet quinque grossos ut supra dictum est.

**Mensuratio miliarium regalium.** (B. 84<sup>b</sup>. D. 106<sup>b</sup>. 1.) Das ist die masse, wie lang ein daicze rechte maile ist, ader sein schol, die do behelt kuniges masse: Ein rechte daicze mail kuniges masse die schol vir ecker lenge haben, vnd iede ecker lenge sol haben czwcliff gewende, das sint acht vnd vierzig gewende, vnd iedes gewende sol haben dreissig mesruten, so schol iede ruten behalten sunfsczehen waldelen ader rechte holczelen, das ist ein rechte daicze maile kuniges masse, vnd wann man die messen wil ader schol, so soll man das zaile anlegen an der stattor, in welcher wagenlaise man wil.

**D e l a n e o.** (D. 106<sup>b</sup>. 2.) Man sol mercken, das czwai vnd dreissig daumellen machen ein sail; newn sail lang vnd czwai sail prait, vnd ein schritt machen ein lechen.

**Alius modus miliarium.** (D. 106<sup>b</sup>. 3.) Quinque pedes passum faciunt, passus quoque centum vigintiquinque stadium, si vis miliare, octo tenet stadia; duplicatum dat tibi leucam; quinque vero leucae germano dant miliare.

## Capitulum de literis.

**480. De literis negandis.** (H. 114. A. 37. 1. B. 51<sup>a</sup>. 1. C. 30<sup>b</sup>. 1. D. 106<sup>b</sup>. 4. K. 193<sup>b</sup>. 1.) Jurati licet personis jure civitatis utentibus ad eorum facta et ordinationes confirmandas, cum rogantur, literas sub sigillo communii civium confessas denegare non debeant; tamen, si inter personas tales pacta siant et promissa, seu tractatus et compositiones, quae juribus civitatum derogent, vel honori vel utilitati reipublicae praejudicent, talia confirmare per literas non tenentur.

**481. Ad idem, quomodo literae missiles negantur et per testes refutantur.** (H. 115.) Cum Wentla soror Michaelis et Margaretha ejus uxor pro domo per Michaelm relicta contenderent, consenserunt in plebanum de Nicola spurga, quicquid inter eos diceret, eis placeret. Et cum idem plebanus Brunnum prae infirmitate venire nou posset, Wentla

ipsum accessit, qui una cum eo scolarem suum cum sigillo Brunnam misit, ut scribi procuraret in litera clausa, quod domus ad Margaretham et non ad Wentla m pertineret. Scolaris autem tamquam circumspectus neglexit, quod Wentla scribi procuravit, quia plebanus testaretur, quod domus ad eam et non ad Margaretham spectaret. Dicta vero litera cum juratis esset praesentata et coram Margaretha lecta, appellavit ab ea, quia esset veritate tacita impetrata. Placuit ergo juratis, quod ipse plebanus personaliter Brunnam veniret et diceret, quid sibi de dicta domo constaret. Qui cum venisset et literam personaliter legisset, dixit sigillum esse suum, sed materiam suggesta falsitate mutauit; adjiciens, quod hoc ex improvidentia scolaris, cui sigillum suum commiserit, processisset. Ad quod Wentla pro se sententiari petitivit, utrum plebanus literam suo sigillo signatam negare posset. Contra quod plebanus replicavit, quia per plures fide dignos testes de Nicols purga, qui ultimae voluntatis patris Michaelis et Wentlae interfuerint, ostendere vellet, quod domus ad solam Margaretham ex obitu Michaelis, de cuius hereditaria portione fuisset comparata, pertinere deberet. Et cum utraque pars eosdem testes acceptasset, et ipsi vocati pro Margaretha deposuerint, domus fuit eidem per definitivam sententiam, silentio Wentlae imposito, adjudicata. Ex qua sententia colligitur, quod literae missiles clausae ex causis rationalibus negari possunt, et extingui per illum, sub cuius sigillo sunt confectae. Vox etiam viva testium idoneorum, ut in praesenti factum est casu, literis talibus antefertur, (et est casus, quod ille, qui debuit literam pro Nicola o procurare, scribere; pro Conrado, (?) ex negligentia sui scripta fuerit; ergo vox viva, si adest testium idoneorum, literis talibus antefertur). Utrum autem literis sigillis clausis et testibus pro una parte facientibus praeferriri debeant, soli testes per aliam partem producti, testium idoneitate ac attestationum consonantia celerisque circumstantiis diligenter consideratis, perscrutatione indiget sapienti. Require supra sub illo titulo: Utrum jurati possint testari extra judicium proprium per literas.

482. Quod per litteras vincuntur proscripti pro maleficiis. (H. 115. D. 107<sup>a</sup>.) Cives Pragenses scripsierunt sic: Prudentibus viris etc. Prudentiae vestrae praesentibus innotescat, quod Andreas Tuchmacher concivis noster in ipsius civitatis Pragensis judicio, prout in nostris tabulis et libris invenimus, Fridlinum fratrem Albini Pfefflini apud vos detentum pleno jure proscribi procuravit, et plene jus

suum est assecutus. Super eo, quod ipse Fridlinus dicto Andreæ uxorem Martham unacum rebus valoris X sexag. gross. dei et juris timore postposito alias abstulit ne deduxit. Quo circa vos rogamus sincere, quatenus ipsi Andreæ, aut suo nomine amicis suis praesentium exhibitoribus de dicto Fridlinio faciat justitiam expeditam.

Harum igitur virtute literarum coram iudicio publice lectarum ipse Fridlinus ex sententia diffinitiva pro furto abjudicatus et in ligno patibili suspensus fuit.

### **Capitulum de ludo taxillorum.**

483. De ludo taxillorum. (H. 115. A. 38. 1. B. 51<sup>a</sup>. 4. C. 30<sup>b</sup>. 5. D. 107<sup>b</sup>. 2. K. 194<sup>a</sup>. 5.) De Geyaw judex et jurati scripserunt sic: Accidit, quod quidam nobilis oppidum nostrum subintrans a quodam nostro quaequivit oppidano, utrum ejus fidelis et bonus hospes esse vellet, cui audacter respondit: ille introiens equos locavit, et ad hospitem recedit. Mora autem elapsa quidam superveniens cum hospite super præhabitum nobilem conspiravit et tentuit occulte, et dum pariter ludenter hospes, gebotes vulgariter dictos, gebot posnebat. Illi autem ludo unus scabinorum computans ussedit et consideravit injuriam nobili bina vice factam et continuo ab eis surgens recedere intendebat, ac tamen precibus victus ludentium eis tamdiu commansit, quounque memoratus nobilis novem marcas fortuna contraria delusit. Solutione autem totali illius pecuniae facta iterum ille nobilis nobis astantibus ab hospite, ad quem deluserat, quaequivit, si promiserit, ejus esse fidelis hospes. Ipse manifeste fassus cognovit. Nobilis vero in nos protestans de illata sibi injuria a nobis justitiam postulavit. Ea de causa ad vos recurrentes de tali nos petimus causa literatorie informari, qualiter sit decidenda. Quibus responsum fuit sic: quia in nostra civitate secundum approbatam ab antiquo consuetudinem servamus, quod pro ludo seu pro debito ludi nullam alicui justitiam exhibemus, attamen rigore juris exigente, quia literae vestrae dicunt, unum de scabinis ludo computantem et numerantem affuisse et nobili bina vice injuriam factam esse considerasse, et hospitem super nobilem conspirasse occulte et tenuisse, et gebotes, vulgariter dicendo gebot, posuisse, bene consonat justitiae, quod nobilis ad solutionem pecuniae taliter delusae non teneatur. De emenda vero et correctione hospitis, qui coram vobis fassus est promisso, se velle dictum nobilem bene et fideliter hospitare, dicimus,

quod in poena quinque talentorum, quorum tercia pars judicii, dñe civitati solvi debent, justitiâliter obligatur.

484. Quod comensales non possunt res dominorum suorum deludere. (H. 116<sup>a</sup>. A. 38. 1. B. 51<sup>b</sup>. 5. C. 30<sup>b</sup>. 7. D. 107<sup>b</sup>. 2. K. 194<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est in Crisans, quod nec pueri nec famuli res patrum et dominorum, quorum panem comedunt, cum tesseribus deludere possunt, et est tracta ista sententia de juribus originalibus ex rubrica de ludo taxillorum: prohibemus etiam et infra.

485. De taxillis injustis. (H. 116<sup>a</sup>. A. 38. 2. B. 51<sup>b</sup>. 6. C. 30<sup>b</sup>. 8. D. 108<sup>a</sup>. 1. K. 194<sup>a</sup>. 2.) Ad loca diversa sententiatum est, quod in eujus ludentis manu falsi et injusti taxilli fuerint inventi, illius pollex amputetur et omnibus tali ludo acquisitis careat.

### **Capitulum de Luminibus.**

486. De luminibus urbanorum aedificiorum. (H. 116<sup>a</sup>. A. 39. 1. B. 51<sup>b</sup>. 1. C. 30<sup>b</sup>. 9. D. 108<sup>a</sup>. 2. K. 194<sup>b</sup>. 3.) Lumen servitute constituta id adquisitum videtur, ut vicinus lumen nostra excipiat et transmittat. Cum autem servitus imponitur, ne luminibus noceatur, hoc maxime adepti videamur, ne jus sit vicino, invitatis nobis aliquid aedificare et minuere lumina aedificiorum nostrorum; invitum autem in servitutibus accipere debemus, non tantum eum, qui contradicit, sed etiam eum, qui specialiter non consentit.

Item infantem et furiosum invitatos recte dicere possumus, non enim ad factum, sed ad jus servitutis haec verba referuntur. Cum eo, qui extollendo obseurat vicini aedes, quibus non servit, nulla competit actio, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo. Si ita sit cautum, ne luminibus noceatur, hoc verbo generali omne lumen signatur, sive quod in praesenti, sive quod tempore conventionis contigit; futuro enim aedificio, quod non dum est, vel acquiri vel imponi servitus potest. Eos, qui jus immittendi luminis non habuerunt, aperto pariete communii nullo jure fenestras immittere patet. (Ad loca diversa sententiata sunt. H).

### **Capitulum de mulieribus.**

487. De mulieribus, quantum ad actionem et responsionem, sive uxores sint vel viduae; sive per se, sive mariti pro eis jurent vel pro eis agant,

vel causas defendant. (II. 116. A. 40. 1. B. 51<sup>b</sup>. 2. C. 31<sup>a</sup>. 2. D. 108<sup>a</sup>. 2. K. 195<sup>a</sup>. 1.) Civibus de Crum law scriptum est, quod vir ad agendum vel respondendum pro uxore rigore juris compelli non potest. Si vero voluntarie causani uxoris sibi assumit in jurando, sicut in causa propria cadit et causam amittit.

Uxor autem vicem actoris gerens et causam jurando obtinere volens in juramento cadit et causam perdit sicut vir; locum vero rei tenens, hoc est respondens et causam defendens, hac praerogativa et privilegio mulierum gaudet, quod in jurando non cadit. Mulier tamen vidua, quia bonorum est domina, sive agat, sive respondeat, tamquam vir jurando cadit et causam obtinet vel amittit. Si tamen adversa pars pro se hoc sententiari petierit, qua petitione neglecta, si advocatus viduae jus muliebre sibi excipiat: tali jure debet gandere, scilicet quod vicem rei tenens jurando non cadit.

Item mulier habens maritum a civitate declinantem et anno et die legitime non impeditum absentem existentem, si medio tempore civiliter, hoc est pro possessionibus vel debitibus in causam trahitar, ad respondendum compelli non potest.

Post dictum vero tempus, quod spatium praescriptionis in jure civili continet, non obstante mariti absentia, si mulier ad judicium citata fuerit, ad motas sibi querimonias compellitur respondere. Praenotato etiam tempore anni et diei currente si mulier aliquem judicio convenerit, ex hoc, quod vivum habet maritum, qui non adest, conventus non compelletur ejus objectionibus respondere; et est causa, quia mulier maritata, cum bonorum non sit domina, sicut vir res et possessiones non tamen potest perdere, sic nec potest judicialiter obtinere.

In venditionibus et emtionibus rerum, ornatum muliebrem respicientium, eujusmodi sloigeria pepla sunt, vittae, crinalia et consimilia, dummodo non sint magni pretii, quia frequenter mulieres sine virorum praesentia talia tractant, possunt judicialiter contendere et vicem actoris et rei gerere non obstantibus virorum suorum absentia, praedictaque justitia rigorosa.

Et pro ista materia legas sententias scriptas inferius sub titulo de juramento mulierum.

**488. De mulierum et virginum oppressionibus, scilicet de stupro, adulterio, raptu et excessibus consimilibus, quibus virginibus et mulieribus vio-**

tentis infertur. (H. 117. A. 41. 1. B. 52<sup>a</sup>. 1. C. 31<sup>a</sup>. 6. D. 108<sup>b</sup>. 1. K. 195<sup>b</sup>. 1.) Cives de Rauseins de violentiis, quae inferuntur virginibus et mulieribus, sunt taliter informati: Quicumque de oppressione violenta convictus fuerit, decollabitur; tali autem modo vincetur:

Si virgo fuerit deflorata, aut mulier honesta violata, uno teste in campo, sive sit pastor, sive alius, duobus vero in civitate egebit: per quos si probaverit, se exclamasse illo tempore, cum opressa vel rapta fuerit, vel statim postea, suam querimoniam proposuerit, intentum obtinebit.

Si vero virgo vel mulier honesta non habens testes cum signis oppressionis et violentiae sibi factae, sicut sanguinolenta et cum vestibus laniatis, conquesta fuerit, accusatus cum duobus testibus se expurgabit. Si autem sine signis praedictis, etiam sine testibus conquesta fuerit, accusatus cum duobus digitis in cruce se expurgabit. Et quia in iuribus originalibus circa istum titulum mentio fit de exclamatione et termino querimoniae, considerandum est, quod semper cum virgo vel mulier querimoniam vult obtainere, debet specialiter probare clamorem se fecisse. Si enim non clamaverit, sed tacuerit, videbitur voluntarie consensisse. Ad terrorem autem oppressorum, quod a dicto scelere sibi caveant, est terminus in hujusmodi querimonii ad dies XIV prolongatus; unde etiam in praescripto titulo praeter modos conquirendi et expurgandi praedictos scribitur sic propterea:

Si illa infra dies XIV testimonio VII credibilium virorum illum convincerit, nulla sibi conceditur expurgatio, sed capitali sententia punietur.

De oppressione vero mulieris communis quaeratur superius titulo de praescripta rubrica.

489. De raptu uxoris legitimae. (H. 117. A. 41. 2. B. 52<sup>a</sup>. 2. C. 31<sup>a</sup>. 7. 31<sup>b</sup>. 3. D. 109<sup>a</sup>. 1. K. 195<sup>b</sup>. 2.) Si quis alteri uxorem legitimam deduxit, septem idoneis testibus aut duobus vicinis illius, cuius uxorem rapuit, et convincitur, et una cum uxore rapta pali, id est ligni praeacuti seu fustis poena morietur.

490. De adulterio. (H. 117. D. 109<sup>a</sup>. 2.) Si quis juxta uxorem suam quempiam deprehenderit et ambos, scilicet adulterum et adulteram interficerit, statim judicem et juratos vocabit et dictas personas imperfectas ad terrorem aliorum pale seu fuste perforabit. Si vero virum interficerit et uxor effugerit, vel e converso uxorem interficerit et vir effugerit, tunc si imperfector fugam et recessum unius mettertius probaverit, pro imperfectione alte-

rius nulli emendae seu satisfactioni subjacebit. Et in casu educationis uxoris vir non aget per procuratorem, sed propria in persona.

Si autem vir vulneratus vel uxor vulnerata effugerit, postea idem vir detentus vel mulier detenta fuerit, VII manuum testimonio convincitur et capitalem sententiam sustinebit.

491. De superductione secundae uxoris. (ibidem) Si aliquis ab uxore sua legitima recessit et ea vivente aliam superduxit et de hoc convictus fuerit, decollari debet.

492. De eductione filiae alicujus. (ibidem) Si quis alicui filiam suam eduxerit et cum ea captus fuerit, judicio tali judicabitur in praesentia judicis et juratorum et aliorum proborum virorum ac parentum; filia praedicta nec minis perterrita, nec promissis demollita in medio circuli ponetur, et si ad eductorem iverit, ipsum ducet in uxorem, sed si parentes accesserit, decollabitur; et ad idem quaere rubrica: de virginum et viduarum eductione.

493<sup>a</sup>. De mulieribus, quantum ad titulum praescriptum. (H. 117<sup>b</sup>. A. 41. 2. B. 52<sup>b</sup>. 1. C. 31<sup>b</sup>. 4. D. 109<sup>b</sup>. 1. K. 195<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est juratis in Heinrichs. Si mulier confessa fuerit, quod ante querimoniam in tertia septimana deflorata vel oppressa sit, ad ejus querimoniam reus non respondebit; si tamen ipsa mulier tempore praedicto causa legitima non fuit impedita et propter quam forte non potuit querulari.

493<sup>b</sup>. Qui vendiderit propriam mulierem suam alieno. (ibidem) Sententiatum est in pleno consilio de eo, qui uxorem suam legitimam alteri vendere praesumit, in hunc modum, quod talis vendens in cippo per quatuordecim dies detineatur captivus, et insuper solvet duas libras pro emenda. Item emens solvet unam libram denariorum pro emenda, qui legitimam alterius emere praesumit. De quibus emendis judex tertiam partem habebit, duae vero partes ad civitatem pertinebunt.

494. Qualiter reus querimoniam deflorationis vel oppressionis per testes evadere non possit. (H. 118. A. 41. 2. B. 52<sup>b</sup>. 2. C. 31<sup>b</sup>. 5. D. 109<sup>b</sup>. 1. K. 195<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est in Heinrichs: Si reus ad querimoniam super defloratione vel excessu consimili factam respondebit, quia confiteatur, quod virginem defloravit vel mulierem oppressit, et hoc de bona sua voluntate, cum ante deflorationem vel oppressionem pecuniam sibi pro eo dedit, quod vellet per testes idoneos demonstrare: ex tali responsione non absolvitur, nec ad hujusmodi testimonium aliqualiter est admit-

tendus; merito enim praesumitur, quod tales testes nec idonei sint nec justi, nam post factum praedictus excessus fortassis per bonos homines placituri possit.

Ad placitendum autem de ipso, quod fiat in futuro, non consueverunt se, nisi mali et nequam homines immiscere.

Residuum quaere inferius de stupro et raptu mulierum.

495. Quod cognoscentes mulieres vagas non sunt spoliandi. (I. 118. A. 42. 2. B. 52<sup>b</sup>. 3. C. 31<sup>b</sup>. 6. D. 109<sup>b</sup>. I.K. 195<sup>b</sup>. 2.) Qui clericum vel laicum ob hoc, quod mulierem vagam diei vel noctis tempore in quocumque loco cognoset carnaliter, rebus vel vestibus suis privat vel denudat, poenam furti vel spolii sustinebit.

496. Utrum mulier absente marito in causa criminali agere possit. (I. 118<sup>a</sup>. A. 41. 3. B. 52<sup>b</sup>. 4. C. 31<sup>b</sup>. 7. D. 109<sup>b</sup>. 4. K. 196<sup>a</sup>. 1.) Judex et jurati de Boskowicz scripserunt sic. Quia quaedam mulier pro pueru suo interfecto quemdam hominem ac filium ipsius coram nobis judicio praesidentibus impetivit, quod ejusdem hominis filius equitans per plateam pepulit equum ante se, qui quidem equus puerum praedictae mulieris calcando interfecit. Ad cuius querimoniam idem impetus respondere nolens propter absentiam mariti mulieris posque ad ejus requisitionem sententiavimus, quod cum maritus ipsius mulieris pluribus annis transactis ab ea recesserit, nec sciatur ubi sit, quia mulier ipsum maritum suum per sex septimanas intra terram quaerere et adducere deberet, si viveret; quibus finitis dicta mulier coram judicio comparens et petens sibi et amicis suis, quos habere potuit, de dicto homine et filio ipsius pro dicto pueru suo interfecto justitiam exhiberi asserendo, quod maritum suum quaeviserit intra terram, quem invenire nullatenus possit nec habere, volens hoc per juramentum suum demonstrare et probare. Ipse vero impetus petitionem mulieris admittere nolens, sed repetens fidejussores ab ea, quod a marito ipsius sit securus, et in posterum per eum, si unquam ipse redire contingeret, minime impetratur, quos mulier dicta, cum sit pauper, fidejussores habere non potuit, sed promittere sub juramento voluit, quod si maritus ipsius unquam rediret, et ipsum hominem et filium suum, quem pro pueru suo impeteret, ipsa ab impietione fideliter removere vellet, et infra. Quaerimus ergo, cum eadem mulier fidejussores habere non possit, utrum impetus sibi super interfectione pueri debeat secundum justitiam respondere. Quibus diffinitive responsu fuit: cum mulier sex septimanis, sicut jurati et non irrationaliter sententiaverunt, mari-

tum suum intra terram quaerens non invenerit, ipseque multis annis nec adhuc, ubi sit, sciatur, absens fuerit, reus debet ejus querimoniis, secundum formam justitiae respondere, dictaeque mulieri est tam plena justitia, sicut marito suo, acsi personali compareret, secundum puncta juris singula facienda.

497. *Mulier allegans, se habere maritum absentem et viventem, debet probare quod vivat, si pars adversa petit.* (H. 118<sup>b</sup>. A. 41. 3. B. 52<sup>b</sup>. 5.C. 31<sup>b</sup>. 8. D. 110<sup>a</sup>. 1. K. 196<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est praedictis juratis in Boskowitz: Quamvis mulier in absentia viri, qui personam et actoris et rei pro ipsa gerere potest, in causam ex consuetudine non trahatur; tamen si praetextu praedictae absentiae ad judicium vocata se vult tueri, debet parti adversae requirenti de vita mariti fidem et certitudinem facere; de homine enim extra sensum existente dubium est, si vivat.

498. *De mulieribus allegantibus absentiam maritorum viventium.* (H. 118. A. 41. 4. B. 52<sup>b</sup>. 6. C. 31<sup>b</sup>. 9. D. 110<sup>a</sup>. 2. K. 196<sup>b</sup>. 2.) Si mulier maritata pro debitibus tempore viduitatis, vel prioris mariti praemortui per eam contractis in causam trahitur, non obstante, quod pro nunc allegat, maritum vivum sed absentem se habere, actoris querimoniis respondebit.

499. *De juramento mulieris, licet per se non cadat, tamen testes ejus cadunt.* (H. 118<sup>b</sup>. A. 41. 5. B. 52<sup>b</sup>. 7. C. 31<sup>b</sup>. 10. D. 110<sup>b</sup>. 1.) Quamvis mulier jurare debens in juramento non cadat, tamen testes ejus, si in forma juramenti deviaverint, cadunt et in causa succumbunt.

500. *De juramento mulieris viduae specialiter.* (H. 119. A. 41. 5. B. 52<sup>b</sup>. 8. C. 31<sup>b</sup>. 11. D. 110<sup>b</sup>. 2.) Jurati de Crumlaw venientes ad maniloquium proposuerunt, quod ante aliquot annos informati fuerint hic in Brunna, quia mulier vidua sive agat sive respondeat, jurando cadat, cum honorum suorum sit domina, et cum in praesenti quaedam vidua ratione debitorum per maritum suum, dum viveret, contractorum cuidam actori jurare debeat et quaerat, utrum illo jure, quo prius vivente marito usa fuerit, etiam modo uti non debeat, informari petiverunt, quod sit juris in hoc casu. Quibus verbottenus responsum fuit, quod mulier vidua in causam tracta seu ad judicium citata pro debitibus per maritum suum contractis, si jurare debuerit, jurando non cadit; in hoc enim casu gaudebit eo jure, quod sibi vivente marito competiisset.

Si autem vidua pro debitis tempore viduitatis suae de bonis ad ipsam propria et personaliter pertinentibus, et quorum per se est domina, contractis alicui ipsam impotenti jurare debuerit, in hoc casu, si impetens contra ipsam hujusmodi allegat, jurando cadit, in causa succumbit. Si vero talia contra eam allegata non fuerint, et ex ejus parte jus mulierum sibi excipiatur, jurando non cadit, et est ratio, dum vidua de bonis propriis, quorum per se est domina, facere possit et disponere, quidquid placet sicut vir, dignum censetur, quod etiam agendo vel respondendo super bonis talibus eidem juri subjacebit, quo vir subjacet ipso jure.

501. Quod mulieres regere possunt bona virorum inutilium. (H. 119 A. 41. 6. B. 53<sup>a</sup>. 1. C. 32<sup>a</sup>. 1. D. 110<sup>b</sup>. 3. K. 196<sup>b</sup>. 3.) Juratis de Bisenez sententiatum est: Quoniam mulieres a domo parentum per patrimonium emancipatae sui juris sint effectae, si sagaces sunt et aetatis legitimae, et maritos habent honorum dissipatores, bona per se ipsas regere possunt et immiscere contractibus sicut viri.

502. Quod mulieres tutelam et curam pupillorum gerere non possunt. (H. 119. (A. 41. 7. B. 53<sup>a</sup>. 2. C. 32<sup>a</sup>. 2-3. D. 110<sup>b</sup>. 4.) Sententiatum est in Radisch, quod materterla quorundam orphanorum, qui nullum alium consanguineum habent praeter eam, de ipsis et eorum bonis nomine provisoris intromittere se non debuit, sed potius jurati curam talis provisionis secundum eorum conscientiam debent committere probis viris.

Mulieres tamen viduae curam filiorum et honorum, quamdiu statum viduitatis non mutant, licite regunt; dicunt enim iura originalia: Statoimus insuper, quod quicumque civium moriatur, si uxorem habuerit vel liberos, judex vel advocatus nequam intromittent se de bonis ipsorum, sed sint in potestate uxoris et liberorum.

503. Quod mulieribus non est committendum arbitrium. (H. 119. A. 41. 8. B. 53<sup>a</sup>. ibd. C. 32<sup>a</sup>. 3. D. 111<sup>a</sup>. 1. K. 196<sup>b</sup>. 4.) Secundum rigorem justitiae mulieribus non est arbitrium committendum; nam juxta regulam juris civilis feminae a publicis officiis sunt remotae.

504. Quod muliere mortua bona transeunt ad maritum. (H. 119. A. 41. 9. B. 53<sup>a</sup>. ibd. C. 32<sup>a</sup>. 4. D. 111<sup>a</sup>. 2. K. 197<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est in judicio civitatis: Si viduae habens et pueros maritum duxerit, et postquam ab eo carnaliter cognita fuerit, decesserit, portio honorum, quae eam

contingebat, ad maritum etiam pueris reclamantibus devolvetur. Vir enim non solum corporis, imo honorum uxoris et dominus est et rector. In bonis tamen materiis, quandoque succedunt propinqui matris, et de hoc lege superius in sententiis de hereditatibus prope finem, et incipit sic: Jurati de Budespitz proposuerunt hunc casum.

505. Quod mulieres impregnatae pro maleficiis non sunt occidenda. (H. 119. A. 41. 10. B. 53<sup>a</sup>. ibd. C. 32<sup>a</sup>. 5. D. 111<sup>a</sup>. 3. K. 197<sup>a</sup>. 2.) Mulier impregnata pro maleficio capta propter foetum, quem habet in utero, morti non est tradenda, sed moderate flagellanda; et si verbis ejus non creditur, quod sit impregnata, tunc duae mulieres honestae in secretis eam examinent, quae si virtute juramenti sui impregnatam ipsam attestantur, eis est credendum.

506. In quibus casibus mulier testimonium ferre potest. (H. 119. A. 41. 10. B. 53. C. 32<sup>a</sup>. 6. D. 111. 4. K. 197<sup>a</sup>. 2.) Si examinari debet, utrum virgo sit deflodata, vel utrum sit mulier impregnata, vel si in contractum matrimonium testimonium exigitur, vel si numerus annorum discretionis alicujus juvenis sit probandus, vel si aliquis claustrum intrans in dormitorio vel alio loco, ubi mulieres tantum habitare consueverunt, unam ex eis defloret, in talibus casibus et eis consimilibus est recipiendum testimonium mulierum.

507. De mulieribus, quantum ad testimonium, quod uxor testari non potest sine consensu mariti. (H. 119. A. 41. 11. B. 53<sup>b</sup>. 1. C. 32<sup>a</sup>. 7. D. 111<sup>b</sup>. 1. K. 197<sup>a</sup>. 3.) In judicio civitatis sententiatum est, quod mulier existens uxor de dote, vestibus, peplis et consimilibus, quae apud juristas paraphernalia dicuntur, seu clenodiis et rebus quibuscumque nihil legare, nullumque testamentum facere potest sine consensu mariti sui, qui, sicut uxor is sic et honorum omnium dominus est et rector. Vidua vero de portione eam contingente disponere et testamentum potest facere, sicut placet.

508. Ad contrarium, quod uxor quandoque testari potest invito marito suo. (H. 119. A. 41. 11. B. 53<sup>b</sup>. 2. C. 32<sup>a</sup>. 8. D. 111<sup>b</sup>. 2. K. 197<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est rusticis in Strucz, si virgo vel mulier res habens maritum duxerit, cui certum promittat dotalitium, et tandem pueris secum non habitis moriatur, de rebus dotem excedentibus reclamatione mariti cessante, sicut vult disponere poterit et legare.

509. Quod uxor invito marito suo testari potest quandoque. (H. 120. B. 53<sup>b</sup>. 3. C. 32<sup>a</sup>. 9.

D. 111<sup>b</sup>. 3.) In Stikowicz vidui lanceum habens filiam suam, cui nomine dotis medium tradidit, viro matrimonialiter copulavit; eni postquam aliquot annis cohabitasset, ex ejusque semine pueros procreasset, mater ipsius aliam lancei medietatem in articulo mortis posita sibi specialiter excluso marito deputavit. Eadem autem filia cursum hujus vitae finire debens dictam medietatem lancei sibi per matrem legatam avunculo suo disposuit. Quod maritus contradicens pro se sententiari petivit: utrum uxor sua poterit aliquid eo reluctante disponere vel legare. Ad ejus petitionem jurati de Stikowicz sententiaverunt, quod uxor in vita viro in bonis quibuslibet tantum de tribus obulis potest condere testamentum. A qua sententia tamquam iniqua pars adversa ad juratorum Brunnensium consilium appellavit, et infra. Super quo diffinitum fuit, bene esse appellatum et male sententialum: ex quo mater exceptive medium lanceum filiae legavit, constat, quod maritus nullum jus ad ipsum habuit. Unde non de bonis suis, de quibus fortassis, sicut dicta sententia dicit, tantum ad tres obulos legare potuit, sed de bonis propriis avunculo suo, prout de jure potuit, supradictum lanceum medium deputavit. Et insuper si dicta filia sine prole intestata decessisset, hereditas praenotata potius fortassis ad propinquos matris, a qua filiae data fuit, quam ad maritum hereditarie transivisset.

510. De testamento mulieris. (H. 120. B. 53<sup>b</sup>. 4. C. 32<sup>b</sup>. 10. D. 111<sup>b</sup>. 4.) Mulier vidua filium habens maritum duxit viduum si iam habentem. Qui postquam pueros ex ea generasset moriens quaedam bona sibi specialiter deputavit. Quae bona cum ea decedente primo filio suo legaverit, quacrum pueri, quos maritus ex ipsa generavit, utrum talia bona, quae ab eorum processerunt patre, non debeant ipsis potius, quam alteri cuiquam deputari, et infra. Super quo sententialum fuit, quod dispositio mulieris valet. Quicquid enim sibi nominatim datum fuit a marito, primo filio sequentibus pueris vel alteri cuicunque legare potuit, ut volebat. Competit enim homini, quod liber sit stilus ejus ultimae voluntatis.

511. De mulieribus, quantum ad matrimonium et dotem correctionem et divorcium. (H. 120. D. 112<sup>b</sup>. 5.) Postquam Georgius ferrens civis Brunnensis uxorem suam verberans, capillis per domum trahens, pedibus calculans et pluribus aliis modis illicitis non pie disciplinando, sed magis crudeliter corripiendo inhoneste tractavit, nec affectione vellet prosequi maritali, uxor eiusdem parentes ipsum per se, tandem per juratos frequentissime, quod a dictis cessaret enormitatibus affectuose

pelentes monuerunt. Qui respondit, quod uxorem suam, cuius ipse caput esset et dominus, ut sibi placeret, magistrare vellet. Et cum quaereretur ab eo, in quo excederet, et quod mali faceret, asseruit, quod nullam in honestam causam sibi ascriberet, sed solum, quia in aetate tenera ipsam taliter corrigere vellet, quod tempore succedente cum timere, contraque sua praecepta non consuesceret aliqualiter rebellare. Videntes autem parentes, quod nec praeceibus, nec salutaribus monitis Georgium a malignitate, quam conceperat, avertere possent, petiverunt judicem et consules, quod juris beneficio eis suffrageretur, ne sine culpa ipsorum lilia mortis periculum sustineret. Consules vero habita deliberatione Georgium accedentes sibi suaserunt, quod cum uxore benigne viveret, eam potius bonis affatibus et virgae disciplina, quam turpibus alloquiis, flagellis et violentis castigationibus ad bonos mores et consuetudinem laudabilem exhortando. Ad quae verba Georgius subridens dixit, quia libenter videre vellet, quae justitia posset impediri, ne uxori suam qualiter et quotiens vellet, juxta libitum verberaret. Quo facto cum parentes uxor viderent, quod Georgius de die in diem semper in pertinacia cresceret, et hora quaedam eorum filia manus ejus, qui pro tunc decumbens ipsam suffocare nitebatur, in quandam canieram, ubi se clausit, effugisset, iterum judicis et juratorum auxilium implorabant, ut ipsorum filia de camera excepta eis assignaretur, ne miserabiliter sic periret, quod et factum fuit, et Georgio ad instantias parentum dies praefixus peremptorius, quo et uxori et parentibus ad objecta de justitia responderet. Pendente vero die Georgius per appellationem interpositam dominum Marchionem in invitavit, ut in causa, quam uxor sua motura sibi esset judicio, praesidere personaliter dignaretur. Quo praesidente uxor et parentes secundum modum praelibatum de verbo ad verbum sunt de Georgio querulati, rogantes pro se sententialiter inveniri, utrum uxor dotem promissam scilicet centum marcas grossorum Pragensium et omnem donationem antenuptialem in vestibus, lectisterniis et aliis diversis clenodiis, in quibus fuerit, non esset judicialiter consecuta. Ad quam querimoniam cum Georgius rationabiliter non responderit, sententiatum fuit pro uxore. Quo auditio Georgius domini Marchionis gratiae se subjecit, quam CC marcis datis, cum in careere continuasset aliquandiu, difficulter mernit obtinere. Et sic parentes eorum filiam assumpserunt, nec cum Georgio ulterius habitavit. Et pro ista sententia coram domino Marchione lecta fuerunt verba legum, quae dicunt sic: Si mulier poterit ostendere maritum aut adulterio delinquentem aut beneficij

sistentem, aut seditionibus occupatum, aut latrocinium sectantem, aut latrocinantem suscipientem, aut si probet, cum plagiariis aut luxuriose viventem, aut insidente uxore cum aliis corruptatur, aut si insidias se passas a viro probet circa ipsius salutem, aut gladio, aut venenis, aut per aliquem alium modum, aut etiam si flagellis super ea natatur: si igitur tale aliquid mulier ostendere poterit, licentiam dat ei lex repudio uti, et nuptiis abstinere dotemque percipere, et antenuptiale donationem totam et non solum, si omnes probaverit causas, sed etiam si unam. Item lex licentiam dat viro mulierem abjicere si adulteratam inveniet, aut veneficam aut delinquentem homicidium, aut sacrilegium aut plagiariam existentem, aut faventem latronibus, aut viro nesciente vel etiam prohibente gaudentem in conviviis aliorum nihil sibi competentium, vel etiam invito viro contra rationabilem causam foris pernoctantem, aut contra ejus voluntatem spectaculis inherentem, aut insidias sibi facientem, ex veneno aut gladio vel alio modo factas, ex quibus circa vitam periculum est, aut falsitatis ream constitutam, aut conscientiam tirannidem meditantem, id est, contra imperatorem cogitantem, aut audaces ejus manus inferentem sibi marito: lex concedit abjicere mulierem, si solam probaverit dictarum causam, et lucrari quidem dotem et antenuptiale donationem habere.

Qualiter puniendas sunt mulieres pro maleficiis, quaere inferius in sententiis de poenis.

512. In quibus causis uxor regere potest bona loco mariti sui. (H. 120<sup>b</sup>. B. 53<sup>b</sup>. 5. C. 32<sup>b</sup>. 2. D. 112<sup>b</sup>. 1.) Si maritus naturaliter puta senio, aetate, decrepita aegritudine, maxime tamen rationis privatione, loquendi impotentia, seu communis cohabitationis hominum separatione, sicut accidere consuevit, freneticis, furiosis, apoplexia percussis et leprosis, vel casualiter ut vulneratis et in membris truncatis, vel culpabiliter velut occisis tabernariis, taxillariis, et aliis modis praedictis consimilibus ad illum statum pervenerit, quod curam domesticam cum ceteris, quae ad officium patrisfamilias spectant, regere non poterit vel negligat, rationabile judicatur, quod uxor legitima, si circumspecta, provida fuerit et honesta, omnia faciet, ordinet et disponet, quae in venditionibus, emtionibus et singulis aliis contractibus ipso marito praehabitibus, non obstantibus impedimentis, ex eo, quod caput est mulieris et dominus, competere dinoscuntur. Et idem censendum est, si vir rationis compos, corpore sanus et defectibus carens uxorem suam scienter et publice, hincinde coram populo, modo praemisso curam regi-

minis ad se pertinentis agere patiatur. Sic cibratum est et pensatum per juratos. (Cum Syndramus Ferrator civis Brunneensis vesanus et rationis expers coram judicio et in consilio atten-  
tabat in irritum revocare, quae per mulierem sensatam et ho-  
nestam, quam de ancillari suo servitio matrimoniali copula le-  
gitime sibi associaverat, tractata fuerant creditis debitibus, solutio-  
nibus et aliis contractibus supradictis, quaere folio CX sub illa  
rubrica: quod mulieres regere possunt bona virorum inutilium. D.)

513. De virginum seu viduarum eductione et  
deceptione in communi. (I.I.121<sup>b</sup>.D.113<sup>a</sup>.1.) Statuta super  
sexus feminei deceptione quondam edita, et propter ejusdem  
abusum vitii, quasi oblivioni data, moderno tempore, quo dictum  
ob otiosorum ei inutilium malitiam hominum nimis inolevit de-  
lictum, iterum innovata ad perpetuam memoriam, ac firmam ob-  
servantiam in haec scripta sunt, verbis sequentibus sunt redacta:  
Nos jurati moderni et antiqui habito consilio maturo seniorum  
civitatis, quia frequenter experti sumus et quotidie videmus,  
quod personae leves ac homines vanam vitam ducentes, taber-  
nas sectantes, rerum et bonorum consumtores, et laboris in-  
sistere non curantes, bonis hominibus eorum filias, neptes, pro-  
neptes, cognatas, agnatas et consanguineas, ac nomine tutorio  
eis commissas, vel per ipsos in filias adoptatas virgines ac viduas,  
non propter matrimonii fidem, sed potius propter earum pecu-  
nias dissipandas decipere et educere consueverunt. Statuimus  
primo, communis boni honoris et utilitatis civium Brunnensium, et futurorum et praesentium causa: quod quicun-  
que de cetero talis inutilis homo alicui filiam, neptem et infra  
ut superius et inferius continetur, virginem vel viduam suam  
commensalem non emancipatam per ipsum, si fortasse ut  
tutori vel sub alio quovis honesto modo et decenti conditione  
sibi commissam habet, eandem alias a pane suo proprio locatam,  
quod educatur et traditam praesumserit educere, absque omni  
spe reversionis et gratia a die eductionis per annos L a civi-  
tate unacum educta debet absens esse; de bonis seu heredi-  
taria portione, puellam seu viduam talem contingentibus, et eductor  
et ipsa infra annos praedictos nihil penitus percepturi. Ante  
finem autem dictorum annorum si viro mortuo mulier redire  
voluerit, civitalis sibi introitus non est denegandus, et si per  
sanguineos suos, vel eos, quorum interest, petita et obtenta li-  
centia juratorum aliquid sibi de gratia datum fuerit, hoc habebit;  
sed de jure nihil repetere poterit ab eisdem.

Transactis etiam annis L, si vir cum muliere reversus fuerit, pro nullis bonis consanguineos mulieris, vel eos, ad quos pertinet, habet impetere, sed tantum propriis laboribus sibi ipsis et heredibus suis, si quos habent, de necessariis providebunt.

514. De educatione viduae emancipatae in speciali. (II. 122. B. 54<sup>a</sup>. 2. C. 32<sup>b</sup>. 4. D. 113<sup>b</sup>. 1. K. ad id.) Qui viduam propriam mensam habentem educere praesumerit, una cum ipsa per X annos continuos civitatem vitabit et de bonis viduae ipsius consanguinei proximiores, vel illi, ad quos spectat, se intromittant, nihil de eisdem penitus ei dando, nisi fortasse mulier infra X annos viro defuneto, vel post X annos ipso vivente ambo simul redire voluerint; tunc enim non de jure, sed solum de gratia in hoc casu, sicut et in praescriptis a consilio civitatis nominatim obtenta, si quidquam eis datum fuerit, hoc habebunt.

515. De raptu, seu raptoribus virginum et viduarum. (II. 122. B. 54<sup>a</sup>. 3. C. 33<sup>a</sup>. 1. D. 113<sup>b</sup>. 2. K. ad id.) Quicunque puellam, quae annos XII non complevit, in loco quoque, vel puellam post annos XII, vel viduam in domo, in ecclesia vel alio comodo, quod ostio claudi potest, raptam educere praesumerit, absque omni gratia tamquam spoliator decollabitur, vel perpetuo, si evaserit, civitate carebit. Ipsa vero puella vel vidua statutis gaudebit supradictis.

516. De deceptione juvenis masculini sexus. (II. 122. B. 54<sup>b</sup>. 1. C. 33<sup>a</sup>. 2. D. 113<sup>b</sup>. 3. K. ad id.) Cum non sit malitia super malicitiam mulieris: si mulier vel adulta puella filium, fratrem, nepotem et infra, ut superius continetur, alicuius boni hominis annos decemoclo non habentem, dolose ad hoc induxit, quod occulte sine consanguineorum vel illorum, quorum interest, consilio, vel eam duxerit, vel per verba, quae non revocari possunt, ducere promiserit, vel secum exiverit, hereditaria portione perdita talis seductrix cum seducto annis quinquaginta civitate carebit; servatis tamen conditionibus de reversione, infra vel post dictos annos, si fieret superius prae-notatis: nisi fortassis talis juvenis cum bonis suis a consanguineis vel cura tutoris divisus, propriae fuerit potestatis, tunc enim si stulte vel male egerit, imputet sibi ipsi.

517. Quod orphani per tutorem maturo tempore matrimonio sunt tradendi. (II. 122. B. 54<sup>b</sup>. 2. C. 33<sup>a</sup>. 3. D. 114<sup>a</sup>. 1. K. ad id.) Si orphani ejuscumque sexus, virgines vel puellae res habentes alicui eorum consanguineo vel extraneo, tamquam tutori et provisori commissi fuerint, qui

forsan ex eo, quod bonis eorum utitur, ipsos matrimonio tradere nimis tradat, ad aliquos de consilio juratorum seu ad plebanum seu confessorem ibunt, qui ipsorum voluntatem et intentionem de contrahendo matrimonio ad consilium civitatis deducent. Quo auditio consilium per se contradictione tutoris non obstante, ut talium compleatur desiderium orphanorum, statim cum diligentia de contrahendis nuptiis providebit.

518. *Hominem trigenarium non ligant statuta praedicta.* (H. 123. B. 54<sup>b</sup>. 3. C. 33<sup>a</sup>. 4. D. 114<sup>a</sup>. 2. K. ad id.) Postquam vir et mulier ad annos XXX pervenerint, statutis praedictis non subjacebunt, nec poenis in eis contentis (aliqualiter ligabuntur).

519. *Poena procurantium eductionem vel raptum.* (H. 123. D. 114<sup>a</sup>. 4. C. 33<sup>a</sup>. 5. B. ibid. K. idem.) Quicumque etiam virorum vel mulierum convictus fuerit, quod praedictam eductionem vel occultam copulam sine scitu et consilio parentum, seu illorum, quorum interest, viri et mulieris ordinaverit et procuraverit, seu consilium et auxilium ad hoc dederit, sine spe redeundi per annos L carebit introitu civitatis.

520. *Poena parentum contra statuta praescripta venientium.* (H. 123. B. ibid. C. 33<sup>a</sup>. 6. D. 114<sup>a</sup>. 5. K. idem.) Quicumque de numero parentum vel illorum, quorum interest, juvenis masculini, puellae vel viduae praehabito modo statuta violare praesumserit qualitercumque, absque remissione tantam suminam pecuniae, quantam masculus, virgo vel mulier in sua habere debuerat portione, solvet pro emenda in usum civitatis convertendam.

521. *Quod praedicta statuta non contrariantur privilegiis civitatis.* (H. 123. B. 54<sup>b</sup>. A. 42. 2. C. 33<sup>a</sup>. 7. D. 114<sup>b</sup>. 1. K. 199<sup>b</sup>. 1.) Nec per statuta praetacta privilegia vel sententiae juris civitatis cassantur. Quia, cum dicatur, quod in arbitrio filiae alicujus vel viduae est nubere vel non nubere cuicunque velit, hoc intelligendum est, quod puella vel mulier ad virum hunc vel illum ducendum non est cogenda; nam sicut ad fidem seu baptismum nullus compellitur nisi volens, sic nec ad conjugium est homo per violentiam compellendus. Ex hoc patet, quod iste, qui puellam vel viduam educit vel rapit, non potest se salvare per jus praescriptum, cum veniat contra ipsum; nam frustra invocat legem, qui peccat in legem. Per violentiam autem virginem vel viduam qui educit vel rapit, ad matrimonium nititur coartare, quamvis etiam puella vel vidua componat occulte cum eductore, vel in raptum con-

sentient voluntarie; tamen non de secretis hujusmodi, sed magis de raptu et eductione manifestis habent homines judicare. Illa etiam sententia, quae dicit, quod filia educta cum eductore vel raptore sit in circulum statuenda, debet intelligi de viro probo et honesto, qui bene se conservavit, semper ad hoc laborans, quod in bonis proficiat et honore, et qui secundum parentelam, vitam, statum, dignitatem, conditionem, res et honores correspondens est, et similis mulieri vel virginis, quam eduxit. Et licet ad virum talem virgo vel mulier in circulo declinaverit, adhuc propter violentiam, quam in eductione vel raptu intulit civitali, nihil de portione dabitur hereditaria eidem mulieri vel virginis per parentes vel illos, quorum interest, nisi de gratia, si ipsam a consilio obtinuerit civitatis.

:

### **Capitulum de mortificatione.**

522. Quantum ad differentiam. (ll. 123. A. 43.

1. B. 55<sup>a</sup>. 1. C. 33<sup>b</sup>. 1. D. 114<sup>b</sup>. 2. K. 200<sup>a</sup>. 1.) De Budespiez jurati querentes de differentia mortificationis spolii et homicidii, informati sunt sic: Mortificatio in hoc praecepue differt a homicidio, quod annexum sibi habet spolium, vulgariter dictum reraup. Unde mortificator proprie dicitur, qui postquam alium occidit, res ab eo auferit. Qui vero sine occisione res tollit, spoliator dicitur. Sed homicida dicitur, qui ex ira ratione vindictae de vilipensione sumendae, vel ex contentione in taberna vel alibi facta cum alio pugnans ipsum interficit. Mortificator etiam ex consequenti dicitur, qui dormientem, vel in lecto quiescentem, vel in mensa comedentem, vel in balneo existentem interimit. Item hospes etiam inquilini et advenam, vel e converso inquinilinus et advena hospitem pro rebus auferendis jugulans, mortificator dicitur. Unde quiunque animo deliberato positis insidiis alium expectando captiose ipsum interficit, mortificator dici potest. Et talis si effugerit, statim sepulto mortificato semel citatur et statim proscribitur ipso jure. Homicida vel spoliator tribus judiciis infra IV septimanas citatus, si adhuc per duas septimanas quarto judicio non comparuerit, est proscribendus. Mortificator quidem equo alligatus per plateas est trahendus et postea rotandus; sed homicida et spoliator poena gladii mori debent.

523. De mortificationis procuratione. (ll. 123. C. 33<sup>b</sup>. 3. D. 115<sup>a</sup>. 1.) Qui consilio et pecunia aliquem occidi procuraverit, poenam non simplici homicidio, sed mortificationi debitam sustinebit.

lumniae et productis testibus, cum quibus sufficienter probet intentum, alias reus tribus edictis, sicut consuetum est, citatus, si quarto judicio non comparuit, proscriptur.

525. De mortificatione et traditionibus et eorum bonis. (H. 124. D. 115<sup>a</sup>. ergänzt in J. und W.) Stephlinus de Tracht civis Brunnensis, collector hospitii duos mercatores de Gewiczka domum suam sicut hodie intrantes et pecuniam octoginta marcarum sibi ad servandum dantes bona fide; cum die crastina quia in aurora recepta pecunia abirent, perfide tradidit, quod per suos complices ipsos sequentes in campis sunt invasi, pecunia depredati, vulnerati letaliter, et semivivi relicti; et qualiter jurati veritatem dictorum maleficiorum ex confessione Stephlini, quam in tormentis et post tormenta constanter in ea perseverans fecit, cognoverunt, apparel clare in processu subscripto, qui in praesentia Stephlini primo in judicio et secundo in solario domus suae, ante cujus hostium patibulum erectum erat, in quo Stephlinus catherinis usque ad triduum pependit, coram populo est sub verbis theutonicis voce praeconia taliter recitatus: Der vntrew bozbicht Stephel von Tracht, der hie stet, hat seine gest, die in seinen haus gestanden sint, felschlichen veroten, das si ermordet seint, die scheppfen in der weis auf die wahrheit kamen. „Si haben gesant czu der Gewicz czu denselben gesten vnd liesen si fragen, von wem si iren schaden hieten; do bechanten si, do si der morgens frue aus Stephleins haus scholten cziehen, do wolt man si nicht auslaffen, vnd in der weil stund Stephel auf und chomen leut vnd clopten an die tuer, czu den gie Stephel aus dem haus und raunet mit den, dornach do lies man die gest aus, die sahen in dennoch sten und raunen mitdenselben leuten, vnd auf dieselben leut legen die gest iren schaden. Nach derselben bechantnufs haben sich die scheppfen gericht, vnd haben gefangen Stephlein, vnd all sein hausgesind, vnd fragten Stephlein umb dieselb vorretnufs, der czaigt auf sein knecht, das man die dorumb czichtigicht, vnd die hat man gemartert, die haben alleweg ge laugnet, das si in umb die vorretnufs nictes nichte chunt sein. Dornach hat man Stephlein gemartert, do man sach, das er of sein knecht ge-

logen heet, do hat er die warheit bechant also: Er hab vir gesellen gehabt, die haben mit im ange tragen und er mit in, vor Stephleins tuer vnder dem gewelb, das man die gest ermordt hat, und ihs gutes peraubet und heet in czaichen gegeben, dass si fruekumen vnd klopfen an sein tuer, so si in treten. Do stund Stephel auf, vnd gab den gesellen ir gelt, und ging vor die tuer zu denselben mordern sein gesellen, und lies si sehen, das sein gest mit dem gelt ausriten. Die riten in nach und mordeten si und namen in das gelt. Do schol Stepheltail haben, anvnd dorumb, wen er ein vngewonigleich pozheit vnd vorretnuſs, die nie ist zu Brunn geschehen, getan hat, dorumb legt man in einen vngewoniglichen tod an, das man schlaift vnd fur sein aygen hans heecht, do di vorretnuſs ausgegangen ist vnd daz tuet man zu einem pilde, das sich ein jgleich man vor semlicher posheit huette. Und wer das hindert mit worten oder mit werken, der ist mit leib vnd mit guet bestanden.

Inter cetera Stephlinus interrogatus, de pecunia confessus est, quod eodem die, quo sicut recepta, complices ejus partem cum contingentem sibi offerebant, quam assumere nolens cautelose se suggestit, quod eo domi dimisso, donec factum antiquaretur et rumor in populo cessaret, pecunia tota simul a civitate Brunnam duceretur, ibique quilibet partem suam capiens ad diversa annualia fora in Stilfrid, in Petrone, Haimburgam, et alias divisim declinarent et diversi generis mercimonia, postquam emissent, successive per intervalla temporum Brunnam ducentes interrogantibus, responderent, quod sub credencia hinc inde apud socios et amicos pecuniam praetextu participationis lucri commodassent. Recedentibus igitur cum pecunia complicibus Stephlini ipso, ut praedicitur, in patibulo mortuo de bonis per eum relictis coram judicio excepto domini Marchionis specialiter ad hoc habita motae sunt querimoniae subnotatae. Primo creditores multiplices, tam christiani quam iudei proponebant, Stephlinum in diversis eis debitibus, obligari potentes pro se sententiam, cum in omni jure mortuo debitore principalis heres sit creditor, utrum ipsi de debitibus eorum, quae vel libro civitatis vel literis sub sigillis juratorum confectis vel alio fide digno testimonio demonstrare possint, non

sint ante omnes impetitores de bonis Stephlini pagandi. Uxor vero Stephlini proponebat, quia nomine dotis promisisset sibi quadraginta marcas, quas habere deberet supra domo sua, sive habitis, sive non habitis heredibus, diem extremum clauderet vitae suae, obligans se ad verificandum propositionem suam per testes idoneos ad contractum nuptialem vocatos et rogatos verum judicium civitatis Brunnensis, et alium probum virum de Pohorzelicz. Qui audit, modo, quo praemittitur, testabantur. Ultimo nomine mercatorum de Gewiczka, qui doloribus vulnerum, tamquam obstante causa legitima comparere non valebant, uxor unius eorum conquesta est in hunc modum. Stephlinus de Tracht maritum meum cum socio et ~~corum~~ pecunia, quam fidei suae comiserunt, in domum suam tamquam hospes recepit, et postquam facto mane recederint, ipsos suis complicibus, sicut homo perisidus tradidit, qui eos insequentes pecunia spoliarunt et mortificere vulnerarunt. Petivit igitur in sententia diffinitiva sibi dictari, cum Stephlinus dedita traditione sit confessus, prout notum est judici et juratis, et poenam mortis pro ea sustinuit, utrum de omnibus bonis, quae reliquit, non sit pecunia per malum dolum et fraudem Stephlini tradita persolvenda. Cessante praeccipue uxoris questione de dote cum ipsa una cum Stephlino, si aliquid de dicta traditione ad eum pervenisset, particeps fuisset, celasset, expendisset et in usus proprietor convertisset. Super quibus diffinitum fuit: Si quidquam de bonis mercatorum de Gewiczka in potestate Stephlini uxoris ejus vel alibi inventum fuerit, hoc ipsis debet restituiri, contradictione qualibet quiescente. Ad judicem enim pertinet, quod justis ablata restituat et malificos vivere non permittat; in aliis autem bonis Stephlini, cum ipse morte delictum suum poenituerit, potiores sunt habendi creditores. De dote vero mulieris inspectis et perfectis diligenter diversis sententiis super questionibus dotis ad loca plura scriptis et datis pronunciatum fuit, quod quia non esset sufficienter de ea cautum, ergo creditores de bonis Stephlini essent secundum temporis prioritatem, tamquam heredes propinquiores de suis debitibus, quae legitime probarent, expediendi. Domino etiam Marchioni quaerenti, quod juris sibi ad bona Stephlini sibi competeteret, ostentum fuit in Aichorns per juratos transcriptum privilegiorum civitatis, in quo hinc inde legeretur: nihil talium est inventum, quia de casu traditionis non fit ibi mentio specialis. Omnes etiam emendas ibi scriptas tollit judex nomine Marchionis, quod sicut judicij sic est et domino ci-

vitatis. Quandoque tamen iudex habet jus ad bona tantum, quandoque ad utrumque. Et de hoc quare inferius sub illo titulo: de poena falsarii denariorum et monetae, circa finem ejusdem sententiae.

**526. Mortificatio non committitur inter inimicos.** (H. 125, D. 115<sup>b</sup>. 1.) Cum Jacobus dictus Dresbicz per cognatos Leonis Plantonis, quem prius ordine judicario servato cremari procuraverat, in campis occisis fuisset, quaesitum est, utrum talis occisio mortificatio sit censenda. Ex adversa vero parte quaesitum est, utrum inimicitia manifesta, quae inter cognatos Leonis et Jacobum aliquot annis duraverat, mortificationem non excuset, et infra. Sententiatum fuit, quod qui prius notorias cum alio habuit inimicitias, si eum occidit, mortificator dici non meretur. Quilibet enim cavere sibi debet ab insidiis inimici. Unde propriissime nequam homines, qui ex intima cordis malitia non ex ignorantia vel impotentia peccantes mortem hominibus infirunt, mortificatores dicuntur.

**527. De mortificatione, quantum ad reum, quantum ad fugam, quantum ad excusationem, quantum ad convictionem, quantum ad calumniam, quantum ad proscriptionem et alia diversa.** (H. 125. B. 55<sup>b</sup>. 1. C. 33<sup>b</sup>. 6. D. 115<sup>b</sup>. 2. K. 200<sup>b</sup>. 2.) Praescripto homicidio in persona Jacobi Dresbicz facto, cum plures boni homines villani accusati fuissent, sententiata sunt subscripta. Si mortificatio fiat extra habitationem hominum, sicut in campis, silvis vel aliis locis consimilibus et actor conqueritur, de aliquo, tunc videndum est, utrum talis reus prius laudabile nomen habuit, et si sic est, actor metsecundus jurabit de calunnia, et si jurando deviaverit, reus absolvetur. Si autem non deviaverit, reus se metseptimus expurgabit, hoc etiam considerato, si reus tempore mortificationis in alio loco tam remoto, quod hic esse non potuit, se fuisse probavit per litteras sub sigillis authenticis confectas, vel testimonio proborum virorum, tunc rationabiliter absolvetur: nisi probetur, absens hoc dolo fecisse vel fieri curasse. Si autem reus accusatus de mortificatione prius laesam haberit famam et nomen malum, seu vitam culpatam, tunc temporis locus et aliae circumstantiae mortificationis considerari debent, et si ex ipsis considerari potest, quod veritati concordat et notabilem suspicionem facit de reo, tunc actoris testimonio convincetur ex praesumtione judicandus.

Si autem reus effugerit, una facta proclamatione continuo

proscribetur. Item si tamen accusatus, qui prius semper nomen bonum habuit, effugerit et mandaverit vel rescriperit, quia paratus sit, juri parere, judicandus est et non uno judicio proscribendus. Unde semper, cum reus in actu vel in fuga continua facta mortificatione non captus abscesserit et mortificatio non est notoria et manifesta, antequam proscribatur, actor jurabit de calunnia, jus suum demonstrando, quod si non fecerit, reus debitibus edictis tribus est citandus et postea quarto judicio si non comparuerit, proscribendus. In mortificationibus, quia occulte consueverunt fieri, praesumptiones maxime locum habent. De hoc quaere infra circa finem libri in illa rubrica de V. quod in vulneribus, homicidiis et mortificationibus.

### **Capitulum de officio et custodia pastoris.**

528. De officio pastoris et custodia pecorum et pecoribus ad nutriendum missis. (II. 125<sup>b</sup>. A. 46. B. 55<sup>b</sup>. C. 35<sup>a</sup>. 1. D. 116<sup>a</sup>. 2. K. 201<sup>a</sup>. 1.) Rustici diversarum villarum frequenter in consilio de officio pastoris et custodia pecorum quaerentes ex eorum relatione, quia majorem habent experientiam circa talia, quam cives, de subscriptis sunt instructi primo: quod nullus rusticus sive quicumque alter, pecora, quae gregem sequi possunt, domi fovere debet praeter pecora, pecudes et specialiter scrofas juvenes nutrientes. Item nullus habeat proprium pastorem in praejudicium pretii communis pastoris exceptis aliquibus villis, in quibus homo ad minus habens trium laneorum agros ex consuetudine propter pascuum diversitatem opilionem habere pro ovibus specialem.

Item si pastori communi solvitur pretium de laneis, tunc ne villa pastore caret adhuc habens opilionem, ut praemissum est de laneis suis pastori pretium solvet, sicut vicinus suus. Item pastor quicunque de pecoribus ante ipsum pulsis iterum in villam non impullerit, illa solvet, sed quae per praedonem vel lupum raptam fuerint, si super eo per unum testem clamorem se fecisse probaverit, illa non solvet. Et talis testis, quia pastor est in campus, puer vel mulier esse potest. Item si unum pecus laedit aliud et pastor pro eo fuerit accusatus, si vult innocens fieri, sub juramento suo demonstrabit id, quod aliud laesit, quo facto laesum pecus per juratos taxatum dominus pecoris, quod laesuram fecit, ad suum stabulum recipiet, ipsum pascens et custodiens, quoisque ad campum ire potens vero domino sanum

restituat et assignet. Si vero in ejus potestate mortuum fuerit, taxam solvet.

Item si pastor accusatur, quod pecus ad villam non impullerit, suo juramento se expurgabit. Tamen si facta impulsione pecus domum non venerit et dominus pecoris dum duobus probis viris pastorem accesserit et de pecore perduto impulsaverit, tunc pastor expurgatione cessante pecus solvet.

Si vero pastor dicat, pecus ante se pulsus non fuisse, dominus pecoris cum duobus viris probis, qui viderunt, melius probabit, quod pecus ante pastorem pepererit, quum pastor possit suam innocentiam dejurare.

Consuetudo tamen singularum villarum in praemissis omnibus pro lege est tenenda.

In aliis omnibus necessitatibus ruralium quidquid magister rusticorum, quantum ad villana campestria et silvana pro utilitate villae cum consilio partis majoris communitatis statuit et ordinavit, hoc minor pars ratum habebit, nec poterit reclamare.

Item si pecus ad pascendum alicubi missum fuerit et ibidem moriatur, deterioretur, vel per praedones rapiatur, ille, cui missum fuit, ipsum non solvet; si tamen tale damnum pecori non accedit sua negligentia faciente. Si autem per furtum de aliis pecoribus receptum fuerit, ipsum solvet. Item si ex pestilentia, quod vulgariter „Schelm“ dicitur, moriatur, tunc eutem demonstrando liber erit. Si autem sine licentia domini, cuius est, ipsum alicui concesserit, et ibidem moriatur, deterioretur vel alio modo perdatur, ipsum solvet.

### **Capitulum de pace iudicta.**

**529. De pace partibus iudicta in genere.** (II. 126<sup>b</sup>. A. 47. 1. B. 56<sup>a</sup>. 1. C. 35<sup>b</sup>. 1. D. 116<sup>b</sup>. 1 K. 201<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est in Chremisir. Si pace iudicta pendente pars parti non assurgit, potum sibi porrectum non suscipit, eam non salutat, nec alia hujusmodi, quae animo duplice seu bono et malo zelo fieri possunt, facit, propter hoc non censetur pacem violasse. In talibus enim dubiis interpretatio benignior est adhibenda.

**530. De pace factis violata.** (II. 126<sup>b</sup>. B. ibid. C. 35<sup>b</sup>. 2. D. 116<sup>b</sup>. 2.) Cum Nicolaus dependente pace per judicem et juratos sibi iudicta Ottone m de Chremisir vulnerasset, et pro eo effugisset, ad requisitionem judicis civitatis

sententiatum fuit, quod quicunque pacem frangendo alium vulnerat, sustibus cedat, crinibus ad terram projiciat, pedibus conculcat, pugnis percutiat, vel alio modo contumeliose laedat, dato eliam, quod ex tali laesione mors non subsequatur, adhuc violator pacis si rapitur, capite truncatur. Si autem recedit, statim proscribitur et tertia pars bonorum, quae reliquit, ad judicem pertinet ipso jure.

531. Pacem violans factis primo judicio proscribitur. (II. 126<sup>b</sup>. B. ut supra. C. 35<sup>b</sup>. 3. D. 116<sup>b</sup>. 3. K. 201<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est rusticis de villa Droholcz, quod quicunque pacem a judice sibi indictam videntibus juratis infregerit et pro eo effugerit, statim primo judicio proscribetur.

532. Pacem factis violat agitans alium evaginatis gladiis et cultellis. (II. 127<sup>b</sup>. B. ut supra. C. 35<sup>b</sup>. 4.) Jurati de Wissaw scripserunt sic. Postquam duobus per judicem pax esset indicta hodie, unus eorum statim in crastino alium invadens gladio evaginato juratis videntibus ipsum agitavit, et cultellum nudum post ipsum projectum. Quaerimus ergo, utrum talis judicandus sit pacem fregisse. Super quo sententiatum fuit, quod sic. Ille enim, qui gladio alium agitando post eum cultellum projecterit ad occidendum ipsum, quamvis favente fortuna salva vita manibus ejus evaserit, firmum tamen propositum et bonam habuit voluntatem, ex quibus cum totum, quod in se fuit, fecerit, in favorem pacis et justitiae censendus, eum pacem factis merito violasse.

533. De pace, quantum ad emendam violationis, quantum ad expurgationem, quantum ad familiam illorum, quibus pax indicitur, et quantum ad alia. (II. 127. B. 56<sup>b</sup>. 1. C. 35<sup>b</sup>. D. 117<sup>a</sup>. 2. K. 201<sup>b</sup>. 3.) Jurati de Pisencz proposuerunt, quod, postquam duobus eorum concivibus similiter litigantibus per verba consueta et debita, per judicem pax fuisset indicta unus ipso rum servum commensalem alterius in campo graviter vulnerans coram uno de juratis, de hoc sub his verbis est confessus: In adversario meo vindictam sumpsi, quia servum ejus percussi et vulneravi. Interrogaverunt ergo primo, utrum talis vulnerando servum, cui pax indicta non fuit, fregerit pacem. Et secundo, quam poenam vel emendam incurrit. Et tertio, qualiter violatio pacis facta verbis sit emendanda. Et ultimo, quomodo negans violationem pacis se debeat expurgare. Quibus dissinitive responsum fuit ad

primum. Quod ille, qui servum alterius vulneravit, maxime ex verbis, quae coram jurato protulit, scilicet in adversario meo vindictam sumpsi, judicandus est pacem factis violasse. Unde cum alicui pax indicitur, non solum cum adversario, imo etiam cum familia, quae pane suo vescitur, pacem servare debet, et similiter adversarius e converso. Debet etiam pacem sibi indictam unusquisque suis commensalibus intimare. Si enim pace domus indicta famuli unus alium pace durante vulneraret, dominus famulorum corundem, quia ex ejus mandato talem vulnerationem esset verisimile processisse, censetur pacem fregisse. Ac tamen si famuli dictorum dominorum pace pendente eis absentibus nec praeccipientibus ad invicem se vulneraverint, pax non judicabitur violata. Ad secundum autem dictum fuit, quod praedictus servum alterius vulnerans, quia pacem factis fregit, est decolandus. Et pro hoc est tam vulnerato, quam judici satisfactum. Bona vero, quae dimittit, ejus heredibus relinquuntur. Ad tertium autem responsum fuit, quod pro emenda violationis pacis facta per verba, sive sint verba comminatoria, sive turpia et inhonesta, dato etiam, quod sint levia, dummodo ad audiendum sint opprobriosa, solvenda sunt V talenta, de quibus duae partes cedent judici, et tertia civitati. Et colligitur ista emenda ex juribus originalibus, ubi pro maximo excessu verborum, sicut est blasphemia vel falsum testimonium, pro redemtione linguae ponuntur V talenta. Pro ultimo vero dictum est, quod homo negans violationem pacis, debet se cum honestis viris in cruce metterius expurgare.

534. De pace indicta et violatione ejus negata sequitur: De pace, quantum ad fidejussores. (H. 127. A. 48. 5. D. 35<sup>b</sup>. 8.) Postquam in Sabars, fidejussoribus pro pace per judicem indicta partibus servanda datis, una partium alteram partem, quae tamen, cum judex pacem servari praecepit, non interfuit, occidens effugisset, sententiatum est, quod sicut in homicidam, si personaliter compareret agi possit, sic fidejussor esset secundum justitiam impetendus. Non solum enim illi, quibus praesentibus existentibus pax mandatam ipsam, ad invicem custodire mutuo debent, imo etiam fide bona servabunt alterutrum eorum familiares domesticos et propinquos.

### **Capitulum de poenis.**

535. De poenis in genere, quantum ad earum distinctionem, quantum ad personas delinquentes,

quantum ad modos, quibus delinquitur, et quantum ad alia diversa, ex quibus sententiae subscriptae ut plurimum sunt collectae. (Il. 127<sup>b</sup>. A. 48. B. 56<sup>b</sup>. 2. D. 117<sup>a</sup>. 3. K. 202<sup>b</sup>. 1.) Homines delinquunt aut proposito, aut casu, aut impetu. Proposito delinquunt latrones, qui societatem habent cum aliis in via; impetu autem cum pro ebrietate ad manus, aut ad ferrum veniunt; casu vero, cum in venando telum in feram missum hominem interficit; Facta puniuntur ut furtæ et homicidia, aut dicta, ut convicia et perfidae advocationes, aut scripta ut falsi et famosi libelli, aut consilia fraudulenta ut coniunctiones et latronum conscientia et qui suadendo aliquos inducunt ad maleficia.

Et haec quatuor genera consideranda sunt septem modis, scilicet: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu.

Causa, ut in verberibus, quae a magistro vel parente illata et punita sunt. quia emendationis, non injuriae gratia videntur adhiberi. Punitur autem, cum quis per iram ab extraneo pulsatus est.

Persona dupliciter spectatur: ejus, qui fecit et ejus, qui passus est. Aliter enim punitur ex eisdem facinoribus servus quam liber, et aliter, qui in dominum, parentem ausus est, quam qui in extraneum; consideratio aetatis etiam in talibus est habenda.

Locus facit, ut idem vel furtum vel sacrilegium sit.

Tempus discernit furem diurnum a nocturno;

Qualitate cum factum atrocius vel levius est, ut furtæ manifesta a non manifestis discerni solent.

Quantitas discernit furem ab abigeo; nam qui unum porcum subripuit, ut fur coercitur; qui gregem, ut abigerus.

Eventus spectatur, ut a clementissimo quoque facta, licet lex non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit occisus, quam qui occiderit, puniat. Et ideo apud Graecos exilio voluntario fortuiti casus puniebantur. (Si poena alicui irrogatur in heredem non transit, quia poena constituitur in emendationem hominum, quae mortuo eo, in quem est constituta, desinit.)

Evenit, ut eadem scelera in quibusdam provinciis gravius plectantur, ut in Africa messium incensores, in Mysia vitium ubi metalla sunt adulteratores monetæ. Saepe etiam evenit, ut aliquorum supplicia exacerbentur, quoties multis personis ad malum nimium intentibus exemplo opus sit. Praegnantio mulie-

ris condemnatae poena differtur usque pariat. Nec questio de ea habeatur, quamdiu praegnans est, et sic prodest partus ali antequam nascatur. Item mulier non omni poena sed poena mulieri congrua puniatur. Rescipiendum est judicanti, ne quid durius aut remissius constituat, quam causa depositit, quia nec severitas, nec clementiae gratia affectanda est, sed debito iudicio, prout quaelibet res postulat, statuendum est. Et plane in levioribus causis priuiores ad levitatem judices esse debent, et in gravioribus poenis severitatem legum cum quodam temperamento benignitatis subsequi. Furta domestica, si leviora sunt, publice judicanda non sunt, nec admittenda est hujusmodi accusatio, ut si servus a domino et libertus a patrono, in ejus domo moratur, vel mercenarius ab eo, cui operas suas locaverat, offeratur questioni. — Omnia commissa in patronum, patronive filium, patrem, propinquum, maritum, uxores, eeterasque necessitudines gravius judicanda sunt, quam in extraneos; verumtamen capite puniendi sunt, aut si dignitatis respectu oportuerit deportandi. — Poenae sunt, quae aut vitam adimant, aut servitutem injugant, aut civitatem auferant, aut exilium aut coercitionem corporis contineant; veluti fustium verberatio, flagellorum castigatio, vinculorum adnotio, aut damnum cum infamia, aut dignitatis alicujus depositio, aut alienus actus prohibitio. Sed vita adimitur, sicut si damnatur aliquis ad poenam gladii, et talis gladio puniri debet, non secari, vel telo, vel fustibus, vel laqueo vel aliquo alio modo. Unde nec liberam mortis facultatem concedendi jus praesides habent, et multo magis nec veneno necandi, nec ea quidem poena damnari aliquem oportet, ut verberibus necetur vel virgis interimatur vel tormentis, quamvis multidum torquentur, desicere solent. Praesides solent aliquos damnare, ut in vinculis perpetuis contineantur, sed eos facere non oportet; nam hujusmodi poenae interdictae sunt. Carcer enim ad continentos homines, non ad puniendos haberi debet.

Capitalium quoque poenarum fere isti gradus sunt, et summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio; item vivi crematio, quae quamquam summi supplicii appellatione merito contineatur, tamen eo, quod postea id genus poenae adinventum est, posterius primo visa est; item capitinis amputatio, deinde proxima morti poena metalli coercitio id est servitus, postea in insulam deportatio, quae inducit amissionem civitatis. Ceterae poenae ad existimationem licet non ad capititis periculum pertinent, veluti relegatio ad tempus vel in perpetuum in insulam, vel

cum in opus publicum quis datur ad tempus, vel cum fustium ictui subjicitur et haec infamant. Sed non omnes fustibus cedi solent, sed hii solum, qui liberi sunt et quidam magis tenues homines; honestiores vero fustibus non ceduntur, servi vero flagellis afficiuntur. Sunt enim poenae rotatio, per plateas lapsatio, cum fustibus perforatio, et vivorum tumulatio, et in aquis submersio. Judex adulterii ante oculos habere debet et inquirere, an maritus pudice vivens mulieri suae bonos mores colendi auctor fuerit. Iniquum enim videtur esse, ut pudicitiam ab uxore vir exigat, quam ipse non exhibebat committendo, scilicet lenocinium, quae res etiam virum damnare potest, nisi rem ob compensationem mutui criminis in utrosque velint communicare. Item in illa uxore potest maritus adulterium accusare, quae prius etiam fuit meretrix: quamvis si vidua vel vulgaris esset impune in eam stuprum committeretur. Qui publicam pecuniam delatam in usum aliquem retinuit nec in eundem usum consumserit, interdictione ignis et aquae punitur, hoc est, deportatur, et ita bona amittit. Et similiter punitur ille, apud quem ex locatione, emtione vel alia ratione pecunia publica resedit. Qui dolo malo consilio vel opera procurant, ut armati homines cum telis et lapidibus in urbe convenient, qui seditiones et tumultus excitant contra rectores civitatis, crimine majestatis tenentur. Similiter qui pecuniam publicam aut sacra surantur, crimine sacrilegii tenentur, et sunt proxima ad invicem ista crima sacrilegii et majestatis, et poenam eorum debet judex, pro qualitate personae rei, quoque conditione et temporis et aetatis et sexus vel severius vel clementius statuere: et scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, non multos etiam vivos extitisse; alias vero in furcam suspendisse, sed moderanda ea poena est usque ad bestialitatem eorum, qui manu facta tempora effregerunt. Qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc commisit, absoluvi posse, et qui hominem non occidit, sed vulneravit ut occideretur, pro homicida damnari posse lex dicit. Non enim casu sed magis ex voluntate homicidium est pensandum. Item qui stuprum sibi vel suis per vim inferentem occidit, dimittendus est. Filium inaudatum et pro commisso non accusatum pater occidere non potest, sed accusare debet eum apud judicem competentem. Qui venenum necandi hominis causa fecerit, vendiderit vel habuerit, vel qui publice mala medicamenta vendiderit, poenam mortis meretur.

Item qui novum vectigal instituerint ex senatus consulto

in quadruplum damnantur, et judicium tale similiter adversus eorum heredem exereatur.

**S**i mulier visceribus suis vim intulit, ut abortivum faciat, exulabit.

**I**tem si furem nocturnum quis occiderit, ita impunis erit, si parcere ei sine periculo suo non potuit.

**I**tem in maleficiis voluntas spectatur, non exitus.

**I**tem nihil interest, occidat quis, an causam mortis praebeat. — Quod ab aliquo poenae nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. Si mulier filium vel filiam occiderit, poena parricidii moriatur.

**536. De poena occisionis prolis;** (licet poena, quam praesens continet sententia, opere non fuerit completa, tamen jurati ad perpetuam futurorum memoriam ipsam scribi et notari jussérunt<sup>1)</sup>). (II. 129<sup>b</sup>. D. 119<sup>a</sup>. 1.) Cum in Antiqua Brunna mulier infantem, quem genuerat, in Swarczavia submersisset et eadem causa, qualiter dicta mulier esset punienda, quia statim post necem infantis submersus cum matre, quasi in actu submersionis rapta fuit inventus, ad consilium civitatis esset devoluta, jurati praesentis et anni praeteriti numero vigintiquatuor de dicta poena diversimode sunt locuti. Dicebant enim quidam, cum quibus concordabant jurati ad judicium Antiquae Brunnae spectantes: quod ipsa mulier non esset aliqualiter punienda ex eo, quod, cum infantem genuisset et proprium jus in eum habuisse, ipsum perimere potuit et necare; quilibet enim in re sua, quod ei placet, facere potest. Alii autem dicebant: quod judicio spirituali esset punienda, quia sicut contractio et solutio matrimonii, sic et prolis peremptio ad forum ecclesiasticum spectaret. Unde mulier confitendo reatum suum a confessore auctoritatem habente poenitentiam deberet consequi salutarem. Ultimi vero dicebant, quod talis mulier diabolica pro delicto tam maximo ac gravissimo, plus quam simplex homicida, poena esset asperrima crucianda, et sicut ipsa mortem pueri sui raram et insolitam ex malitiosa industria procurasset, sic ex parte judicii rara et inconsueta poena esset excogitanda, quod plusquam mortificatrix puniretur: cum illud, quod concepit et peperit, et quod partem ejus substantiae quodammodo in se habuit, perimere praesumisset. Dictis igitur tribus viis, ut praemissum est propositis omnes simul jurati in hoc con-

<sup>1)</sup> Dieser richtige Beisatz fehlt in K. und C.

senserunt, quod videndum esset, ante absolutionem vel condemnationem mulieris, utrum tempore submersionis et ante et post ratione privata, vel rationis compos fuisset, vel adhuc esset. Et si judicio phisicorum et sapientum, qui hoc investigare sciunt, inventa fuerit ejus vesania vel mentis alienatio, tunc indebito puniatur; dicunt enim leges: Si sciens et prudens deliquit, punitur, secus autem, si imprudens et nesciens. Item lex dicit furiosi nulla est voluntas, unde habetur pro absente. Sed omne delictum est voluntarium; et si non est voluntarium, non punitur. Item alia lex dicit, quicquid calore iracundiae vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si ex perseverantia apparuerit, indicium animi fuisse. Et quod dicitur de calore iracundiae, hoc idem intelligatur de calore in furore. Item lex dicit, infans vel furiosus, si hominem occidit, lege Cornelia non tenetur; cum alterum innocentia consilii tueatur, alterum facti insilicatas excuset. Si autem sanae mentis fuerit, tunc erit puniendus gravius, quam simplex homicida. Quia dicunt leges: Omnia commissa in patronum, patronive filium, patrem, propinquum, maritum, uxorem, ceteraque necessitudines, gravius judicanda sunt, quam in extran eos. Nota tamen, quod poena dictae mulieris etiam in legibus sub his verbis est specialiter expressa: „Si superiores vel inferiores, vel collaterales, ut fratres, sobrini, patrules et proximiores eis, item uxor, nurus, gener, vitricus, praevignus, socer et etiam patruus parentis aut filii, affinitatis ejus aliquem ausus fuerit necare, aut ille, cuius dolo malo id factum est, vel conscientius criminis extitit, licet extraneus sit, poena parricidii punitur, et neque gladio neque ignibus, neque ulla alia poena solenni subjiciatur, sed ad effusionem sanguinis verberatur, coreo cocto insitus cum cane et gallo galinaceo, et vipera et simia et inter ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel in amnum projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, et ei coelum superstiti terra mortuo auferatur. Et si quis autem alias cognatione vel affinitate conjunctas personas necaverit, poenam homicidii sustinebit.

Et quid dixerunt primi jurati, quod mulier non esset punienda, quia ejus fuerit puer, et qualibet de re sua facere possit, quid ei placet, non est consulte dictum, quia nemo ex suo delicto conditionem suam meliorem facere potuit. Unde delinquentes constat deteriorare conditionem suam, quia patiun-

tur poenas corporum et rerum. Ille etiam non est melioris conditionis, qui donat illicite, quia donando delinquit. Unde et leges, licet concedant, aliquem rebus suis propriis uti, tamen non concedunt abuti.

**D**ictum etiam secundum, scilicet quod mulier deberet reatum confiteri et spiritualiter absolvit, poenitentia sibi injuncta, non est consonum juri civili. Cum lex poenam dictae mulieris expresse scribat ut supra: non obstante etiam, quod necatio sobolis sicut et matrimonium, si ad forum ecclesiasticum tantum spectarent, adhuc poena necationis esset legalis. Imperator enim, sicut in multis legibus patet, intromittit se de spiritualibus propter hoc, ut excedentibus in spiritualibus poenas etiam imponat temporales. Dicta enim sententia obtinet ideo, quod alibi scribitur in legibus. Si mulier ante quadragesimum diem, postquam concipit aborsum, procuraverit, est exilio releganda; postquam autem foetus animatus est, si hoc fecerit, secundum legem Moysi punitur ut homicida. Et si poena legalis praescripta fortassis his in partibus non est usitata, recurras ad poenam statim in sequenti sententia subscriptam.

**537. De poena mulieris proprium puerum judaeis vendentis.** (H. 131. D. 120. 1.) Nefanda mulier assumta sibi socia cuidam antiquo judaeo Brunnenensi Osel nomine infantem, uteri sui crinibus et facie subrufum, pro sex marcis grossorum venalem exposuit. Judaeus vero, quasi gavisum singens se et continuo tres marcas mulieribus exhibens, cum superhabenda deliberatione emtionis infantis cum episcopo et suis senioribus terminum eis sicut die crastina hora diluculi ad cellarium quoddam cum infante veniendi assignasset judicem suum cum duobus juratis occulte factum eis exponens ad idem cellarium invitavit. Qui postquam mulieres venissent, et forum in eorum praesentia pro tribus cum dimidia marcis infantem jam judaeis tradendo finaliter constituisset, ipsas capi mandantes casum in pleno consilio juratis proposuerunt. Qui advertentes, quod in tam magno maleficio voluntas merito reputatur pro facto, et quod, qui sibi et sui corporis parti malus est, nulli bonus censendus est, et quod faciens et consentiens pari poena plectendus est, ambas dietas mulieres mortis dignas suppicio diffinitiva lata sententia condemnarunt. Fuit ergo mater infantis viva humata et secunda, quia praegnans erat et gravida, exoculata.

538. De poena mulieris mortem mariti procurantis. (Il. 131<sup>a</sup>. D. 123<sup>b</sup>. 3.) Judex et jurati de Broda Ungaricali scripserunt sic: Experti sumus, quod mulier de jussu suo et facto et consilio, una cum auxilio ancillae suae, maritum proprium XXI vulneribus vulneratum mortificari in suo cellario procuravit, nec aliquam praetendunt excusationem, quam possint se salvare, vel suam innocentiam demonstrare. Quaeritur ergo, qua poena mori debeant pro crimen tam nefando. Quibus responsum fuit, quod poena rotali puniri debent. Si enim vir tam grande scelus perpetrasset, primo equo in caudam ligatus per vicos et plateas deberet trahi, et tandem rotari. Quia vero in tractu tali pudenda deteguntur honestati sexus muliebris in hoc parcitur, et tantum poena rotali punitur.

539. De poena ex proposito alium mutilantis. (Il. 131. D. 123<sup>b</sup>. 4.) In Pisencz juvenis quidam, cum puellam sibi despontari rogasset a patre puellae, responsum accepit, quia pro nunc filiam suam despontare non possit, ex eo, quod lapsus in facultatibus nuptiarum insignia sibi procurare non valeret, processu vero temporis, si prosperiores haberet successus, libenter super eadem despontatione cum suis cogitari vellet amicis. Quo auditio juvenis vesano vel magis diabolico ductus spiritu, puellam de corea, manu violenta et cum cultello nasum cum maxilla media abscondens eidem, ipsam insuper per crines ad terram projiciens, tribus vulneribus, quorum quodlibet palmae continet longitudinem, vulneravit. Praedicta scabini et plures homines ad coream stantes viderunt et in ipsum sunt more consueto districte de hoc interrogati, tacta cruce coram judicio sunt conquesti, quia prius dixit coram scabinis et aliis fidetdignis hominibus. Ex quo tu me ducere non vis, omnibus viris te faciam despectam; et de hoc similiter per testes est convictus. Quaesitum est ergo de poena etc. Super quo rescriptum est in sententia dissimilitiva. Cum crescente delicto crescere debeat et poena, cum etiam plura delicta secundum juris formam pluribus vindictis debeant judicari, quod dictus malus homo, de quo nobis scripsistis, secundum maleficia, quae fecit mortificator merito reputatur, et hoc non solum ex facto, quod perpetravit, sed ex animo malignandi et mente ac intentione corrupta, quam habuit, quin violenta et armata manu puellam invasit. Quicunque enim ex proposito et animo deliberato alium invadit, licet etiam non occidat, tamen si solum vulneret, secundum malam ejus volun-

tatem, quam habuit, ut mortificator punitur. Debet ergo dictus homo, cauda equi alligari et per diversas plateas trahi, hincinde et interim voce praeconia debent excessus sui publicari, postea vero super fossam ad hoc factam debet poni, et singula ejus membra cum rota concuti et tandem super rotam in altum extendi, quod sic vidente populo moriatur. Et quod dictum est, in sententia de mortificatione et mente corrupta obtinet, quod secundum leges in maleficiis potius voluntas et effectus inspicitur, quam defectus. Et pro ista materia recurre supra ad titulos de emendis et infra ad titulos de vulneribus et tormentis.

**540. Poenam corporalem pro maleficiis illatum consequitur amissio civitatis.** (H. 131<sup>b</sup>. D. 49. 4. B. 47. C. 36<sup>a</sup>. D. 124<sup>a</sup>. I. K. 203<sup>b</sup>.) Ab antiquo consuetum est, quod quicumque pro maleficiis flagellatur, membris mutilatur, vel aliter secundum justitiam corpore vitiatur, illi civitas est interdicta, nec de cetero est ejus sibi introitus concedendus.

**541. De poena illius, qui minis procidentibus occulte homicidium facere machinantur.** (H. 131<sup>b</sup>. D. 120<sup>b</sup>.) Accidit (hic in Brunna) quod quidam habens concubinam alteri bono homini pro eo tantum, quod eandem concubinam longe antequam usurpasset, sibi ea carnaliter et solitus cognoverat, latens odium inimicitiasque lethales occulto pectore gessit. Et tandem in via, qua ecclesiam frequentari consueverat, ipsum animo necandi armis prohibitis, scilicet cultello longo, misericors dicto, bina vice invasit, ita, quod vir per visitantes domum dei hoc idem facere impeditus fuit et postea iterum multis comminationibus periculum vitae poscentibus promissis in alio loco, in quo latebat, item maleficus occidendi animo in ipsum prorumpens et nisi dictum cultellum citius sua defensione avertisset, vita ipsum exuisset. Cumque idem invasor per famulos judicis in fuga prensus captivitati traderetur, ipse audientibus juratis nullam aliam pro se allegans causam, nisi illam, quae de concubina superius tacta est, de proscriptis nequiciis ac minis publice recognovit. Quaesitum ergo fuit, qua poena talis insidiator deberet puniri. Super quo casu jurati occultas inimicitias, quas ad effectum idem deducere non potuit, non ex vehementia vel ex furore mentis, sed ex malo proposito praecessisse ponderantes sententiaverant, quod dicto insidiatori, ut de cetero invasus ab ipso remaneat, totus et illaesus ejus oculi essent

ernendi. Et sortitur vim ista sententia ex eo, quia ignota inimicitia vix vel nunquam caveri potest, cognita autem bene caveri potest.

542. De poena falsarii literarum. (H. 132. D. 120<sup>b</sup>.) Cives de Broda Ungaricale scripserunt sic: Contigit, quod quaedam matrona post obitum mariti sui per suos pueros pro rebus et hereditate impugnata in nostra constituta praesentia nobis suum defectum proposuit, cum querela affirmans propter consolationes cuiusdam civis, quod vellet suam justitiam per sigillum civitatis et literam demonstrare, quam ob hoc factum inducivimus, quae minime snam justitiam ostendere potuit, ut promisit.

Inter cetera contigit, quod ex edicto illustris principis Marchionis septem civitates debebant obligari. Nos autem mature consilio duos de nostris civibus cum sigillo civitatis membranae appenso Pragam transmisimus, quod secundum voluntatem et desiderium domini nostri praedicti deberet ingrossari. Nimia autem dilatione facta propter expensarum difficultatem cives de praedictis civitatibus unum de duobus remiserunt et similiter unus de nostris revenit, qui se justum in omnibus negotiis sibi commissis et fidelem demonstravit. Alter autem remanens membranam cum sigillo servavit, scriptorem conveniens aliunde falsam literam sibi fieri et scribi fecit nostrae civitatis sub sigillo. Tandem talis civis reveniens ad praedictam matronam talia verba movit, quod indubitanter scire deberet, quia sicut promisit literam fieri sibi, hanc in promptu jam haberet. Paupercula vero confidens de suis verbis sperabat, se posse suam justitiam lucide probare, quae nec potuit, nec adhuc literae copia nobis datur.

Petimus ergo quibus emendis talis civis per judicem sit occupandus, vel quali judicio, cum talem mulierem ad talia scandala duxerit, a nobis cum jam sit profugus, debeat judicari. Similiter de domina, quae voluit salvari per literas, et non potuit, quibus emendis per judicem vel per nos debeat occupari. Quibus responsum fuit sic, quod matrona, quae literas, per quas suam justitiam se velle demonstrare obligaverat, non exhibuit in causa, quam pueri sui sibi moverant, succubuit ipso jure. Vester vero concivis, qui membranam sigillo vestrae civitatis sigillatam alio tenore, quam ipsi scribi feceratis, ut dicitis falsificavit, si pro excessu tam gravi captus et convictus fuisset, incendio tradi sine gratia debuisse, quia vero profugus factus est, ut vestrae dicunt literae,

pro vitio tam detestando, quantum ad personam suam perpetua damnandus est proscriptione; de rebus vero suis, quas reliquit, tertia pars judici, tertia liberis et uxori, et tertia actori, ejus vicem in hoc facto gerit et habet, civitas secundum juris formam cedere debet. Et reducitur haec sententia ad titulum jurium originalium subscriptorum de proscriptione. Et quando excedens tantum puniatur in bonis, vel in persona tantum, vel in utroque, quaere in fine sententiae statim subscriptae.

543. De poena falsarii denariorum et monetae. (H. 132<sup>b</sup>. D. 121<sup>b</sup>. 1.) Cives de Radisch scripserunt sic: Quidam nobis concivis, cum suis mercibus ivit Ungariam, ubi cum falsis denariis fuit captus, a qua captivitate cum pecunia se absolvit. Judex vero noster vult habere jus ad bona sua in Radisch. Quaesivit igitur praefatus olim noster concivis per literas, quas de Ungaria nobis scripsit: ex quo corpus suum a judice, sub quo excessit, semel redemit, utrum secundario a judice de Radisch, sub quo non excessit, redimere debeat ipso jure. Super quo sententiatum fuit. Cum pro excessu tam gravi, sicut est falsitas denariorum, pro qua non uni loco, sed quodammodo pluribus damnum infertur, homo in persona et rebus sit damnandus, non obstante, quod talis in Ungaria vitam suam salvavit, pecunia adhuc bona, quae reliquit in Radisch, confiscanda sunt per istum modum, quod tertia pars cedit judici et tertia pars civitati in Radisch, in qua domicilium habuit; et quia judex vicem actoris supplet, in hoc casu tertia remanebit uxori et liberis. Unde considerandum est, quod judex, quandoque habet jurisdictionem ad res tantum, sicut cum pax per ipsum indicta violatur verbis; quandoque autem ad personam tantum, sicut cum eadem pax violatur factis, quandoque autem ad utrumque, sicut in nota falsariae in crimen laesae majestatis, vel in alio consimili reatu.

544. De poena substrahentis sacramentum eucharistiae. (H. 133<sup>a</sup>. D. 121<sup>b</sup>. 1.) Duo scolares sacramentum altaris, videlicet quatuor hostias consecratas in Modricz de parochia furtive in capsu seu pixide deaurata, receperunt. Et cum dictum sacramentum iudeis Brunnenibus ad vendendum portassent, iudei perterriti misso secrete pro suo judice eosdem capi procurarunt. Quaeritur ergo, qua poena sint percellendi pro scelere tam immenso. Et respondetur in sententia diffinitiva, quod in hoc

casu voluntas venditionis gravior est judicanda, quam actus furti. Unde dicti malefici potius tamquam heretici in favorem fidei igni sunt tradendi, quam sicut fures poena patibuli tormentandi.

545. De poena sacrilegii. (H. 133<sup>a</sup>. D. 121<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est civibus in Wissaw, quod licet fures indifferenter suspendio tradantur, quicumque tamen sacrilegium commiserit et ornamenta ecclesiastica substraxerit, rotali poena debet mori.

546. De poena falsorum taxillorum (ibidem). Sententiatum est juratis de Huleyn, quod quicunque trium virorum vel unius scabini testimonio convictus fuerit, quod falsos tasseres ad ludum concesserit vel cum eis luserit, pollice mutiletur.

547. De poena traditoris filii. (ibidem) Ad petitionem juratorum de Geyaw sententiatum est, quod quicunque alteri filium vel filiam parvulam educendo deduxerit et ad vendendum tradidit, rotali sententiae subjacebit.

548. De poena falsificationis claves. (H. 133<sup>b</sup>. D. 122<sup>a</sup>. 1.) Civibus de Wissaw sententiatum est, si aliquis faber, filio, filiae, vel alicui de familia alicujus, vel alteri cuique falsas claves fecerit, et mettertius de hoc convictus fuerit, manum perdat; potest tamen, si excusare se voluerit, in cruce mettertius se purgare.

549. De poena furti, apud aliquem inventi. (H. 133<sup>b</sup>. D. 122<sup>a</sup>. 2.) Ad extirpandum de bonorum medio fautores, receptores et conservatores maleficorum, qui cum eisdem pari puniendi sunt poena, pro sententia diffinitiva sententiatum est a consulibus civitatis ab antiquo: quod apud quemcumque equus, vacca, porcus, vestimenta vel aliae res in civitate amissae seu subtractae, inventae fuerint, si talis mettertius probaverit, se in foro res hujusmodi emisse, vitam suam salvabit. Si autem in testimonio defecerit, suspendio peribit.

550. De poena furtive mactantis pecora. (H. 133<sup>b</sup>. D. 122<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est etiam ab antiquo. Si aliquis accusatus fuerit, quod vaccam, bovem, porcum, ovem vel aliud pecus furtive mactaverit, si talis respondendo confessus fuerit, quod datorem suum monstrabit et statuet, absolvetur. Si vero negaverit manu, tertia se expurgabit, et si in juramento ceciderit, valorem pecoris mactati actori solvet.

551. De poena deficientis in testimonio furti. (H. 133<sup>b</sup>. D. 122<sup>a</sup>. 4.) Judex et jurati de Hulein

scripserunt sic: Quidam noster concivis vacuum, quam in foro emerut, alteri vendidit, apud quem postea vacca subtraeta fuit arrestata; a qua cum ipsam, sicut se probaturum obligaverat coram judicio, disbrigare debuit arrestatione, testimonium habere non potuit. Quae crimus ergo quomodo pro eo debet puniri, qui nihilominus ipsum esse fidelem hominem protestamur. Quibus responsu fuit sic. Quia concivem vestrum, qui pro disbrigatione vaccae testimonium habere non potuit, fidelem esse hominem protestamini, sententiamus diffinitive, quod vacca arrestatori assignata et pecunia, pro qua vaccam venderat emtori, restituta judicii tantum in LXXII parvis denariis, qui sex grossos pragenses faciunt, obligatur pro emenda. Unde quamvis statutum sit, quod, si aliquis pro incusatione furti in probatione defeccerit, suspendio peribit; tamen judices et jurati, sicut legislatores et interpretatores debent circa hoc non solum factum et excessum, sed etiam circumstantias, quae eundem excessum quandoque aggravant, et quandoque alleviant, et etiam personam, quandoque excedentem, quae quandoque est fidelis et bonae famae, sicut in proposito, quandoque vero infamis et suspecta considerare, et secundum hoc in judicando intentiōnem suam dirigere. Casualiter enim ipse judex vel unus juratorum vaccam in foro publice posset emere, pro qua tamen, si postea impeteretur, nec testimonium habere, nec venditorem statuere posset, et constat, quod pro eo suspendio tradi non deberet. Unde etiam emendae talium casualium excessum, qui modis quasi infinitis contingunt, in juribus originalibus determinatae non scribuntur; sed per juratos, apud quos sunt arbitrarie inspectis circumstantiis, et personis nunc gravari nunc alleviari possunt, pro ut conscientia eorum fuerint instructi.

**552. De poena vallationis arbitrii, cui cedat.** (H. 134. D. 122<sup>b</sup>. 1.) Rustici de quadam villa sunt instructi, quod poena, qua vallatur aliquod arbitrium, cum solvi per violatorem debet arbitrii, in tres partes est dividenda, quarum una cedit parti arbitrium servant, et secunda arbitrī, et tertia civitati in ejus usus convertenda, nisi fortassis per arbitros de ejus solutione aliter ordinatum.

**553. De poena reatus capitalis in genere.** (H. 134<sup>a</sup>. D. 122<sup>b</sup>. 2.) Quamvis simpliciter accusatus pro homicidio, invasione domus, stupro vel alio reatu consimili, cum duobus in cruce se posset digitis expurgare, tamen, si cadit in juramento,

decolabitur, vel poenam aliam tati excessui correspondentem secundum justitiam sustinebit.

554. *De poena talionis et judici se opponentis.* (H. 134<sup>a</sup>. D. 122<sup>b</sup>. 3.) Cives de Gostel scripserunt sic: Tres ignoti viri, cum ad nos venissent et cum verbis vituperii intrassent, unus eorum judicem accedens, petivit alias duos capi, quia essent terrae et hominibus nocivi, et equos in Moravia subtractos dederent Ungariam ad vendendum, de quo vellet eos vincere testimonio fide digno. Quibus captis cum judex peteret ab eo cautionem ad convincendum eos, sicut sponte facturum se dixerat, incepit negare, dicens, quod non promisit, se velle probare aliquod malum in eos, nec etiam posset testibus ostendere, quod alienus criminis culpabiles essent; et cum hoc evaginato gladio irruens in judicem multis plagiis percussit super eum, ita, quod tandem unum de civibus, qui judici in auxilium currebat, graviter vulneravit. Finaliter vero superatus cum duobus praedictis sociis vinculis ferreis detinetur. Quaerimus ergo et infra. Quibus rescriptum fuit duobus primo captis, qui personam rei gesserant, sic: Quia actore non probante reus absolvitur, ideo primi duo capti per tertium accusati et per testes non convicti sunt liberi demittendi. Ultimo vero captus, qui locum actoris tenet, duplamente meruit capitalem, primo ex talione. Quicumque enim voluntarie dicit, se coram judice aliquem velle per testes vincere de crimen, de quo non est confessus et in eius actu non est raptus, si in probatione succumbit, obligabitur ad talionem. Secundo ex violentia et oppositione facta contra judicem. Resistens enim judici, resistit et juri. Unde talis excessus tamquam gravissimus est, capititis sententia puniendus.

555. *De poena talionis, qualiter deficiens in actione criminali ad eam non tenetur.* (H. 134<sup>b</sup>. D. 123<sup>b</sup>.) Postquam in Praczaw XII jurati in tres personas criminaliter egissent illique juratorum querimoniam justitiae evassissent et ergo judex quaesivisset, ad quam poenam jurati ex eo, quod in accusatione subebuerunt, tenerentur: sententiatum fuit diffinitive, quod ad nullam. Necessaria enim et vehemens praesumtio merito debet judicem movere, quod jurati non calumniouse, sed justitia moti egerunt, quare de poena talionis rationabiliter supportantur. Unde praesumtio in casu tali, quando de poena talionis agitur, maxime locum habet.

556. *De poena hominis, qui juratos coram judicio dicit mendaces, infideles, injustos.* (H.

134<sup>b</sup>. D. 123<sup>a</sup>. 2.) Quidam in Hulein judicio actuato, cui judex et XII jurati antiqui praesidebant, cum quaedam sententia contra eum lata esset, prorupit contumaciter in haec verba: Jurati vero mentimini, sicut infideles homines et injusti. Super quo diffinitum fuit, quod ille, qui juratos mendaces et infideles homines et injustos dixit, cum lingua debet statuae coram populo in foro per clavum ferreum affligi, et cultellus in manum sibi dari, ita, quod tandem statuae stet affixus, donec per abscisionem linguae se ipsum redimat et absolvat.

557. De poena servantis et colligentis proscriptum. (II. 135. D. 123<sup>a</sup>. 3.) Qui proscriptum ratione furti, spolii vel turpis facti in domo sua scienter et voluntarie cibaverit vel collegerit, poenae capitis subjacebit. Qui vero proscriptum ratione homicidii, et honesti facti servaverit et hospitaverit, de introitu domus X, et de exitu similiter X talenta solvet, ut in juribus originalibus scribitur sub rubrica: de proscriptis vulnerum circa finem.

558. De poena matrimonii contrahendi. (II. 135. D. 123<sup>b</sup>. 1.) Matrimonium de futuro contrahendum non est poena bursali de jure vallandum; tamen si hoc de facto contingat, discussio talis poenae tamquam accessorium matrimonii ad jus canonicum dinoscitur pertinere.

559. De poena, quae vulgariter dicitur „widerred.“ (II. 135. D. 123<sup>b</sup>. 2.) Ad poenam, quae vallatur promissum inter duas partes factum, judex nisi nominatim sibi deputetur, nihil habebit, sed tantum illi parti solvit, cui promissum fuerit violatum. Secus autem est in poena arbitrii, ut supra invenitur.

### **Capitulum de pignoribus.**

560. De pignoribus in genere. (II. 135. D. 124<sup>b</sup>. Persecutione pignoris omissa, debitores actione personali convenire, creditor urgeri non potest. Quod in summa debiti computabitur ad idem etiam id, quod propter possessiones pignori datas, ad collationem viarum muniendarum, vel quod aliud obsequium praestitisset, creditorem constituerit.

561. In quibus casibus pignus tacite contrahitur. (II. 135. D. 124<sup>b</sup>.) Res et bona ad locum thelonie deducta sunt theloniatori pro solutione tributi in pignore tacite obligata. Item quicunque cum fisco contrahit, seu officia suorum superiorum convenit, illius bona certum est in pignore obligari, quamvis haec specialiter non exprimatur.

Item qui praedia, agros, vineas vel res consimiles dat pignori, fructus rerum talium obligari tacite reputantur.

562. De pignoribus rerum futurarum. (H. 135. B. 57<sup>b</sup>. 1. D. 124<sup>b</sup>. 1.) Cum justum sit, voluntates contraheatum magis, quam verborum conceptionem inspicere, quicumque res aliquas alteri obligat in pignore, non solum, quas habet in praesenti, sed etiam, quas habet in futuro, quamvis nominativum non exprimat, dinoscitur obligasse.

563. De pignoribus obtinendis. (H. 135. A. 49. 3. B. 57<sup>b</sup>. 1. C. 36. 5. D. 124<sup>b</sup>. 2. K. 203<sup>b</sup>. 4.) Qui pignus secundo loco accepit, ita jus suum confirmare potest, si priori debitori pecuniam solverit, aut cum obtulisset isque accipere noluisset, eam obsignavit et depositum, nec in usus suos convertit.

564. De pignoribus lectisterniorum et vestium. (H. 135. A. 49. 4. B. 57<sup>b</sup>. 3. C. 36<sup>a</sup>. 6. D. 124<sup>b</sup>. 3. K. 203<sup>b</sup>. 5.) Bona et antiquitus approbata consuetudo causa publicae honestatis introducta habet, quod lectisternia et vestes ad necessitatem unius hominis, si est solitarius, vel viri et mulieris, si sunt in matrimonio pertinentia, non recipiuntur in pignore ratione debitorum judicialiter obtentorum. Tamen, si creditor aequa misericordia est et pauper cum debitore vel indigentior eo, tunc super in pignoratione praedicta cum moderamine facienda, jurati diligenter cogitabunt.

565. Habens pignus debitum suum super ipso obtinere potest. (H. 135. A. 49. 5. B. 57<sup>b</sup>. 3. C. 36<sup>a</sup>. 7. D. 124<sup>b</sup>. 4. K. 204<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est, quod possessor pignoris potest melius in cruce jurando super pignore debitum suum obtinere, quam pignus sibi possit per partem contraria decertari.

566. De pignoribus hospitibus obligatis. (H. 135. B. 57<sup>b</sup>. 4. C. 36<sup>a</sup>. 7. D. 124<sup>b</sup>. 5. K. 204<sup>a</sup>. 2.) Hospes dicitur is, qui non est terrigena, vel etiam, qui est sub domino alterius principis; et si talis obtinet pecuniam super civem, et judex providet sibi de pignore, illud non ducet extra civitatem, sed in judicio civitatis vendet, nec obligabit sub usura, nisi de licentia civis.

567. De pignoribus ratione temporis. (H. 135<sup>b</sup>. A. 49. 7. B. 57<sup>b</sup>. 5. C. 36<sup>a</sup>. 9. D. 124<sup>b</sup>. 6. K. 204<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est, quicunque hereditatem vel pignus aliquod sibi probaverit, prius esse obligatum, ille prius suum debitum

percipiet pignore de eodem; dicit enim regula juris: Qui prior est tempore, potior est jure.

**568. De pignoribus ecclesiasticis.** (H. 135<sup>b</sup>. B. 57<sup>b</sup>. C. 36<sup>a</sup>. D. 124<sup>b</sup>. 7. K. 205<sup>a</sup>. 4.) Statutum est ab antiquo, quod nullus institutor, mercator, caupo, vel alius artifex ornamenti ecclesiastica pro pignore, nisi sub certo testimonio recipiat. Contrarium vero faciens, tantum solvet pro emenda, quantum res valuerit, quae sibi fuerit obligata.

**569. Quod aliqua sunt pignora, quae non oportet coram tribus judiciis publicari.** (H. 136. A. 49. 9. B. 57<sup>b</sup>. 7. C. 36<sup>a</sup>. 11. D. 124<sup>b</sup>. 8. K. 204<sup>a</sup>. 5.) Licet pignus pro fertone et supra per judicem actori datum coram tribus judiciis debeat publicari, tamen juratis de Crumlaw sententiatum est, quod si pignus tale fuerit, res, quae absque damno ac sui ipsius destructione, per tempus trium judiciorum, scilicet VI septimanas servari non possunt, enjusmodi sunt carnes aestuali tempore mactatae, seu panis eodem tempore recenter pistatus, vel vinum ad summam maturitatem peruentum, vel aliquid istis consimile, illud pignus per actorem eodem die, quo sibi per judicem assignatum fuerit, vendi seu aliter in denarios converti poterit ipso jure. Majus enim lucrum hujusmodi subita venditio, quam ejus longa protractio domino pignoris generabit.

**570. De pignoribus et damnis eorum nomine solvendis et fructibus percipiendis.** (H. 136. A. 49. 10. B. 58<sup>a</sup>. 1. C. 36<sup>b</sup>. 1. D. 125<sup>a</sup>. 1. K. 204<sup>a</sup>. 6.) Quamvis debitor proutis, creditori debitum certo termino solvere sub pena damni, tamen, si solutione neglecta agrum sibi obligat, enjus segetes metit, vel viueam, enjus vinum colligit, quandiu creditor tale pignus, vel aliud, enjus fructus percepit, tenet, non potest de jure debitori damnum computare, nec ipsum ad damnorum compellere recompensam.

**571. De pignoribus per priores vel posteriores creditores obtinendis.** (H. 136. D. 125<sup>a</sup>. 2.) Quidam in Hainrichs obtinuit coram judicio in debitorem suum VII florenos. Et cum judex ab eo quaereret, si sciret aliquas res debitoris, in quibus sibi de pignore provideret, respondet: quia in braxatorio sciret cerevisiam coctam et dolis infusam et etiam braseum, de quo cerevisia braxanda esset. Et cum alter civis de Hainrichs haec audiret verba, dixit judici, quia illa cerevisia et braseum essent sua pignora, adjiciens, quod promptam pecuniam, pro qua et primum braseum in ce-

revisiam jam conversum et secundum adhuc crudum empta sunt, coram juratis debitori mutuaverit isto modo, quod de propina cerevisiae de suo debito ante creditores alios pagaretur. Quaeritur ergo, quid juris sit in hoc casu. Super quo diffinitum fuit. Si jurati pro secundo, quod de sua pecunia comparata sunt brasea testantur, ipse suum debitum prius quam alter de venditione cerevisiae consequitur.

Residuum autem, si quid fuerit, ad creditorem alium pertinebit.

**U**nde nota: Licet ex consuetudine servetur, quod quidque creditor in potestate debitoris invenerit, hoc sibi, si petit, pro pignore per judicem assignandum; tamen hoc in rebus, quae non omni tempore sine damno de loco ad locum transferri possunt, stricte servari non oportet. Debent ergo canti creditores esse, quod pignora eis tradita apud se et in eorum retineant clausura, alioquin si pignoribus eisdem debitoribus iterum assignatis sub quacumque etiam specificatione, dummodo aliorum creditorum consensus non adveniat, hoc contingat. Alii creditores si petunt eadem pignora in potestate debitorum inventa, recipient ipsis auctoritate judicis assignata; nam creditores, qui pignora capta iterum debitoribus non facta solutione committunt, in fraudem aliorum creditorum hoc facere videntur, quare fraus non debet eis, quantum ad hoc aliqualiter suffragari.

572. *D*e pignoribus regulae sequuntur generales. (II. 136. A. 49. 12. B. 58<sup>a</sup>. 3. C. 36<sup>b</sup>. 3. D. 125<sup>b</sup>. 1. K. 204<sup>b</sup>. 2.) Locis diversis ex regulis subscriptis frequenter plures sententiae sunt datae. Eos, qui accipiunt pignora, dum in rem habeant actionem, privilegiis omnibus, quae personalibus actionibus competunt, praferri constitut.

**I**tem si generaliter bona, sicut obligata et postea res aliae specialiter pignori dantur, quando ex generali obligatione potior habetur creditor, qui ante contraxerit, si ab illo priore comparasti non oportet, ab eo, qui postea creditit, inquietari.

**I**tem si publica res prior contraxit, fundusque est ei obligatus, tibi secundo creditori offerendi pecuniam potestas est, ut succedas etiam in jus reipublicae.

**I**tem in causa judicati pignora ex auctoritate praesidis capta potius distrahi, quam jure dominii possidere consueverunt. Si autem pro caliditate condemnati emtor invenire non potest, tunc auctoritate principis dominium adjici solet.

**I**tem res pignoris hypotecae vel jure creditoribus obnoxias circa consensum eorum debitores alienantes praecedentem

non dissolverunt obligationem; nam obligatio pignoris consensu et contrahitur et dissolvitur.

Item fundum pignori obligatum si debitor ex fructibus debitum prosecutus est, cum ipso jure pignus obligatione liberatum sic distrahere minime potest.

Item hypoteceis vel pignoribus a creditore venundatis in id, quod deest, adversus rem vel fidejussorem, actio competit creditori.

Item quamdiu non est integra pecunia creditori numerata, etiam si pro parte majori consecutus sit, eam distrahendi rem obligatam non amittit facultatem.

Item si cessante solutione creditor, non reluctante lege contractus ea, quae sibi pignori nexa erant, distraxit, revocare venditionem iniquum est. Cum, si quid in ea re fraudulentiter fecerit, non emtor a te, sed creditor conveniendus sit.

Item si priusquam distraheretur pignorata possessio, pecuniam creditori obtulisti, coque non accipiente, contestatione facta eam depositisti hodieque in eadem causa permanebit pignoris distractio, non valet, quod si prius, quam offerres, legem venditionis exercuit, quod jure subsistit revocare non debes.

Item unus ex multis debitoribus, qui pignora tradiderit heredibus, quod ab eo personali actione peti potuisset, solvendo res obligatas distrahendi creditori facultatem non ademit.

Item qui pro parte heres exitit, nisi totum debitum exsolvat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest.

### **Capitulum de privilegiis.**

573. De privilegiis et instrumentis in genere. (H. 137 A. 50. 1. B. 58<sup>b</sup>. 1. C. 36<sup>b</sup>. 4. D. 125<sup>b</sup>. 2. 126<sup>a</sup>. 1. K. 205<sup>a</sup>. 1.) Per membranas et literas non scriptas, appensa quamvis habeant sigilla, non probatur intentum. Literarum etiam scriptura non plus, nec aliud probat, nisi quod cantat. Unde si debitum literis inscriptum in parte solvatur, et residua pendente solutione vel toto debito soluto, literis non restitutis vel suffocatis novum debitum contrahatur. Sic sententiatum est in consilio civitatis.

574. De privilegiis, et vivis testibus casus mixtus. (H. 137. D. 126<sup>a</sup>. 1.) Nicolaus egit in Martinum, quod ex arbitrio proborum virorum inter ipsos ordinato quatuor marcas grossorum pro ea deberet in collecta civitatis expedire. Et cum Martinus respondisset, quod super om-

nibus, qui inter eos ventilabantur, per arbitros ordinatum et pronuntiatum fuisset, quod in XXIV marcis Nicolaus sibi teneretur, sicut literis et sigillis dictorum arbitrorum ostendere vellet, et quaesivisset, si dictae literae de hoc testarentur, utrum actio Nicolai non esset inanis. Nicolaus replicavit, quia nec literas, nec in eis contenta aliqualiter dissideretur, sed insuper hoc probare vellet per dictos arbitros, quod in sua expressit actione. Super quo diffinitum fuit, quod postquam Nicolaus solverit Martinum, quae literis arbitrorum sibi solvenda demonstraverit, literae cassae sunt. Nec ulterius Martinus per easdem literas Nicolai poterit querimonias declinare, imo si Nicolaus per ipsos arbitros, quibus licuit ordinatorem eorum scribere vel in memoria retinere, intentionem suam probaverit, Martinus sibi, nisi fortioribus se defenderit probationibus, judicabitur pro convicto.

575. De privilegiis regalibus et superioribus interpretandis. (II. 137<sup>b</sup>. A. 50. 2. B. ibid. C. 36<sup>b</sup>. 6. D. 126<sup>b</sup>. 2. K. 205<sup>a</sup>. 2.) Cum cives de Gostel Johanni de Pelwicz, qui judicium in Gostel a rege tenuit jure feodali in quarundam emendis causarum de privilegiis regalibus suae civitatis confisi, respondere nollent, ipseque Johannes ratione aliorum privilegiorum regalium jus ad easdem emendas sibi competere diceret, et utraque pars cum eisdem privilegiis, quibus suam confirmare nitebatur intentionem, ad consilium venisset: jurati senatus visis et auditis privilegiis et utriusque partis hinc inde allegationibus, responderunt et ad eos tamquam ad inferiores privilegiorum regalium interpretatio non spartaret; cuius enim est concedere, ejus est et interpretari. Unde dixerunt partibus, quod cum praedictis privilegiis super quaestionibus, quae inter eas verterent, in discutiendis esset ad dominum regem et sui consilii ad audientiam recurendum.

576. Utrum privilegia vivis testibus praeferrantur an non. (II. 137<sup>b</sup>.) Cives de Radisch scripscrunt sic. Possessore cuiusdam aquae et piscationis mortuo inter duos nostros concives de eadem aqua orta est contentio per hunc modum. Dicit enim unus, quod ex literis et privilegiis velit ostendere ad dictam aquam jus sibi competere ab antiquo. Alter autem dicit, quod ad eum pertineat, et hoc vellet testibus demonstrare. Quaeritur ergo, cuius partis testimonium sit potius admittendum. Respondetur quod testimonium literarum et privilegiorum est testibus praeferendum; illud enim, quod

scriptura capit, firmum manet; quod memoriae testium imprimitur, per oblivionem tollitur. Item scriptura privilegiorum non mutatur; testes vero, quandoque muneribus et quandoque modis aliis corrumpuntur. Item testes moriuntur, privilegia autem sunt perpetua. Item testes non recipiuntur, nisi vivant, in privilegiis vero testes inscripti sive vivant, sive sint mortui, semper eorum testimonium valet et recipitur ipso jure, et ad cautelam cum privilegia et literae in promptu haberi non possunt, quia aliis literis sequentibus suffocantur.

**577. Differentia inter privilegium et ius commune.** (H. 138 A. 50. 4. B. 59<sup>b</sup>. 1. C. 37<sup>a</sup>. 2. D. 126<sup>b</sup>. 2. K. 206<sup>a</sup>. 2.) Jurati de Gostel instructi sunt, quod privilegia concessa gratiose sunt stricti juris, nec ex eis argui potest, per locum a simili ad alia in privilegiis non contenta. Secus autem est de jure communi, ibi enim ex una causa seu sententia casus unius ad alium sibi simile conveniens elicetur argumentum.

**578. De privilegiis suspectis.** (H. 138<sup>a</sup>. A. 50. 5. B. 59<sup>a</sup>. 2. C. 37<sup>a</sup>. 3. 4. D. 126<sup>b</sup>. 3. K. 206<sup>a</sup>. 3.) Si aliquis in iudicio exhibet privilegium, cuius charta est vetus, et scriptura apparet recens et nova, vel in quo evidenter duplex manus scripturae notatur, super tali privilegio jurati ex diversis interrogatis, unde praedictae suspitiones veniant, prudenter deliberabunt et investigabunt, utrum fides sibi fuerit adhibenda.

Item si in privilegiis una littera vel sillaba in aliqua dictione sit omissa, titellum non positum vel tale modicum, quid neglectum propter hoc privilegium non est vitiatum.

**579. De privilegiis in papiro scriptis.** (H. 138<sup>a</sup>. A. 50. 5. B. 59<sup>a</sup>. 3. C. ibid. D. 127. K. ibid.) Cum fratres minores super quadam domo eorum claustro annexa in consilio privilegium in papiro scriptum sub appensione trium sigillorum exhibuissent, sententiatum fuit, licet non sit eatum in papiro privilegia scribere, tamen si scripta sint, et nulla vitia in se contineant, sufficienter probant, quod testantur.

**580. De privilegiis et instrumentis ratione debitorum.** (H. 138. A. 50. 6. B. 59<sup>a</sup>. 4. C. 37<sup>a</sup>. 5. D. 127<sup>a</sup>. 1. K. 206<sup>a</sup>. 4.) Cum actor de reo conqueritur, quod instrumentum confectum super debitum, de quibus cum pagaverit, sibi reddere recusaret, et rens de solutione debitorum confessus responderet, quia filius actoris, specialia quaedam apud eum contraxerit debita, quibus non solutis instrumentum restituere nolle, sententiatum est diffinitive:

quod nisi debita filii nominatim in instrumento sint expressa, reus tenetur ipsum actori reddere pleno jure.

581. De privilegiorum renovandis. (H. 138. A. 50. 7. B. 59<sup>a</sup>. 5. C. 37<sup>a</sup>. 6. D. 127<sup>a</sup>. 2. K. 206<sup>b</sup>. 1.) Cum ex vetustate privilegium corrumperatur, cum etiam litera frequenter incipiat deleri ex vitio carthae vel incansti, quamvis instrumentum sit de novo factum, cum etiam judices et jurati caverre debeant, ne probationes rerum pereant, si offeruntur eorum oculis privilegia in nullo vitiata et petuntur, quod ea renovent et sub sigillo suo conscribent, petitionem talem, ne homines ex causis praescriptis juribus suis fraudentur, debent effectum mancipare et per talia transcripta sigillis authenticis locorum ac personarum authenticarum, quarum interest, roborata, si fortasse originalia sunt corrupta vel haberi non possunt ad probandam intentionem, hoc est rationabiliter admittendum.

582. De privilegiis, quantum ad eorum appensionem. (H. 138<sup>b</sup>. A. 50. 9. B. 59<sup>b</sup>. 1. C. 37<sup>b</sup>. 1. D. 127<sup>a</sup>. K. 206<sup>b</sup>. 3.) In appensione sigillorum ordo praeposterus privilegium non viciat, licet scriptoris denotet ruditatem.

583. Utrum ideoma duplex viciet privilegium. (H. 138. B. 59<sup>a</sup>. 6. C. 37<sup>a</sup>. 7. D. 127<sup>b</sup>. 3. K. 206<sup>b</sup>. 2.) Jurati de alba ecclesia quaequierunt, utrum privilegium duos continens articulos, quorum primus est personalis, quia super debito, secundus autem realis, qui super hereditatem propter hoc sit viciandum, quod primus sub sermone latino, secundus theutunicis verbis est conscriptus? Quibus diffinitive rescriptum fuit, propter dictam ideomatis duplicitatem non est privilegium viciandum; cum enim privilegium non ad verba, sed ad verborum significata finaliter ordinetur, quocumque scribatur ideo-mate, cuius nihilominus significatum ab audientibus, coram quibus tempore probationis in palam deducitur, sit intelligibile, semper valet nec propter hoc, si tamen aliud non obstat, est aequaliter nullandum.

584. De privilegiorum distinctione. (H. 138. A. 50. 10. B. 59<sup>b</sup>. 1. C. 37<sup>b</sup>. 2. 3. D. 127<sup>b</sup>. 1. K. 206<sup>b</sup>. 4.) Privilegiorum quoddam est speciale, sicut cum uni loco vel uni personae unus articulus conceditur; quoddam autem est generale, sicut quod continet in se plures articulos, vel quum pluribus personis vel ratione plurium personarum vel rerum conceditur.

Item privilegiorum quoddam est temporale, sicut personale et hoc extinguitur, cum persona nec ad successorem

transfertur, nisi hoc exprimatur; aliud autem est perpetuum, sicut reale et illud cum rebus remanet, sicut est, quod civitati dignitati vel alieni loco vel aliquibus personis vel etiam alieni personae, occasione loci sive ejusdemque rei conceditur, et tale privilegium rei adhaeret et sic semper durat, nisi forte res perimantur vel destruantur vel nisi in partem detrahentur per aliud sequens privilegium, vel in totum revocentur ex causa vel amittantur. Et si est dubium, utrum privilegium sit personale vel reale, plus est praesumendum, quod sit personale, quam reale.

585. De privilegiorum amissione. (Il. 138<sup>b</sup>. D. 127<sup>b</sup>. 2.) Erhardus civis Znoymensis, coram iuratis in maniloquio exhibuit privilegium super debito, pro quo Nicolaus de Pohorzelitz sub sigillo Nicolai de monte pro tune jurati sibi obligasset domum suam.

Dictus vero juratus interrogatus respondit, quod de debito sibi constaret, et quod ad praeces Nicolai sigillum suum ipsi privilegio appendisset. Petens cum hoc pro se sententiari cum ipse super domo praescripta literas haberet antiquiores, quam Erhardus, utrum de pecunia in literis eisdem contenta non deberet, priusquam Erhardus de suo debito expediri. Erhardus vero econverso sibi inveniri petivit. Cui Nicolaus juratus illo tempore, quo pro suo petebatur sigillo, nullam de literis, quas modo allegat, fecerit mentionem, utrum pro hoc non consenserit tacendo, quod suum debitum ejus pecuniam antecedat. Super quo diffinitum fuit, quod allegatio Erhardi est rationabilis et ejus petitio est admittenda. Nicolaus enim ex hoc praecipue, quod juratus fuit, debuit Erhardo de literis suis narrasse, eum praemuniendo prout ad suum spectabat officium, qualiter caute domum Nicolai de Pohorzelitz, quam sibi prius obligasset, pro pignore acceptaret. Et sic taciturnitas Nicolai literis suis praejudicium generavit. Unde considerandum est, quod privilegium amittitur multis modis; primo: per actum contrarium, per quem aliquis renuntiat juri suo; secundo: spatio praescriptionis; tertio: tempore limitationis elapso; quarto: per sententiā sicut in casu praescripto, in quo etiam saepe dictus Nicolaus juratus videtur privilegium per actum contrarium amississe; quinto: tollitur privilegium primum per secundum faciens mentionem expressam de priori; sexto: per concedentis revocationem, sicut si privilegium alias continet gratias, quas ille, qui concessit in praeterito, revocat in futuro. Septimo amittitur privilegium per renuntiationem propriam et expressam. Ultimo

per abusum, quod exponi potest, per non usum vel per contrarium usum. Puta, aliquis exemptus est ab aliquo judice et convenitur saepe et saepius coram eodem judice, et ipse respondet, nec allegat aliquid de privilegio exemptionis, vel allegat et non ostendit. Certe huic merito dici potest: privilegium meritis amittere, quia permissa tibi abusus es potestate; necesse tamen est, quod praescriptio contra privilegium sic amissum sit completa.

Item potest dici, quod privilegiatus abutitur privilegio, quando eo male utitur, puta: facit contra intentionem concedentis, vel quia vivit vita communi relinquentes vitam privatam propter cuius observationem privilegium concessum erat. Unde in hoc casu non potest aliquis privilegium allegare, vel quia privilegiatus est, non contentus terminis suis in privilegio expressis, imo contra tenorem privilegii excedit.

586. De privilegio quantum ad vitiacionem. (H. 139. A. 50. 12. B. 59<sup>b</sup>. 3. C. 37<sup>b</sup>. 5. D. 128<sup>a</sup>. 1. K. 207<sup>b</sup>. 1.) Ad interrogationem juratorum de Radisch sententiatum est, quod licet privilegia seu literae authenticae super probandis causis et negotiis in testimonium productae, nec cancellatae nec rasae, nec perforatae, incisae, laniatae, nec in aliqua sui parte esse debeant vitiatae, nisi foramen naturale, quod ante scripturam privilegii in pergamo constat fuisse, seu perforatio pro sigilli appensione, dummodo privilegium omnia contineat sigilla, de quibus loquitur facta; privilegio et ejus probatione non praejudicet ipsum, nec vitians, nec aliquod sibi obstaculum interponens.

587. De privilegiis, quantum ad testes. (H. 139<sup>b</sup>. A. 50. 13. B. 60<sup>a</sup>. 1. C. 37<sup>b</sup>. 6. D. 128<sup>a</sup>. 2. K. 207<sup>b</sup>. 2.) Bernardus de Wissaw, civis hujus civitatis in maniloquio privilegium exhibuit, in quo continebatur, quod Henzlinus de Wissaw in quibusdam debitibus sibi teneretur Henzlinus vero auditio privilegio dicebat, quod juratum seu scabinum, cuius sigillum pro testimonio erat appensum privilegio, numquam pro suo sigillo rogasset. Dictus itaque juratus ad instantiam Henzlini de dicenda veritate interrogatus respondit, quod non ad preces Henzlini, sed ad preces fratri sui, qui nuntium Henzlini se asseruit, sigillum suum dicto privilegio appendisset; in eodem etiam privilegio per scriptorem civitatis et scabinos literatos in quodam loco rasura, in alio vero quodam cancellatio est inventa. Sententiatum est ergo in pleno consilio definitive: Ex quo testes instrumentis inscripti de jure debent

esse rogati, cum scabinus non rogatus per Henzlinum sigillum suum privilegio opposuerit, Henzlinus est ab actione Bernardi absolutus et ad solutionem debiti in privilegio contenti nullatenus obligatur.

588. De privilegiis, quantum ad rasuram et cancellationem. (H. 139. A. 50. 14. B. 60<sup>a</sup>. 7. C. 37<sup>b</sup>. 7. D. 128<sup>a</sup>. 3. K. 207<sup>b</sup> 3.) De rasura et cancellatione distinguendum est, quia, si est in loco non suspecto, non praecjudicat. Si vero est in loco suspecto, sicut circa datum, circa propria nomina, circa summam pecuniae, vel circa aliqua talia, in quibus principaliter dependet materia, tunc praecjudicat in locis, nisi talibus facilius consideratur falsitas instrumenti.

### **Capitulum de procuratoribus.**

589. De procuratoribus in genere. (H. 139. A. 51. 1. B. 60<sup>a</sup>. 1. C. 37<sup>b</sup>. 8. D. 128<sup>b</sup>. 2.) Quilibet homo potest agere aut suo nomine, aut alieno, sicut procuratorio, tutorio vel curatorio. Unde captivitas, morbus, aetas, necessaria peregrinatio et multae aliae justae causae saepe hominibus impedimenta sunt, quod per se ipsos causam suam exequi non possunt. Item procurator non solnm praesente adversario, imo etiam eo ignorantie constituitur; unde quemcumque perniseris rem tuam agere aut defendere, ille procurator tuus intelligitur; tamen si pars corporale juramentum per se facere beat, quantum ad hoc procuratorem substituere non potest.

590. De procuratorum potestate. (H. 140. D. 128<sup>b</sup>. 3. C. 38<sup>a</sup>. 1.) Si procuratori causa commissa fuerit, quod ipsam terminet, tamen rigore justitiae mediante et ille diffinitiva sententia juris non expectata, in arbitriis compromittat; talis compromissio per partem, cuius mandati fines procurator excessit, in irritum poterit revocari.

591. De procuratoribus et forma procuratorii. (H. 150. A. 51. 2. B. 60<sup>a</sup>. 1. C. 38<sup>a</sup>. 2. D. 128<sup>b</sup>. 4.) Cum Jacobus Smelzlini impeteretur pro debitis a quibusdam civibus Wiennensibus et quibusdam Pragensibus, sententiatum fuit in pleno consilio: Si hujusmodi cives ex eo, quia extra terram essent residentes et propterea censerentur hospites, procuratores seu certos suos nuntios cum literis patentibus suarum civitatum stylum et formam procuratorii quantum ad rati habitionem continentibus, mitteret Brunnam illis

teneretur **Jacobus**, sicut ipsis actoribus, si personaliter comparent, de justitia respondere.

### **Capitulum de promissis et pactis.**

592. **D e p r o m i s s i s e t p a c t i s i n g e n e r e .** (H. 140. A. 52. 1. B. 60<sup>a</sup>. 2. C. 38<sup>a</sup>. 4. D. 129<sup>a</sup>. 1. K. 208<sup>a</sup>. 2.) Circa promissa generaliter servandum est, quod pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit; et dicitur pactum turpe, quod sit per usuram et dolum. Pactum autem rei turpis dicitur, ut si aliquis promittat, se hominem velle interficere. Pactum autem rei impossibilis dicitur, ut si aliquis promittat, se coelum velle ligare, quod non moveatur.

593. **D e p r o m i s s i s e t p a c t i s p e r s o n a l i b u s i n g e n e r e .** (H. 140. A. 53. 1. B. 60<sup>a</sup>. 2. C. 38<sup>a</sup>. 5. D. 129<sup>a</sup>. 2. K. 208<sup>a</sup>. 3.) Si inter partes litigantes et praesentes tantum personalia super aliqua quaestione promissa fiant, et pacta illa jura successorum dictarum partium non evanuant et extinguntur; pacta enim inter alios, acta aliis obesse non possunt.

594. **D e p r o m i s s i s c a s u s q u i d a m .** (H. 140<sup>b</sup>. A. 54. 1. B. 60<sup>b</sup>. 1. C. 38<sup>a</sup>. 6. D. 129<sup>a</sup>. 3. K. 208<sup>a</sup>. 4.) Jurati de Radisch scripserunt sic: **Henricus** conqueritur de **Petro**, quod equum, quem ab ipso emit, promiserit sibi in terra Moraviae ab arrestationibus liberum facere, quod vulgariter „landscherm“ dicitur. **Petrus** vero de promisso confessus dicit, quod postea per aliquot dies percipiens, equum se in **Brunna**, si fortassis ibidem arrestaretur, disbrigare non posse. **Henricum** cum jurato accessit, sibi dicens: quod recepta pecunia venditionis vel equum suum sibi restituet, vel si ipsum **Brunnam** deduceret, eum sibi disbrigare nolle. Quae-sierunt ergo, utrum **Petrus** de promisso per verba subsequuta, de quibus juratus testatur, absolvit potest. Super quo diffinitum fuit, quod, cum promissum cadat in debitum et opere sit implendum, **Petrus** a promisso, de quo constetur, secundum justitiam absolvit non potest.

595. **D e p r o m i s s i s , q u a e s u n t s e r v a n d a e t q u a e n o n .** (H. 140<sup>b</sup>. A. 54. 2. B. 60<sup>b</sup>. 2. C. 38<sup>a</sup>. 7. D. 129<sup>a</sup>. 4. K. 208<sup>b</sup>. 1.) Antiquum jus civitatis, quod quasi communiter ubique servatur, habet, quod promissa, quae homo voluntarie facit, adimplere debet. Unde, qui promittit alteri se daturum aliquot marcas grossorum pragensium, tenetur sibi dare grossos

**argenteos**, quia si cupreos sibi dabit, promissum non servabit. Unde eujuscumque monetarum denarios homo alieni promittit, tales sibi debet dare bonos cum quibus venditionis et entionis contractus fieri potest, quia omne promissum est implendum per melius et non per pejus. Tamen homo si injuste capitur et metu mortis in captivitate coactus quidquid promiserit, vel se facere velle juraverit, ad tale servandum promissum seu jumentum, postquam carcerem evaserit, non obligatur, nec compellitur ipso jure; promissum enim debet esse voluntarium, alioquin potius dicitur coactio, quam promissum.

596. De promissis inutilibus non servandis. (Il. 141<sup>a</sup>. A. 54. 3. B. 60<sup>b</sup>. 3. C. 38<sup>a</sup>. 8. D. 129<sup>b</sup>. 1. K. 208<sup>b</sup>. 2.) Ex stipulatione, in qua impubes sine tutori spopondisti, non es obligatus. Item, quae contra bonos mores vel in pacto, vel in stipulatione deducuntur, nullius momenti sunt. Item dolo vel metu adhibito actio quidem nascitur, si subita stipulatio sit; per dolis tamen vel metus exceptionem submoveri petito debet.

597. Quod promissum spei non cadit in debitum. (Il. 141. A. 54. 4. B. 60<sup>b</sup>. 4. C. 38<sup>b</sup>. 1. D. 129<sup>b</sup>. 2. K. 208<sup>b</sup>. 3.) In villa Gurein hospes advenam hiemali tempore hora crepusculi cum duobus equis in domum suam colligens et recipiens, dixit eidem hospiti: Spero, quandiu homines intrant et exeunt, quod nihil oberit equis vestris. Advena vero cum per verba praedicta promissum securitatis sibi factum credidisset, expergesfactus mane non reperit equos suos. Quaesitum est ergo, utrum per verba hospitis spero etc. advena sit de equis suis sufficienter assecuratus? Et responsum est diffinitive, quod non; multum differunt promitto et spero; promitto enim ad unam eventus partem determinatur; illius autem, quod spectatur evenire posse, contrarium formidatur. Tempus etiam, quo homines intrare et exire dicuntur, non totam noctem quieti hominum deputatam, sed aliquam ejus partem secundum communem interpretationem videtur rationabiliter importare.

### Capitulum de proscriptione.

598. Secundum diversitatem causae et judicii citatio procedit proscriptionem diversimode. (Il. 141. A. 55. 1. B. 60<sup>b</sup>. 5. C. 38<sup>b</sup>. 2. D. 129<sup>b</sup>. 3. K. 209<sup>a</sup>. 1.) In jure civili triplex citatio debet praecedere proscriptionem diversimode. Tamen in judiciis simplicibus in tribus qua-

tuor diebus tribus citatur vicibus proscriptus, nisi fuerit causa mortificationis; tunc enim eodem tempore citatio per verba ter praemittitur et statim proscriptio subinfertur. In judiciis vero peremptoriis tribus diebus per ordinem continuis proscriptus citatur et die IV<sup>to</sup> proscriptione damnatur; et si proscriptus post trinam proscriptionem judicio comparuerit sine ulterioribus terminis et judiciis, ad objecta per modum expurgationis, defensionis vel alium, qui sibi expedire videbitur, respondebit.

599. Quod proscripto non cedit tota dies.  
(II. 141. A. 55. 2. B. 61<sup>a</sup>. 1. C. 38<sup>b</sup>. 3. D. 130<sup>a</sup>. 1. K. 209<sup>a</sup>. 2.)  
Illi, qui est proscriptus, cedit tantum hora, qua judex tribunal praesidet quarto judicio, et non tota dies.

600. Quod proscriptus in uno judicio, non ubique tamquam proscriptus condemnatur. (II. 141<sup>b</sup>. A. 55. 3. B. 60<sup>a</sup>. 2. C. 38<sup>b</sup>. 4. D. 130<sup>a</sup>. 2. K. 209<sup>a</sup>. 3.) Judex et jurati de Colonia sita in Boemia prope Kutnam scripserunt sic: quod quidam balneator, qui hic in Brunnia habitabat apud eos ratione cuiusdam homicidii bannitus esset justitiariter et proscriptus, petentes earundem latori literarum justitiam de eodem proscripto debitam exhiberi; qui lator per juratos communiter tamquam in sententia diffinitiva fuit informatus, quod proscripti potissime ratione causarum honestarum et praeципue in aliis terris, quam in Moravia specialiter in judiciis non utentibus, jure civitatis Brunnensis non consueverunt ab antiquo tamquam proscripti et omnibus juribus privati Brunnensi judicio condemnari; imo eis persona standi, agendi et defendendi in judiciis non negatur. Unde dictum fuit etiam proscripto latori, quod propter literas testimoniales, quas attulisset de Colonia, tantum de juramentis calumniae supportaretur. Et si praenominatum balneatorem in Colonia suum proscriptum simpliciter pro homicidio impeteret, juramento simplici se in cruce personaliter expurgaret. Si autem cum testibus in eum ageret, oporteret, quod se cum testibus defenderet e converso; et si jurando caderet vel defendendo desiceret, capitali sententia plecteretur. Cum ergo dicitur, quod jurati testari possunt extra judicium proprium per literas de proscriptis, hoc intelligendum est praecipue de juratis et judiciis fruentibus eodem jure.

Licet etiam ad pacem firmandam et a maleficiis ac insolentiis in compositos retrahendum multae leges velint, quod proscriptus in uno loco seu judicio locum alium devenerit, habeat

tur pro proscrip<sup>to</sup>. Tamen ex malo, quae praevericatrix legis existens suos nimis in amplum dilatavit palmites, consuetudine, in locis paucissimis hoc servatur.

Unde etiam ex antiqua, quae forte non est bona civitatis Brunnensis consuetudine, proscrip<sup>to</sup> judicii terminos judicii non excedit. Sicut enim pax per judicem civitatis indicta extra metas judicii nullum ligat, sic nec proscrip<sup>to</sup> ultra limites judicii se extendit.

601. In judicio, in quo quis delinquit, in illo potest proscribi. (II. 142. A. 55. 4. B. 61<sup>b</sup>. 1. C. 38<sup>b</sup>. 5. D. 130<sup>b</sup>. 1. K. 209<sup>b</sup>. 1.) De Tischnowicz jurati quaesierunt, utrum homo, qui est civis et residens in Heinrichs, causa fori veniat in Tischnowicz, et ibidem homicidium perpetrans, iterum fugiat in Heinrichs, in judicio Tischnowicz citari possit de jure et proscribi possit; vel si pro quaerenda justitia, vel si de dicto homine actor ad judicem de Heinrichs refugium habere debeat et recursum. Super qua quaestione responsum fuit, quod licet talis homo ratione domicilii et habitationis sit de foro judicis in Heinrichs, ratione tamen delicti factus esse de foro judicis de Tischnowicz, unde per judicem de Tischnowicz ad actoris instantiam ter citatus nisi comparuerit, justitiariter potest proscribi.

602. Quod homo in occisione proscripti sapientem non violat. (II. 142. D. 130<sup>b</sup>. 2.) Postquam maleficus quidam Nicolaus nomine, fratrem Witkonis piscatoris, civis Brunnensis, tempore nocturno eis Swartzaviam, cum opus pescationis exerceret, fraudulenter mortificasset et pro eo proscriptus fuisset, in Tischnowicz se transstulit; Witko vero cum amicis suis eum insequentes ipsum in fuga timens, quod judicium evaderet, interfecit. Scriptum fuit ergo literis patentibus pro sententia diffinitiva judicii et juratis in Tischnowicz, quod, quia justitia et judicium non sunt cum impetu et violentia quaerenda, sed cum disciplina et mansuetudine petenda, homo volens sumere vindictam de proscrip<sup>to</sup> suo, si tempus et horam, ne effugiat, habere potest, debet judicem et juratos rogare, quod detineatur, et quod ordine juris sibi de justitia exhibeat. Si vero proscriptus in fuga domum alicujus intraverit, ibidem per suum adversarium, ne invasionem donus per hospitem fecisse dicatur, non est excipiendus, sed caute custodiendus, donec vocato judicio capiatur.

603. Qualiter emendabit, qui servat proscrip<sup>to</sup> pro vulnere vel excessu non capitali. (II. 142.

A. 55. 6. B. 61<sup>b</sup>. 2. C. 39<sup>a</sup>. 2. D. 130<sup>b</sup>. 3. K. 209<sup>b</sup>. 3.) Sententiatum est in judicio civitatis, qui in domo sua servaverit proscriptum pro vulnere vel excessu non capitali plectendum sententia, quinque talenta solvet pro emenda; quorum una pars judicii, altera actori et tertia civitati. Ipse autem proscriptus captus viginti talenta solvet vel manum amittet, ut in iuribus originalibus scribitur.

604. De proscripti evasione, utrum reus absens pro homicidio solo vel pro aliis excessibus, simul cum homicidio possit proscribi. (H. 142. A. 55. 7. B. 61<sup>b</sup>. 3. C. 39<sup>a</sup>. 3. D. 131<sup>a</sup>. 1. K. 210<sup>a</sup>. 1.) Si homicidio facto reus evaserit, nec per se, nec per responsalem idoneum pro se aliquid allegantem comparere curaverit, ad petitionem actoris non solum pro homicidio simplici, verum etiam pro mortificatione et spolio dicto Reraup, vel alio gravi excessu citationibus praemissis proscribetur.

### **Capitulum de querimoniis.**

605. De querimoniis in genere, quantum ad vi-  
gorem et numerum. (H. 142. A. 56. 1. B. 61<sup>b</sup>. 3. C.  
39<sup>a</sup>. 4. D. 131<sup>a</sup>. 2. K. 210<sup>b</sup> 2.) Cives de Russeins docti  
sunt, quod actor omnes querimonias, quas facit, revocare po-  
test sine emenda, praeter illas, quas coram quatuor sedilibus  
et bancis judiciariis proponit, nisi fortassis querimonia actoris  
extra judicium facta, ex parte rei per juratos et judicem fuerit  
protestata, actor deliberatione praehibita voluntarie ad hoc se  
obliget, quod ipsum postea non velit coram iudicio revocare.  
In causa etiam pecuniali seu debitorum actor de uno homine  
simil et semel in judicio tantum tres querimonias movere po-  
test; pro vulneribus autem secundum numerum vulnerum potest  
querimonias multiplicare.

606. De querimoniis ad idem, quantum ad nu-  
merum. (H. 142<sup>b</sup>. A. 56. 2. B. 61<sup>b</sup>. 4. C. 39<sup>a</sup>. 5. D. 131<sup>a</sup>. 3.  
K. 210<sup>b</sup>. 3.) Licet actor in causa civili tres, in causa vero  
criminali plures, quam tres possit simul in eodem iudicio que-  
rimonias movere; tamen, si reus petat per advocatum suum,  
statim ad unam querimoniam est ejus responsio audienda, qua  
audita et finaliter discussa proponatur secunda, qua similiter  
expedita eodem modo fiat de aliis successive.

607. De querimoniis juratorum. (H. 143. A. 56.  
3. B. 61<sup>b</sup>. 6. C. 39<sup>a</sup>. 6. D. 131<sup>a</sup>. 4. K. 210<sup>b</sup> 4.) Si reus que-

rimoniam jurati seu scabini per expurgationem evadere debuerit, non gravius se expurgabit, quam homo communis non juratus, in causa duntaxat aequali consimilem si moverit quaestionem.

608. Utrum ad tres querimonias sufficiat una responsio generalis. (H. 143. D. 131.) Jurati de Gayaw quaesiverunt, utrum homo impeditus pro debitibus per tres querimonias possit una responsione generali sine praejudicio ita, quod causam non perdat, respondere. Quibus responsum fuit: Quod si reus in responsione exprimit verbum, quod includit universalem negationem sicut verbi gratia, si dicit: nihil teneor, bene respondebat et causam non perdit, hoc tamen non obstante, ut tribus querimoniis actoris satisfaciat, per tria juramenta se expurgabit et hoc intellige: si actor petiverit; si autem tacendo hoc transiverit, reus juramento simplici absolvetur.

### **Capitulum de renuntiationibus.**

609. De renuntiationibus quantum ad utrumque jus. (H. 143. A. 57. 1. B. 62<sup>a</sup>. 1. C. 39<sup>a</sup>. 8. D. 131<sup>b</sup>. 3. K. 211<sup>a</sup>. 5.) Licet jure divino homo teneatur, humano jure possit injuriam et offensam alteri dimittere, cum cuilibet licitum sit cedere et renuntiare juri suo, tamen in causis criminalibus, sicut homicidia, vulnerationes, furta et crimina consilia, quibus non solum persona laeditur, sed etiam judicium contemnitur, et pax regia violatur, actor debet ad minus querimoniam ad judicem deferre; hoc enim facto salvo jure judicis excessum reo indulgere potest.

610. Utrum aliquis possit renuntiare suo juri. (H. 143. A. 57. 2. B. 62<sup>a</sup>. 2. C. 39<sup>b</sup>. D. 132. K. 212.) In Chremisir civis tenebatur militi in XL marcas, quas sibi sub testimonio literarum suarum certo termino solvere promisit, alioquin miles ipsum in civitate capere et extra civitatem ad suum propugnaculum ducere deberet ibidemque tamdiu detinere, quo usque solutionem praescripti debiti procuraret. Debito ergo in termino praefixo non soluto, miles ad civitatem Chremisir intrans et civem praedictum capi et de civitate captivum ducere volens, prohibitus est facere hoc per judicem et juratos. Quaerit ergo miles, utrum juxta promissum literarum dicti civis judicium civitatis non beat sibi ad hoc cooperari, quod ipsum in civitate capiat et extra civitatem educat. Ex parte vero consilii civitatis allegatur in contrarium, cum jus et privilegia civitatis prahibeant civem de civitate captivum duci, utrum hoc

quod miles petit, non debeat per judicium tamquam irrationale prohiberi. Super quo diffinitum fuit: Quod duplex est jus seu privilegium. Quoddam quod est introductum in favorem personae, sicut verbi gratia: Si maritus assignavit uxori aliquam hereditatem pro dote, illam, nisi consentiat, nec vendere nec alienare potest. Aliud autem est jus seu privilegium introductum in favorem communitatis sicut illud, quod consilium civitatis Chremisirensse pro se allegat in praesenti casu; modo primo jure seu privilegio ex eo, quod concessum est personae, persona singularis et cedere et renuntiare potest. Secundo autem jure, quia communitati datum est, non potest. Si ergo persona renuntiat juri, ad talem renuntiationem, quando juri communii non obviat, ratam et gratam servandam compellitur jure communii; cum autem renuntiat secundo juri, talem renuntiationem, quam contra jus commune de jure facere non potuit, licet de facto fecerit, ratam et gratam servare non compellitur, nisi velit. Ex his sententiatum est, quod non obstante privilegiati petitione, quae fundatur super promisso privilegio et jure in favorem personae concesso et judicium civitatis et secundum formam juris et privilegii in favorem communitatis, quibus persona renuntiare non potuit, concessor debet prohibere, ne dictus civis extra civitatem ducatur.

Si autem voluntarie complere voluit, admittatur; nisi enim jus et privilegium communitatis obstaret, ad servandum promissum literarum suarum esset per judicium compellendus. Et est simile, cum jus habeat commune, quod nemo pro debitibus vita sit privandus; quamvis aliquis non solvat debitum, quod sub poena capitinis se solvere velle promisit, tamen talis auxilio judicis, si super eo judicatum fuerit, mortis supplicio non est tradendus. Et pro ista materia nota bene: Quod vel jus est publicum auctoritate et utilitate, ut quia jus fisci, vel quia publica vertitur ibi utilitas, et tunc renuntiari non potest; aut auctoritate tantum, non tamen utilitate vera, tunc aut est statutum tantum utilitate renuntiantis, aut communi. Primo casu potest renuntiari, sive sit privilegium sive jus ex aliquo contractu vel pacto. Si vero communi utilitate, id est publica et renuntiantis, tunc non licet.

Et per hoc puto, quod hoc pactum non teneatur, quod faciunt creditores, quod debitor non valeat probare solutionem nisi per scripturam, cum sit communis utilitatis testificatio, et non debet angustari copia probationum, sed juri, quod in favorem est inductum, nec vertitur in eo publica utilitas, pronuntiari potest.

Et hinc est, quod non valet pactum, ut dos ulteriori die redditur, quia in dote est publica et communis utilitas, ut ceteriori die reddatur et civitas sobole repleatur.

Item autem jus consistit in prohibitione vel praecepto, et tunc renuntiare non potest, aut in promissione, et tunc potest.

Item aliud jus est generale, et tunc non licet, aut speciale, et tunc si odio, non licet, si vero favore, licet.

Item si jus est publicum auctoritate et utilitate privatum, tunc distinque, quia aut est solum in favorem inductum, et tunc potest sibi renuntiari, aut utilitate privatum, sed cum ratione inductum, ita, quod, videlicet, quasi communi utilitate, non solum favore verum tamen, quod expedit reipublicae, sicut est illud: ne quis re sua male utatur: tunc non potest pactis privatorum tolli. Nec obstat de feriis, ubi pactum feriis renuntiat, et tamen feriae sunt indictae communi jure et quasi quadam communi utilitate, licet sint utilitatis privatae, quia lex ultra procedit et promittit renunciationem, sicut alias dicimus: Si lex aliquid prohibet, cum ultra procedit permittendo aliquando, quod prohibet, in genere servatur, quod specialiter promittit, qui juri suo renuntiare vult, debet illud scire, alias non videtur renuntiare.

611. Post renunciationem testium non recipiuntur testes. (H. 144<sup>a</sup>. A. 57. 3. B. 62<sup>b</sup>. 1. C. 39<sup>b</sup>. 1. D. 132<sup>b</sup>. 1. K. 212<sup>a</sup>. 2.) Qui eorum iudicio solemniter renuntiat testibus, a productione testium in eadem duntaxat causa, nisi aliquid novi, quod indiget speciali probatione interveniat, prohibetur.

### **Capitulum de rescriptis et registris.**

612. De rescriptis et registris. (H. 144. A. 58. 1. B. 62<sup>b</sup>. 2. C. 56<sup>a</sup>. 1. D. 132<sup>b</sup>. 2. K. 212<sup>a</sup>. 2.) Dum capitulum sancti Petri ecclesiae per registrum, in quo censum canonicorum notare consueverat, vellet probare super domo cuiusdam civis ibidem, se habere tot sexagenas grossorum census: sententiatum fuit diffinitive, quod per simplicia registra seu per scripta, nisi originalibus sigillis authenticis roboratis, vel vivo testimonio probatione rationabili confirmantur, nihil probari potest.

### **Capitulum de sententiis.**

613. De sententiis in genere. (H. 144<sup>b</sup>. A. 59. 1. B. 63<sup>a</sup>. 1. C. 56<sup>a</sup>. 2. D. 132<sup>6</sup>. 3. K. 212<sup>a</sup>. 3.) Quamvis usus et consuetudinis non minima sit auctoritas, nunquam tamen

veritati aut legi praejudicat, nisi sit consuetudo rationabilis et legitime praescripta; talis enim praejudicat legi, et si ex hujusmodi consuetudine rationabili sententia lata fuerit, vigorem habet, nec poterit reclamari. Si autem ex consuetudine irrationaliter feratur, liceat poterit reclamari.

**614. Ad idem.** (II. 144<sup>b</sup>. A. 60. 1. B. 63<sup>a</sup>. 2. C 56<sup>a</sup>. 3. D. 133<sup>a</sup>. 1. K. 212<sup>a</sup>. 4.) In sententiis proferendis non oportet, quod jurati omnia exprimant, quae eos movent, sed sufficit, quod talibus in eorum conscientia diligenter cibra-tis sententias pronuntient brevibus et planis verbis.

**615. De sententiis ad altius judicium per juratos ductis.** (II. 144<sup>b</sup>. A. 60. 2. B. 63<sup>a</sup>. 3. C. 56<sup>a</sup>. 3. D. 133<sup>a</sup>. 2. K. 212<sup>a</sup>. 4.) Si jurati sub expensis partium sententias ad examen suorum superiorum inducent, virtute jura-menti sui, si partes petunt, fatebuntur, quod solum hoc faciant propter informationem justitiae et non ob causam aliam qua-lecumque.

**616. De sententiis scribendis.** (II. 144<sup>b</sup>. A. 60. 3. B. 63<sup>a</sup>. 4. C. 56<sup>a</sup>. 3. D. 133<sup>a</sup>. 3. K. 212<sup>a</sup>. 5.) Jurati de Gewiczka proposuerunt in maniloquio. Quod cum unus concivium eorum haberet in Boskowicz placitare, et jurati sententiam quandam ratione diffinitionis Brunnam ad consilium devol-vissent una cum judice in quadam stuba se claudentes sen-tentiam eaudem secrete scribere, nec partes ad hoc recipere voluerunt. Quaerunt ergo, hoc utrum esset justum, et sunt in-structi, quod juratis, qui omni justitia juraverunt licitum est hoc facere. Cum enim frequenter auditis partium allegationibus in judicio ad locum secretum pro invenienda sententia declinent partibus et judice coram judicio dimisis, quare non licet eis easdem allegationes etiam in absentia partium scribere, quando volunt; tamen, quia semper jurati cavere debent, ne reddantur suspecti, si partes petunt, sententiae coram ipsis et eorum pro-locutoribus sunt scribendae. Judex vero, nisi sententia per eum ratione jurium et emendarum suarum sit quæsita, ad scripturam praedictam admitti non debet ut suspectus. Quando etiam judex sententias et emendas ejus tangentibus ad audientiam deduci pe-tit majorem, tunc scriptori in salario et juratis, qui ad diffini-tores literas ducent, de bursa propria satisfaciet in expensis. Sed de solutione expensarum aliarum sententiarum tenendum est, quod ipsas solvet in causa succumbens.

## Capitulum de servitutibus.

**617.** De servitutibus urbanis et rusticis in communi. (I. 115<sup>a</sup>. A. 61. I. B. 63<sup>a</sup>. I. C. 56<sup>b</sup>. I. D. 133<sup>a</sup>. I. E. 212<sup>b</sup>. 4.) Servitutes vocantur, in quibus una domus alteri, ager unus alteri, campus unus alteri et universaliter, in quibus una hereditas et unus fundus alteri obligatur, sicut verbi gratia: quod lumen unius vicini transeat in curiam alterius, quod unus duorum vicinorum inter eos canale ponat; quod stillicidia de vicino in curiam alterius vicini cadant, et sic de consimilibus. Et cum frequenter magnae lites de talibus inter partes oriuntur, notauna sunt subscripta, ex quibus, si casus dubitabilis occurrerit, sententia juri et consuetudini civitatis Brunnensis consona faciliter poterit inveniri. Aedificia urbana letiam praedia appellamus, et nemo servitutem acquirere potest vel urbani vel rustici praedii, nisi qui habet praedium; nec quisquam potest habere servitutem, nisi habeat praedium. Caveri, ut ad certam altitudinem sepulerum aedificetur, non potest, quia id, quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit, sicut nec illa quidem servitus consistere potest, ut certus numerus hominum in uno loco sepeliatur. Item solum commune vendendo, ut mihi et socio serviat, efficere non possum, quia per unum socium communi solo servitus acquiri non potest. Nemo alienis aedibus vel praediis acquirere servitutem vel interponere potest. Si quis aedium partem tradat vel partem fundi, servitutem non potest imponere, quia per partes servitus imponi non potest, sed nec acquiri. Sed si divisit fundum certis metis, et si partem tradidit, pro diviso potest alterutri imponere servitutem, quia jam non est pars fundi, sed fundus, et hoc in aedibus potest dici, si una domus per parietem in medio factum dividatur; postea enim pro duabus dominibus accipi debet. Si ei, cuius praedium mihi serviebat, heres existit, et eam hereditatem tibi vendidi, restitui tibi in pristinum statum servitus debet, quia id agitur, ut tu heres videaris extitisse.

Quidquid venditor servitus nomine sibi recipere vult, nominatim sibi recipere oportet; nam illa generalis receptio, quibus est servitus, utique ad extraneos pertinet, nihil proficit ipsi venditori ad jura conservanda, nulla enim habuit, quia nemo ipsi servitutem deberet, quin imo, si debita fuerit servitus et dominium deinde rei servientis pervenit ad me, communiter diceretur, exstinkti servitutem.

Et hinc collige, quod in generali sermone persona loquentis non est intelligenda.

Refectionis gratia accedendi ad ea loca, quae non serviant, facultas tributa est illis, quibus servitus debetur. Si tamen illa loca sint contigua servientium, nec oportet, quod de tali accessu aliquid serviatur. Item si per tuum fundum jus est mihi aquam ex rivo ducere, tacite haec jura sequuntur, ut resicere mihi rivum liceat, ut adire quam proximum possim ad reficiendum cum ego operariique mei, et ut spatium mihi relinquat dominus fundi, quo a parte dextra et sinistra ad rivum accedam, ut quo terram, lutum, lapides, arenam et calcem jacere possimi. Item cum fundus fundo servit, venditoque fundo servitutes sequuntur.

Aedificia quoque fundis et fundi aedificiis eademque conditione servant. Si constat in tuo agro lapidicinae esse invitote, nec privato, nec publico nomine quisquam lapides caedere potest, cui id faciendi jus non est, nisi talis consuetudo in illis lapidiciniis consistat. Quod si quis ex eis velit caedere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum salaryum pro hoc domino praestet; ita tamen lapides caedere debet, postquam satisfaciat domino, ut neque usus necessarius lapidis intercludatur, neque commoditas rei jure admatur. Quamvis mari, quod natura omnibus patet, servitus imponi privata lege non possit, quia tamen bona fides contractus legem venditionis servari exposcit, personae possidentium, per stipulationis vel venditionis legem obligatur.

Et sic nota, quod piscatio maris, quae est libera sit serva. Qui certum locum, iter vel actum alicui concessit, potest pluribus per eundem locum vel iter, vel actum concedere; sicut et, si quis vicino suo aedes servas fecit, nihilominus quibuscumque aliis, ut si vult, multis potest eas servas facere.

Potest etiam heredem suum quis damnare, ne altius aedes suas tollat, ne luminibus aedium vicinorum officiat, vel ut patiatur eum, tignum in parietem immittere, vel stillicidia adversus eum habere, et ut patiatur vicinum suum per fundum suum vel aedes ire, aquamve ex eo ducere.

**618. Qualiter servitutes amittantur.** (H. 146. A. 61. 2. B. 64<sup>a</sup>. 1. C. 57<sup>a</sup>. 1. D. 134<sup>a</sup>. 1. K. 213<sup>b</sup>. 1.) Servitutes praediorum confunduntur, si idem utrinsque praedii dominus esse cooperit. Qui iter habet actum, si statuto tempore tantum ierit, non periisse actum multis placet; nam ire quoque per se eum posse, qui actum habet, placet.

Jura praediorum morte et capitis diminutione non perire, vulgo traditum est. Item iter sepulcro debitum non utendo, non amittitur, et similiter via publica non perit non utendo, et hoc est speciale in istis. Servitus et per socium fructuarium et bonae fidei possessorem nobis retinetur. Si stillicidii jus habet aliquis immittendi, in aream tuam et permiserit tibi jus in ea area aedificandi, stillicidii immittendi jus amittit. Et similiter si per tuum fundum mihi via debeatur, et permisero tibi in eo loco, per quem mihi via debeatur, aliquid facere, amitto jus viae.

Item si communem fundum ego et pupillus habemus, nterque licet non uteretur, tamen propter pupillum et ego viam retineo.

Totiens servitus confunditur, totiens uti ea ille, ad quem pertinet, non potest. Si is, qui haustum habet per tempus, quo servitus admittatur, non ad fontem ierit, nec aquam hauserit, iter amittit. Si quis eorum, quibus aqueductus servitus debebatur, jus aquae ducendae non utendo amiserit, nihil juris eo nomine caeleris, qui rivo utebantur, accrebit. Idque commodum ejus est, per cuius fundum aqua dueebatur, libertate enim hujus partis servitus fruitur. Si quis usus fuerit alia aqua, quam de qua in servitute imponenda actum est, servitus amittitur. Tempus, quo nou est usus praecedens fundi dominus, cui servitus debetur, imputatur ei, qui in ejus loco successit. Si cum jus habes immittendi tigni, vicinus statuto tempore aedificatum non habuit ideoque nec immittere poteris non ideo magis servitatem amittes, quia non potest videri usu cepisse vicinus suus libertatem aedium suarum, quia jus tuum non interpellavit, scilicet aedificando, et hoc est necessarie in urbanis servitutibus, sed secus in rusticis, ubi sufficit solum, quod non utatur.

Usu retinetur servitus, cum ipse, cui debetur, utitur, quive in possessione ejus nomine est, aut mercenarius, aut hospes, aut quicumque, licet malae fidei sit possessore, retinetur servitus; ad eam autem acquirendam bona fides est necessaria. Si partem fundi vendem, lege caverim, ut per eam partem et reliquum meum fundum aquam ducere possim, et statutum tempus intercesserit, antequam rivum facerem, nihil juris amitto, cum nullum iter aquae fuerit, sed manet mihi jus integrum; quod si fecisset iter, neque usus essem, amittam. Nota in summa, quod jus servitutis multis modis amittitur; aliquando enim confusione praediorum, aliquando rei servientis defectu, aliquando per-

missione actus contrarii, aliquando per alienationem rei, item rei interitu, item non utendo et hoc multipliciter, aut enim non utendo simpliciter, aut enim non utendo secundum tempus statutum, aut non utendo secundum quantitatem, sed non per se, nisi cum prohibitione superveniente, aut non utendo secundum rei existentiam, sed utendo una pro alia, aut non utendo ignorantia superveniente. Et exempla istorum modorum in praescriptis legibus continentur.

### **Capitulum de stupro.**

**619. De stupro et raptu mulierum quantum ad raptorem et coadjutores ejus.** (B. 64<sup>b</sup>. 1. D. 134<sup>b</sup>.

1.) In Gayaw quidam juvenis cum quatuor suis sociis euidam civi hora crepusculi de potu eunti virginem filiam de latere rapiens se in quodam clausit cellario cum eadem. Index vero ad clamorem patris et filiae festinanter accurrens raptorem cum rapta in cellario invenit, quae confessa, se non esse defloratam, solum de raptu flebiliter est conquesta. Quaeritur ergo, quid juris sit in hoc casu. Super quo responsum fuit. Si virgo in circulo, sicut moris est, voluntarie raptorem accesserit, sibi dabitur in uxorem. Si autem ad parentes declinaverit, et raptor et socii sui capitali sententiae subjacebunt.

**620. Ad idem de stupro et oppressione mulierum.** (H. 146<sup>b</sup>. B. 64<sup>b</sup>. 2. D. 134<sup>a</sup>. 2.) Honestae familiae vidua judici et juratis in consilio secreto sedentibus flebiliter est conquesta, quod servus, moribus distortus, qui marito suo praemortuo tempore servierat aliquando, de ipsa in ejus honoris detrimentum hincinde loqueretur in civitate, quia carnaliter eam cognoverit, et fidem matrimonii sibi promiserit, ipsam tali mendacio volens compellere, quod ab alio viro contemta sibi legitime societur. Servus autem vocatus et interrogatus cognitionem carnalem et fidei sponsionem deliberatione praehabita constanter fatebatur, verum cum testibus hoc ostendere non posset, et in carcere detentus aliquamdiu fuisset, et iterum per juratos super dicenda veritate requisitus esset, priora verba mutans cognitionem et permissionem negavit. Super quibus affirmatis et negatis vidua in fama boni nominis irrecuperabiliter se laesam esse querulans petivit sibi cum lacrimis de justitia provideri. Super quo diffinitum fuit: Cum vidua non sit conquesta de violentia in honore sibi facta, sed solum de verbis per servum mendaciter prolatis, cum etiam potius sit credendum querimoniae viduae famosae de verbis, quam confessioni servi

nequam de factis, et potissimum, cum propter verba praeciosius saquus humanus non sit effundendus, et in poenis mitius sit agendum, sufficit, quod servus excisa lingua repellatur a civitate nunquam sub poena capitis reversurus.

### **Capitulum de successionibus.**

**621. De successionibus ab intestato:** (II. 147<sup>b</sup>. A. 63. 1. B. 64<sup>b</sup>. 3. C. 58<sup>a</sup>. 1. D. 135<sup>a</sup>. 1. K. 157<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est juratis et proposito in Cunicz, quod si filius a domo patris per dotalitium vel portionem hereditariam emancipatus et tandem sine uxore et liberis moritur intestatus, bona, quae relinquit ita, quod a patre non processerunt, potius transeunt ad fratres et sorores ejusdem filii, quam ad patrem; paupere tamen existente patre, et fratribus et sororibus minus indigentibus, pium est, aliqua talium bonorum portio detur. Secus autem sic est, si hujusmodi bona a patre provenerunt, tunc enim iterum ad patrem revertuntur. Et possunt jurati tales sententias super successionibus hereditariis, si de testamentis mentio non sit, quando jura civilia scripta seu consuetudinaria ipsas non declarant, secundum eorum conscientiam diffinire, pro ut colligitur ex privilegio Johannis regis, quod civitas habet super testamento: Nos Johannes etc.

**622. De successionibus ad idem:** (II. 147. A. 63. 2. B. 65<sup>a</sup>. 1. C. 58<sup>a</sup>. 2. D. 135<sup>a</sup>. 2. K. 157<sup>b</sup>. 2.) In villa Urchaw quidam occisus filium relinquit et uxorem, quae alium superducens maritum quatuor pueros genuit, quod videntes fratres occisi filium ejus eorum patrum cum portione ad eum pertinente ab aliis quatuor prius dividi, et eis assignari forma iudicaria obtinuerunt. Et cum intra annum dictus filius de medio sublatus fuisset, dominus heres villae repetivit substantiam suam, allegans, quod ad se, cum sine herede decesserit, esset justitiiliter devoluta. Mater autem ipsius filii dixit eandem substantiam ad pueros quatuor, quos ex secundo peperit marito, justitiiliter pertinere. Super quo responsum est diffinitive: Cum filius mortuus et quatuor viventes ex eodem processerint utero, nec alii supersint ex semine patris occisi, editi bona filii scilicet mortui ad uterinos superviventes hereditarie pertinebunt; non enim solum heredes secundum descensum et infra, sicut dominus villae Urchaw movebatur, sunt recipiendi; sed etiam sursum et a latere. Unde coheredes pro heredibus sunt habendi.

**623. De successionibus regulae generales et speciales.** (II. 148. A. 64. 1: B. 65<sup>a</sup>. 2. C. 58<sup>a</sup>. 3. D. 135<sup>b</sup>. 1. K. 158<sup>a</sup>. 1.) Privilegia et jura civitatis dicunt, quod marito intestato decedente tertia pars bonorum, quae reliquit, ad uxori, duae vero ad heredes, sive unus, sive plures fuerint, pertinebunt. Salvo ergo isto jure si evenerit casus, qui nec secundum ipsum, nec secundum jura originalia diffiniri potest, recurrendum est ad leges communes, in quibus, qualiter hereditas efferatur jure agnationis vel cognationis scribitur sic: In successionibus ab intestato primo succedent descendentes, secundo ascendentēs una cum fratribus intestati defuneti, tertio collaterales proximiores. Omnibus his deficientibus uxor succedit, postremo fiscus, nisi pactum vel consuetudo praejudicet; et dicitur pactum, sicut est promissum pactum per maritum et uxorem alteri personae, isto modo: Post mortem nostram bona, quae dimiserimus possidebis; sic removetur fiscus et dicitur consuetudo, sicut alibi bona talia dividuntur in duas partes, alibi autem in tres, sicut consuetudo et jura municipalia civitatis habent.

**624. De successione, quantum ad descendentes ab intestato dantur regulae tales speciales.** (II. 148. A. 64. 2. B. 65<sup>a</sup>. 3. C. 58<sup>a</sup>. 2. D. 135<sup>b</sup>. 2. K. 158<sup>a</sup>. 2.) In successione ab intestato potior est causa descendentiū, si supersint.

Item in primo gradu descendentiū sunt liberi legitimi et naturales, vel etiam legitimi tantum, et postea aequales nepotes eiusdem gradus et sic descendendo.

Item liberi naturales in totum succedunt, si alii non supersunt, spurii autem numquam succedunt; et haec vera sunt quoad lineam paternam. Sed si agatur de successione matris, ibi vniuntur spurii cum legitimis, nisi mater illustris sit, et vocantur spurii, quorum vulgus pater est, i. e. de quorum patre dubitatur.

Item nepotes succedunt in stirpes, id est in eam partem, quam parentes eorum habituri essent, si viverent, unde, si quis ex uno filio unum puerum nepotem suscepit et ex altero decem, vel plures, tantum capiet unus ex parte sua, quantum decem ex parte altera.

Item mulier succedit ex parte altera sicut masculus; nam in eis unius sanquinis jura permanent.

Item emancipatus succedit sicut suus, id est non emancipatus, qui est adhuc in paue parentum.

**625. De linea ascendentium dantur regulae**

tales: (II. 148. A. 64. 3. B. 65<sup>b</sup>. 1. C. 58<sup>b</sup>. 2. D. 136<sup>a</sup>. 1. K. 157<sup>a</sup>. 2.) Defuncto aliquo vel aliqua sine liberis, fratres et sorores ejusdem cum ascendentibus in proximo gradu succedunt in portiones aequales.

Item in ista linea, sicut in descendantibus succedit mulier sicut masculus, et emancipatus sicut non emancipatus.

Item inter ascendentes est servanda praerogativa gradus, ut scilicet pater preferatur avo, si utsique supersit, et avus proavo, et sic de singulis.

Item si ascendentes pari gradu sint, sicut sunt parentes, pula pater et mater, pariter succedunt, et quidem pro dimidia parte.

Si autem tantum pater sit, vel mater tantum sit, quilibet succedit in totum.

Item paternis semper debetur pars dimidia, quamvis dispar numerus sit ascendentium, sic verbi gratia, si ex una est tantum avus maternus, et ex altera avus et avia paterni, licet duo sint, tantum capiet avus maternus, licet solus sit.

Item cum parentibus intestati admittuntur fratres et sorores ex parte ejusdem patris et ejusdem matris et in portiones aequales. Secus autem, si sit frater uterius ex parte matris tantum, vel agnatus ex parte patris tantum, quia talis excluditur a parentibus, et est idem judicium de sorore.

Item si supersint filii vel filiae fratrum ex utroque latere coniugiorum, admittuntur una cum parentibus, et sicut patres eorum, si viverent admitterentur.

Item si sunt fratres ex una parte et avus et avia ex superiori linea, similiter succedunt, ita, quod fratres non sint preferendi; avus enim est in gradu proximo deficiente patre, nam proximus est, quem nemo antecedit; volunt tamen quidam quod frater excludat avum et intret locum patris. Melius est tamen dicere primo modo.

Item pater naturalis tantum succedit filio intestato eadem ratione, qua filius talis succedit patri; filio autem spurio pater non succedit, quia nec talis pater nec filius nominandus est. Item pater et mater succedunt filiis, sive contrahant secundas nuptias, sive non.

**626. De collateralibus dantur regulae tales:** (II. 148. A. 64. 4. B. 65<sup>b</sup>. 2. C. 59<sup>a</sup>. 1. D. 136<sup>a</sup>. 2. K. 158<sup>a</sup>. 3.) Cessante successione lineae descendantis et ascendentis primo succedunt fratres et demum alii, ut fratrum filii, et sic de aliis descendendo.

Item cum fratribus et eorum filiis succedunt parentes defuncti, de cuius hereditate agitur, si supersunt.

Item si nec sunt fratres, nec parentes, nec alii descendentes, tunc filii fratrum totum percipiunt. Si autem supersunt aliqui de ascendentibus, illi succedunt cum filiis fratrum praemortuorum.

Item in tali successione potissime succedunt fratres, qui ex utroque parente contingunt defunctum intestatum, et similiter intelligatur de filiis eorundem fratrum. Unde filius talis fratri defuncti, licet gradu tertio sit, tamen praefertur fratribus defuncti, qui ex uno tantum parente cognati erant.

Item post fratres ex utroque parente et eorum filios, succedunt ex uno latere fratres vel sorores, cum quibus et filii eorum, si qui eorundem fratrum et sororum jam decesserint, similiter succedunt.

Item filii fratrum, cum pares sunt fratribus defuncti, praferuntur procul dubio ejusdem defuncti patruis et aliis similibus.

Item in hac successione succedit mulier sicut masculus et emancipatus sicut suus, ut supra.

Item filii fratrum praemortuorum, quando succedunt cum patruis, avis vel proavis vel ceteris ascendentibus, succedunt tantum in stirpem, hoc est solum in illam partem, quam patres habuissent, si vixissent.

Quando autem succedunt sine ascendentibus, semper succedunt in capita et non in stirpe; quia quot sunt capita seu personae tales, tot sunt partes bonorum, in quibus succedunt.

Item in successione collateralium est iste ordo servandus, quod in rebus maternis, quae a progenitoribus matris provenerunt, soli uterini succedant, licet consanguinei agnativi ex parte patris tantum supersint; in aliis vero communiter succedunt. Qui vero ex utroque parente sunt, cum utrisque admittentur.

Item cum filii fratrum praferuntur patruis defuncti, tunc tertius gradus excludit tertium, quamvis alias regulare sit, quod pares gradu pariter admittuntur.

Item post fratres fratrumque filios succedunt quicunque sibi gradu proximiores in infinitum, dum tamen attinentia seu gradus attinentiae probetur.

**627.** Ex omnibus dictis regulis specialibus elicuntur regulae generales. (H. 149<sup>a</sup>. A. 64. 5. B. 66<sup>a</sup>. 1. C. 59<sup>b</sup>. 1. D. 136<sup>b</sup>. 1. K. 158<sup>b</sup>. 1.) Quicumque in hereditate vult succedere, debet ad hoc gladio, hoc est ex patris parte natus esse.

Item si cognati patris et cognati matris pro hereditate contendunt, tum cognati patris jus obtinent et non matris. Tamen si bona a progenitoribus matris provenerunt, tunc etiam jus obtinent cognati matris. Item quicunque in cognatione uno gradu seu linea est propinquior, sive ex parte matris sive ex parte patris, ille bona praedecessorum secundum justitiam possidebit. Et quod dicitur ex parte matris, intelligendum est tantum in rebus maternis, de quibus superiorius regula specialis habetur, qualiter ibi soli uterini succedunt. Item quamdiu supersunt consanguinei in linea adscendentium et descendantium directe, tamdiu hereditas non devolvitur ad collaterales; fratres tamen defuncti cum parentibus ejus aequaliter admittuntur.

### **Capitulum de Theoloneo.**

628. De theoloneo, quantum ad visitationem nundinarum. (II. 149<sup>a</sup>. A. 65. 1. B. 66<sup>a</sup>. 2. C. 59<sup>b</sup>. 2. D. 143<sup>b</sup>. 1. K. 214<sup>b</sup>. 1.) Licet tempore libertatis nundinarum causa emendi vel vendendi civitatem visitantes de bonis et mercibus suis theoloneum non solvant; tamen forum in civitatibus non quaerentes de bonis, quae transducunt, ad solvendum theoloneum sicut aliis temporibus sunt astrieti.

629. De theoloneis et tributis deductis et non solutis. (II. 149<sup>b</sup>. A. 65. 2. B. 66<sup>a</sup>. 3. C. 59<sup>b</sup>. 3. D. 143<sup>b</sup>. 2. K. 214<sup>b</sup>. 2.) Sententia mest in Albam Ecclesiastam: Qui bona sua stulte ponderans theoloneum deducit, non potest alio tempore, si revertitur per theolonarium ad solvendum theoloneum deductum compelli; debet enim theolonarius vigilare et non dormire super solutione theolonei.

630. De theoloneis, de quibus rebus dentur. (II. 149<sup>b</sup>. A. 65. 3. B. 66<sup>b</sup>. 4. C. 59<sup>b</sup>. 4. D. 143<sup>b</sup>. 3. K. 214<sup>b</sup>. 3.) Theolonario civitatis sententiatum est per juratos, quod de annonis, vinis, lectisterniis et singulis aliis rebus, quas extranei tempore discordiae seu guerrae ad civitatem causa observationis, sicut ad locum tutum ducant et postea iterum educunt, nullum de jure theoloneum est solvendum. Item res, de quibus thelonenem de jure non datur, ex omissione seu neglectione theolonei non perduntur. Cum autem aliae res theoloneo subjectae cum dictis rebus occulte deducuntur, tunc caute videndum est, quid juris sit in talibus rebus utrisque.

## Capitulum de testamentis.

631. De testamentis in genere et primo quomodo ordinentur. (H. 149<sup>b</sup>. A. 61. 1. B. 66<sup>b</sup>. 1. C. 59<sup>b</sup>. 5. D. 143<sup>b</sup>. 4. K. 214<sup>b</sup>. 5.) Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis est, et debet fieri coram testibus secundum consuetudinem civitatum, sive sint jurati, sive non sint jurati, et debent tales esse vocati et instanter rogati per testatorem, et sive tales testes sub sigillis testamentum conscribant, vel in memoria teneant, semper valet. Mortuo etiam testatore testamentum est cito pronuntiandum, ut illi, quibus bona sunt legata, a litibus liberentur. Et leges volunt, quod testamenta coram septem testibus fieri debent; tamen hoc secundum jus civile non servatur, quia etiam unus scabinus, juratus, vel alii duo fide digni non scabini in testamento pro testibus admittuntur.

Sed non omnes homines possunt esse testes in hoc facto; quia neque mulier, neque impubes, neque servus, neque mutus, neque surdus, neque furiosus, neque improbi seu detestabiles possunt in numerum testium adhiberi. Et est intelligendum de muto et surdo, qui nihil loqui vel audire possunt. Est enim intelligendum de furioso, qui non habet dilucida intervalla.

Item duo fratres, qui in potestate ejusdem patris sunt, utriusque testes in uno testamento fieri possunt, quia nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. In testibus autem non debet esse, qui in potestate testatoris est. Sed etsi filius familias de castrensi peculio post remissionem faciat testamentum, nec pater ejus recte testis adhibetur, nec is, qui in potestate ejusdem patris est; reprobandum enim est in ea re domesticum testimonium.

Legatariis autem et fideicommissariis, qui non juris successores sunt et aliis personis eis conjunctis testimonium non denegamus.

Et multo magis his, qui in eorum potestate sunt, hujusmodi licentiam damus. Nihil autem interest, utrum testamentum in tabulis, an in cartis vel in alia materia fiat.

Item si testator peritus literarum testamentum manu sua propria scribat et ipsum signatum vel ligatum offerat testibus, qui ipsum sigillent: tunc sive testes scient, sive non, quae continentur in testamento, nihilominus testamentum tenet.

632. De his, qui testamentum facere non possunt. (H. 150<sup>a</sup>. A. 66. 2. B. 66<sup>b</sup>. 2. C. 60.<sup>a</sup>. 1. D. 144<sup>a</sup>. 1. K. 215<sup>b</sup>. 2.) Qui alieno subjecti sunt juri, testamenti jus faciendi

non habent, nisi quantum parentes eis permiserint, exceptis mulieribus, quae in potestate parentum sunt, quibus de eo, quod in estris acquisierunt, permissum est testamentum facere. Praeterea testamentum impubes facere non possunt, quia nullum eorum animi judicium est.

Unde masculi, qui annos aetatis quatuordecim complevit, testamentum facere potest; foemina vero, quae explevit annos duodecim.

Item nec furiosi, quia mente carent; nec ad rem pertinet, si impubes postea pubes factus, aut furiosus postea mentis compos factus fuerit et decesserit. Furiosi autem, si per idem tempus fecerint testamentum, quo furor eorum itermissus est, jure testati esse videntur, certe etiam eo, quod ante furorem fecerint testamento valente; nam neque testamenta recte facta, neque aliud ullum negotium recte gestum postea furor interveniens perimit.

Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest, sed id, quod antea fecerit, quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est. Et est prodigus ille, qui neque modum, neque finem habet in expensis, et dat danda et non danda.

Item surdus et mutus non semper facere possunt testamentum, et loquimur de eo surdo, qui omnino non audit, et non qui tarde exaudit; nam et mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur. Saepe etiam literati et eruditi homines variis casibus et audiendi et loquendi facultatem amittunt, et tamen caeteris casibus et modis testari possunt. Sed qui post testamentum factum surdus et mutus esse coepit, ratum nihilominus permanet ejus testamentum. Unde surdus vel mutus casu vel mutus tantum sive natura sive casu si scribere noverit, sua manu scribere potest testamentum.

Item damnatus ad mortem civilem vel naturalem testari non potest.'

Item de criminis famoso damnatus.

Item de statu suo dubitantes.

Item monachi et presbyteri de his, quae habent a beneficiis ecclesiasticis, testari non possunt. Presbyteri tamen de his, quae habent ex patrimonio vel ratione personae, puta si iurista vel scriptor quis fuit, vel aliud officium gessit, testari potest.

Item testamenta quandoque sunt pure, quandoque condi-

tionaliter, et si impossibilis conditio testamentis, institutionibus et fideicommissis interponatur, pro non scripta habeatur.

Item si plures conditiones institutionibus vel legatis adscriptae sunt, si quidem conjunctim ut puta: si id et id factum sit, omnibus parendum est. Si separatim veluti: si id aut id factum erit, cuilibet obtemperare satis est.

Item hi, quos nunquam testator vidit, heredes institui possunt, veluti si fratri filios peregrinos ignorans, quod essent, heredes instituerit; ignorantia enim testantis inutilem testationem non facit.

Potest autem quis in testamento suo plures gradus heredum facere, ut puta: si ille heres non erit, ille heres sit, et deinceps in quantum velut testator substituere potest, et in novissimo loco in subsidium etiam servum instituere potest in heredem.

Item si filii ejusdem aetatis sunt, in qua sibi ipsi testamentum facere non possunt, parentes sibi facere possunt.

**633. Quibus modis testamentum infirmatur?** (H. 150<sup>b</sup>. A. 66. 3. B. 67<sup>a</sup>. 1. C. 60<sup>b</sup>. 1. D. 144<sup>b</sup>. 1. K. 216<sup>a</sup>. 1.) Testamentum rumpitur vel irritum fit, cum in eodem statu manente testatore ipsius testamenti jus vitiatur. Item si quis post factum testamentum adoptaverit sibi filium, testamentum ejus rumpitur. Item posteriore testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur, nec interest, an exstiterit aliquis heres ex eo, an non exstiterit; hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere poterit. Ideoque si quis aut voluerit heres esse aut vivo testatore aut post mortem ejus, antequam hereditatem adiret, decessit aut, conditio, qua heres institutus defecerit, in his casibus paterfamilias intestatus moritur; nam et prius testamentum non valet ruptum a posteriore, et posterius factum aequa nullas vires habet, cum ex eo nemo heres extiterit.

**634. De testatis et legatis rebus.** (H. 151<sup>a</sup>. A. 66. 4. B. 67<sup>b</sup>. 1. C. 61<sup>a</sup>. 1. D. 145<sup>a</sup>. 1. K. 216<sup>b</sup>. 2.) Non solum testatoris vel heredis res, sed etiam alienas res legari potest, ita ut heres cogatur redimere eam et praestare, et si non potest redimere, aestimationem ejus dare; sed et si talis est res, cuius non est commercium, nec adipisci potest, aestimatio ejus non debetur; sicuti si basilicas vel templa, vel quae publico usui destinata sunt, legaverit, nullius momenti legatum est.

Item si rem obligatam creditori aliquis legaverit, necessarie habet eam heres lucre et redimere.

Item si res aliena legata fuerit, et ejus rei vivo testatore legatarius dominus factus fuerit, si quidem ex causa emtionis

ex testamenti actione praetium consequi potest. Si vero ex causa lucrativa, veluti ex donatione vel alia simili causa agere non potest; nam traditum est; duas lucrativas causas in eundem hominem et in eandem rem concurrere non posse. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur, interest, utrum rem, an aestimationem ex testamento consecutus est; nam si rem habet, agere non potest, quia eam habet ex causa lucrativa, si aestimationem habet, ex testamento agere non potest.

Item si eadem res duobus legata sit, sive conjunctim, sive divisim, si ambo perveniant ad legatum, scinditur inter eos legatum; si autem alter deficiat, qui aut spreverit legatum, aut vivo testatore decesserit, aut alio quolibet modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet.

Conjunctim autem legatur, veluti si quis dicat: ticio et scio hominem stichum, do, lego; disjunctim ita: ticio hominem stichum, do, lego. Et si expresserit: eundem hominem stichum aequae disjunctim legatum intelligitur.

Item si rem legatarii aliquis sibi legaverit, inutile est legatum, quia quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest, et licet alienaverit eam, non debetur nec ipsa, nec aestimatio ejus.

Item si quis rem suam quasi alienam legaverit, valet legatum; nam plus valet, quod in veritate est, quam quod in opinione.

Sed et si legatarius putaverit valere, constat legatum, quia voluntas defuncti exitum potest habere. Si rem suam legaverit testator, posteaque eam alienaverit, si non adimendi animo vendidit, res debetur legatario.

Item eum, qui post testamentum factum praedia, vel quae legata erant, pignori dedit, ademisse non videtur legatum, et ideo legatarius cum herede potest agere, ut praedia a creditore luantur. Si vero quis partem rei legatae alienaverit, pars, quae non est alienata omni modo debetur, pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit.

Item si quis debitori suo liberationem legaverit, legatum utile est, et neque ab ipso debitore, neque ab heredibus ejus potest heres petere, neque ab alio, qui loco heredis est, sed possunt a debitore conveniri, ut lib<sup>c</sup>rent ipsum. Potest autem quis vel ad tempus jubere, ut heres petat; e contrario debitor si creditori suo quid debet legaverit, inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quam in debito, quia nihil plus habet per legatum.

Item si uxori maritus dotem legaverit, valet legatum, quia plenius est legatum, quam actio de dote. Sed si et quam non acceperit, dotem legaverit, si quidem simpliciter legaverit, inutile est legatum.

Si vero certa pecunia, vel certum corpus aut instrumentum dotis in paelegando demonstrata sunt, valet legatum, et est instrumentum apparatus possessionis, ut currus, aratrum et consimilia.

Item si grex legatus fuerit, posteaque ad unam ovem pervenerit, quae superfluerit vendicari potest. Grege autem legato et eas oves, quae post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere, Julianus ait; est enim gregis unum corpus ex distantibus capitibus, sicut aedium unum corpus est ex cohaerentibus lapidibus. Aedibus denique legatis columna et marmora, quae post testamentum factum adjecta sunt, legato seu legatario cedunt; sed columna seu tignum domus partim legari non potest, ne urbs deformetur.

Item tam corporales res, quam incorporales legari possunt; et ideo id, quod defuncto debetur, potest alicui legari, ut scil. actiones suas heres legatario praestet, nisi exegerit vivus testator pecuniam; nam hoc casu legatum extinquitur.

Item si quis in nomine, agnominé, cognominé, praenominé legatarii erraverit, testatori, si de persona constet nihilominus valet legatum; idem quod in heredibus servatur et recte.

635. De his, qui intestati moriuntur. (H. 152<sup>a</sup>. A. 66. 5. B. 68<sup>a</sup>. 1. C. 61<sup>b</sup>. 1. D. 145<sup>b</sup>. 1. K. 217<sup>b</sup>. 1.) Intestatus decedit, quia aut omnino testamentum non fecit, quia morte praeventus est, aut quia noluit, aut non jure testamentum fecit, quia scilicet caruit solemnitate testium, vel quia testator non habuit testamenti factionem, sicut furiosi, et alii supradicti; aut id, quod fecerat, ruptum, irritumve est factum. Ruptum scilicet agnatione postumi vel de causa; irritum autem sit, cum probatur officiosum et non ex officio pietatis factum. Intestatus etiam decedit, ex quo nemo heres extiterit.

636. Quomodo mortuo testatore testamentum impeditur. (H. 152<sup>a</sup>. A. 66<sup>b</sup>. 6. B. 68<sup>a</sup>. 2. C. 61<sup>b</sup>. 2. D. 145<sup>b</sup>. 2. K. 218<sup>a</sup>. 1.) Dum Nicolaus Calcifex civis Brunensis in ultima sua disposuisset voluntate domum vendi et tertiam partem uxori, duas vero pro duobus pueris, quos adhuc infantes reliquerat, quibusdam ejus amicis, quos nominatim ad hoc constituit, pro utilitate puerorum impendendas per eosdem

assignari. Accidit, quod uxor secundum maritum superduxit. Quo facto amici Nicolai domo vendita duas partes pecuniae cum infantibus eis petierunt tradi, allegantes, quia Nicolaus hoc in extremis allegaverit in suo testamento; mater autem puerorum pro se sententiari petivit, cum ejus pueri adhuc essent infantes et subsidio materno plurimum indigentes, et ipsu naturali pietate mota ipsos vellet alere et in propria custodiam recipere, pecunia puerorum apud amicos remauente ita tamen, quod cautionem de ea pro ipsorum usu laboranda dimissa facerent, utrum quiescente dispositione mariti praemortui ad gerendam curam de pueris suis ipsa non esset propinquior, quam amici. Super quo sententialum est pro ipsa amicorum allegatione non obstante, et sic testamentum testatoris hujus, quantum ad hoc non processit. Nihilominus ex eo non sicut impeditum, sed potius salubrius interpretatum et pro bono puerorum in melius commutatum. Volebant enim amici pro necessitate puerorum annuatim de eorum pecunia dictam pensionem habere, de qua mater eos benivole supportavit.

637. Testamentum potest homo condere de bonis suis ubique locorum. (H. 152<sup>a</sup>. B. 68<sup>b</sup>. 1. C. 62<sup>a</sup>. 1. D. 146<sup>a</sup>. 1.) Sententialum est ad loca diversa. Si homo domi testamentum facit et postea peregrinando vel alia de causa ad partes venit alienas, ibi licitum est sibi, si decreverit secundum testamentum condere et primum revocare, et testes illius loci sive jurati sive non, dummodo sunt sufficietes et fide digni, recipi debent pro testamento hujusmodi confirmando. Nec obstat jus commune, quod dicit, quod jurati extra proprium judicium testari non possunt; hoc enim sicut et illud, quod scribitur in iuribus originalibus sub istis verbis: Volumus etiam ut nullus hospes advena super debito vel quacunque causa possit inducere testimonium advenarum contra civem, nisi cum advenis habeat unum civem vel plures et infra; circa testamentum quae pia sunt negotia, in quibus agendum est mitius, locum non habent. Et confirmatur ista sententia ex paragrapho uno iurium originalium de testamento hospitum, ubi scribitur sic:

Item volumus, advena hospes in civitate moriens de rebus suis quicquid ordinaverit, ratum et firmum permanere et infra.

Si ergo advenae in civitate licitum est testamentum condere, rationabiliter licebit hoc civi in alio loco, ubi advena reputatur; require supra anno LXVII in sententia LXXXI.

638. De testamentis condictionatis. (Il. 152<sup>b</sup>.

B. 68<sup>b</sup>. 2. C. 62<sup>a</sup>. 2. D. 146<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est juratis in Wissaw: Si quispiam moriens bona, quae relinquit, pluribus divisim sub ista legat condicione, quod uno sepulto ejus portio transeat ad alios, ista condicione quantum ad partem illius moritur, qui postea contrahendo matrimonium de ipsa dotem facit. Reviviscit tamen si processu temporis mors utrorunque conjugum sine heredibus et testamentis vel alius casus fortuitus, qui hoc exigat, intercedat.

Item si testator illi, cui legat, sic dicit, si disciplinae methas non excesseris, si morum honestatem servaveris, si tali executori, cui te committo, obtemperaveris, vel his similia tantum de bonis meis habebis, ista condicione, postquam homo usque ad annos discretionis obedienter, decenter et regulariter vitam suam duxerit, exstinguit et expirat.

639. De testamentis per dubia verba factis.  
(H. 152<sup>b</sup>. B. 68<sup>b</sup>. 3. C. 62<sup>b</sup>. 1. D. 146<sup>b</sup>. 2.) Dum in Crumpnaw civis quidam decumbens ad se amicos suos et alios viros idoneos vocasset, conquestus est eis viribus corporis in tantum se destitui, quod etiam longius se vivere desperaret. Unus autem generorum suorum, quos duos habebat, ibidem existens praesens dixit: Bone socer disponatis de rebus vestris, ne post mortem vestram alicui materia questionis tribuatur. Ad quae verba socer decumbens dixit: Bona, quae habeo, tibi committo, quia solutis debitis, quid cum residuo facere debeas, nosti bene. Quo facto et socer et filia sua, uxor praescripti generi, uno tantum pueru superstiti sunt defuncti. Superveniens ergo secundus gener de Cracovia, quo causa mercandi transierat. petivit sibi ratione uxor et puerorum suorum de bonis per socerum suum relictis partem debitam assignari, quod primus gener contradicens allegat, omnia bona per socerum dimissa ad se et puerum suum fore testamentaliter devoluta. Quaeritur ergo, quid juris in hoc casu. Super quo responsum fuit, quod differt, res alicui committere et legare. Unde verba, quae dictus testator in extremis suis dixit, non continent formam debitam testamenti seu legati. Testes etiam, quos, ut praedicitur, ad querulandum super aegritudinis gravedine vocavit, non possunt de rigore juris ferre testimonium de legato. Unde cum dubitatio sive questio inter dictas partes, scilicet duos generos, ex verbis testatoris dubiis sit exorta, recurrentum est ad arbitros, scilicet unum juratum et aliud communem hominem, qui duopraedictam questionem dissiniant contradictione partium quiescente. Et de hoc respice privilegium Johannis regis scriptum inferius in pra-

senti libro et habet superscriptionem de rubrica in haec verba : Quod testamenta tantum tiant in parata pecunia (et secundum est etiam restinguenda sententia XXVIII. anni XLIX. C.).

640. De testamentis, quantum ad executores et tutores. (H. 153<sup>a</sup>. A. 66. 7. B. 69<sup>a</sup>. 1. C. 63<sup>a</sup>. 1. D. 147<sup>a</sup>. 1. K. 218<sup>a</sup>. 2.) Sciendum est, eos, qui fraudulenter tutelam vel curam administrant, etiam si satis offerant, removendos a tutela, quia satisfatio propositum tutoris malivolum non mutat, sed dintus grassandi in re familiari facultatem praestat.

Suspectum eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Sed tutor vel curator, quamvis pauper, si fidelis et diligens sit, non est removendus quasi suspectus grassandi, id est, nitendi ad delinquendum, quia grisor -- aris id est nitor ad malum.

641. Ad idem, quantum ad executores. (H. 153<sup>b</sup>. A. ibid. B. idem. C. 63<sup>a</sup>. 2. D. 147<sup>a</sup>. 2.) Item si plures deputati sunt executores in testamento, uno mortuo vel in remotis partibus agente vel exequi nolente, alter poterit perficere quicquam incumbit.

642. Ad idem, quantum ad tutores et executores. (H. 153<sup>b</sup>. A. idem. B. ibid. D. 147<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est in Crumpnaw, si executores testamenti et viduarum ac pupillorum provisores negligentes fuerint et inutiles, jurati secundum eorum conscientiam in favorem testamenti, quod pium est negotium, ipsis cum verecundia remotis curam testamenti et provisionis aliis, qui diligentessunt, possunt et debent committere pleno jure.

643. De testamentis, quantum ad rationes bonorum defuncti et ejus debita. (H. 153<sup>b</sup>. A. 66. 8. B. 69<sup>a</sup>. 2. C. 63<sup>a</sup>. 4. D. 147<sup>a</sup>. 4. K. 218<sup>a</sup>. 1.) Rationes defuncti, quae in bonis ejus inveniuntur ad probationem sibi debitae quantitatis sufficere solae non possunt.

Eiusdem juris est etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniae quantitatem aut etiam certas res debere sibi significaverit.

644. Si duobus hereditas fuerit legata. (H. 153<sup>b</sup>. C. ibidem D. 147<sup>b</sup>.) Si per testatorem hereditas una duobus taliter fuerit legata, ut unus ipsorum medietatem ejus, quae post obitum sui ad alium transeat, debeat possidere, nullus eorum sine consensu alterius partem suam alicui libere conditione predicta stante poterit deputare; quamvis tamen ambo simul in dispositionem eius placitam concordandi habeant potestatem. Sic sententiatum est in consilio juratorum.

645. De testamentis, quod ille, cui legatur

hoc vel hoc sub disjunctione non habet eligere, nisi per testatorem electio fuerit sibi data. (H. 153<sup>b</sup>. B. 69<sup>a</sup>. 3. C. 63<sup>b</sup>. 1. D. 147<sup>a</sup>. 5.) Andreas de Kobilnic in extremis suis legavit Rudlino avunculo suo vel quartale unius agri vel marcam grossorum pragensium per uxorem suam dari. Mortuo itaque Andreas uxori ejus marcam grossorum avunculo dare voluit, quam avunculus recusans quartale agri sibi dari petivit. Quaesierunt ergo jurati de Kobilnic quid sit juris in hoc casu; utrum videlicet Rudlinus optionem habeat eligendi quartale vel marcam, vel utrum uxori pro sua voluntate de praedictis duobus illud, quod velit sibi dari, possit. Super quo diffinitum fuit, quod Rudlinus nihil habet requirere, nisi sibi legatum. Unde cum Andreas optionem eligendi Rudlino non dederit, talis optio in beneplacito uxoris residebit. Debet ergo Rudlinus marca recepta ab actione quiescere pleno jure.

646. Quod testamenta per commissarium fieri possunt. (H. 154<sup>a</sup>. A. 66. 10. B. 69<sup>b</sup>. 1. C. 63<sup>a</sup>. 7. D. 147<sup>b</sup>. 2. K. 218<sup>b</sup>. 3.) Juratis de Prostays sententiatum est, quod, qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decidere intestatus; potest enim idem commissarius decedenti testamentum juxta conscientiae arbitrium ordinare.

647. De testamentis in remedium animarum factis. (H. 154<sup>a</sup>. A. 66. 11. B. 69<sup>b</sup>. 2. C. 63<sup>b</sup>. 1. D. 147<sup>b</sup>. 3. K. 218<sup>a</sup>. 4.) Sententiatum est eisdem, si pater plures habens filios vel heredes testamentum, quod pro animarum remedio disposuit, uni specialiter committit, hoc non obstante, si talis commissarius negligenter vel infideliter circa testamentum agit, et illi, quibus testamentum debetur, sive spirituales, sive seculares sint homines, hoc dissimulant et emendari non curant, alter heredum quicunque potest commissarium super eo convenire ac suffragio juris compellere, quod de testamento ordinet, sicut recepit in commissis; prae aliis enim causis multus favor debetur testamentis defunctorum et dotibus mulierum.

648. De testamentis, quomodo reclamantur et impediuntur. (H. 154<sup>a</sup>. A. 66. 12. B. 69<sup>b</sup>. 3. C. 63<sup>b</sup>. 2. D. 147<sup>b</sup>. 4. K. 219<sup>a</sup>. 1.) De Lautscheinis jurati informati sunt in consilio: Quicumque testamento personaliter interest ipsum audiens et non reclamans, nec per ipsum praecjudicium seu gravamen ac juris sui derogationem sibi fieri protestans, quicunque etiam absens de certa scientia instructus fuerit, testamentum sic et sic esse factum, et postea ipsum non contra-

dixerit, tales mortuo testatore testamentum non possunt reclamare, nec aliqualiter impedire.

Item testamentum impedire volens, debet coram testatore, si tamen compos rationis fuerit, et dolor aegritudinis hoc fieri permittit, impedimentum hujusmodi proponere, et de sua intentione ipsum lucide informare. Et si testibus impediens caruerit testator negans statim in lecto infirmitatis etiam absente judice coram uno jurato vel coram testamentariis, si plura juramenta juxta numerum querimoniarum facere debet, uno solo facto de aliis per actorem rationabiliter absolvetur.

Merito enim creditur, quod infirmus morti vicinus spe salutis animae pro quibuscumque jurare debuerit, bene juret.

Si autem jurare p[re] dolore non potuerit, possessores bonorum eo defuncto de qualibet querimonia uno juramento se expurgabunt.

**649. De testamentis, qualiter ultimum repellat primum.** (II. 154<sup>b</sup>. A. 66. 13. B. 69<sup>b</sup>. 3. C. 63<sup>b</sup>. D. 148<sup>a</sup>. 1. K. 219<sup>a</sup>. 2.) De Bude spic z jurati querentes verbotenus, qualiter ultimum testamentum suffocaret primum, sunt sic informati: Ad hoc, quod ultimum testamentum repellat primum, necessarium est, quod habeat testimonium efficacius et credibilius, quam primum. Instructi sunt etiam, si testamentum secundum non cassat primum, sed tantum aliqua in primo obscura declarat et dillucidat, ad hoc sufficit testimonium aequa forte, sicut habuit primum.

Tertio etiam sunt docti, si testamentum sequens non tollit primum, nec ipsum specificat et exponit, sicut in praecedenti paragragho inmediate dictum est, sed tantum quaedam ad salutem animae pertinentia primo testamento adjicit et adjungit, ad hoc sufficit testimonium virorum credibilium dato etiam, quod non sit ita sufficiens, sicut est testimonium testamenti primo facti.

Cum enim in testamentis faciendis principaliter sit saluti animae testatoris providendum, ad probandum talia debet admitti testimonium, cui fides adhiberi possit, quamvis non sit excellens.

**650. De testamentis, quae, testator propria manu scribit sub sigillo suo.** (H. 154<sup>b</sup>. B. 70. 1. D. 148<sup>b</sup>. 1.) Postquam Mathias Mauricii piae memoriae civis valens inter consules civitatis de hac luce subtractus fuisset, Dittlinus Mathiae patruus et Anszhelmus ac Johannes fratres avunculi dicti Mathiae de bonis per ipsum relictis, sicut et de filio suo Nicolao et filia sua Kath[erina]

rina tutoris et provisoris nomine se intromiserunt, et propter hoc Johannes de Tischnowicz, gener praefati Mathiae eos in causam traxit, coram judicio et juratis de ipsis taliter conquerendo: domini judex et jurati, ego Johannes de Tischnowicz vice uxoris meae Kunegundis, filiae legitimae quondam domini et socii mei Mathiae coram vobis propono cum querela, quod Dittlinus et Johannes et Anselmus de tertia parte, quae de bonis per dictum sacerorum meum sine testamento mortuum dimissis ratione portionis hereditarie ad eam pertinet, frivole sine mandato, scitu et consilio vestro se contra justitiam intromiserunt. Super quo mihi et uxori meae ab ipsis sive affirmaverint, sive negaverint, juris rogo plenitudinem exhiberi. Praescripti vero patruus et avunculi Mathiae ad Johannis querimoniam taliter responderunt: De bonis per Mathiam consanguineum nostrum relictis et ejus heredibus, sicut de jure potuimus et debuimus, non frivole sed justitiariter nos intromisisimus, quod probamus per hunc modum: Praenotatus enim Mathias, dum corpore sanus et rationis compos esset, testamentum et ordinationem omnium rerum suarum mobilium et immobilium rite, rationabiliter et ordinate per manum scriptoris sui, quae multis est nota in quadam litera in papiro, scribi fecit. Cui etiam literae quandam parvam literam, quae vulgariter anima vocatur, in qua praetium et mercedem servorum et ancillarum suarum propria manu, quae etiam pluribus est nota conscripsit, inclusit: et quia in eadem, quae sub sigillo suo statim post mortem ejus in cista sua clausa inventa est, litera continetur, quae constituit nos executores, tutores et provisores secundum conscientiam nostram heredum et bonorum suorum, petimus diffinitive sententiari. Si juratus civitatis pro nunc de hoc testabitur, quod Mathias cum proxime Pragam ire voluit, praescriptam literam sub his verbis sibi ad servandum dederit, si ab hac vita decederet, in ista litera iavenietur quicquid de rebus suis sit testamentaliter faciendum, et quod idem juratus literam eandem Mathiae de Praga reverso iterum restituit, et modo ejus percepta morte judici et aliquibus juratis, cum per plebanum ecclesiae Sancti Jacobi de loco sepulturae dicti Mathiae quaereretur dixerit, talis litera quaeri debet, quae, ut credo, declarabit sepulturam et alia facta seu disposita per ipsum Mathiam; cum eadem litera sit inventa, et in ipsa sit scriptum, quod Mathias nos executores testamenti sui fecerit, utrum de bonis et heredibus suis nos non intro-

mittere potius, sicut et intromisimus pleno jure. Super quo diffinitum fuit pro Dittlino Mauricii patro et Ausz helmo ac Johanne fratribus avunculis dicti Matthei.

651. Quo ordine testamentum per executores sit exequendum. (II. 155<sup>b</sup>. A. 66. 15. B. 79<sup>b</sup>. 1. C. 64<sup>a</sup>. 2. D. 149<sup>a</sup>. 1. K. 219<sup>b</sup>. 1.) Eodem tempore sententiatum est etiam, quod executores mortuo testatore primo solitus debitis statim ante omnia alia ea, quae pro remedio et salute animae testatoris defuncti fieri debent certitudinaliter ita, quod firma et stabilia, sicut per testatorem ordinata fuerint, permaneant, et expediant et procurent; dignum enim et justum esse credimus, quod ille, qui vivens dominus fuit bonorum, post mortem suam prius quam omnes alii de parte sua vide-licet de testamento, quod pro remedio animae sue fieri debet, certus reddatur penitus et securus.

652. Quamdiu testamentum stat, et quando exspirat etc. (II. 155<sup>b</sup>. A. 66. 16. B. 70<sup>b</sup>. 2. C. 64<sup>a</sup>. 3. D. 149<sup>a</sup>. 2. K. 219<sup>b</sup>. 2.) Eodem tempore etiam sententiatum est, quod si homo coram probis viris vel per literas disponit et ordinat facta sua, et postea eandem ordinationem non revo-cans intestatus repentine et improvise moriatur, talis ordinatio, quam fecit, cum usum rationis habuit, pro vero testamento firmiter est tenenda; per hoc enim heredibus defuncti tollitur materia litigandi.

653. Quod executores testamenti sine man-dato judicis se intromittent de rebus testatis. (II. 155<sup>b</sup>. A. 66. 17. B. 70<sup>b</sup>. 3. C. 64<sup>a</sup>. 5. D. 149<sup>a</sup>. 3. K. 219<sup>b</sup>. 3.) Eodem tempore sententiatum est etiam, quod executores, provisores seu tutores testamenti mortuo testatore sine mandato scitu et consilio judicis et juratorum de bonis et heredibus mortui eo modo sicut habent in commissis, licite se possunt intromittere contradictione qualibet non obstante.

654. Quod mariti filiarum intromittere se possunt de bonis eisdem filiabus legatis etc. (II. 155<sup>b</sup>. A. 66. 18. B. 70<sup>b</sup>. 4. C. 64<sup>a</sup>. 6. D. 149<sup>a</sup>. 4. K. 219<sup>b</sup>. 4.) Eodem tempore etiam sententiatum est, si moriens reliquerit filias in matrimonio constitutas, de portione hereditaria talium filiarum, si qua tamen secundum justitiam ea con-tingit, potius earum mariti, quam ipsi executores se intromit-tent, nisi forte testator aliter ordinaverit, vel ipsi mariti in-utiles, vani, lusores seu bonorum dissipatores fuerint; tunc enim de tali portione sicut et aliis bonis et pueris executores pro usi-

bus nihilominus et utilitatibus dictarum filiarum et puerorum eorumdem ea fideliter regendo intromittere se possunt et debent pleno jure.

655. Quod faciendum sit, si aliqui testes testamenti sint mortui. (H. 156<sup>a</sup>. A. 66. 19. B. 70<sup>b</sup>. 5. C. 64<sup>a</sup>. 7. D. 149<sup>a</sup>. 5. K. 219<sup>b</sup>. 5.) Definitum est etiam eodem tempore. Si duorum testamentariorum unus decessit, tunc alter vivens tacta cruce jurabit, quod cum illo mortuo rogatus testamento, de quo agitur, interfuit, et quicquid postea ad interrogationem judicis in animam suam et socii sui defuncti coram judicio confessus fuerit, credi debet. (Et confirmantur istae definitiones ex privilegio Joannis, quod civitas habet de testamentis, cuius transcriptum in praesentilibro inferius continetur).

656. De vigore testamentorum, quod ultimum procedit. (H. 156<sup>a</sup>. A. 66. 20. B. 70<sup>b</sup>. 6. C. 64<sup>b</sup>. 1. D. 149<sup>b</sup>. 1. K. 220<sup>a</sup>. 1.) Cives de Radisch verbotenus quaerentes, utrum primum vel ultimum testamentum stare debeat, instructi sunt sic: Aliud est dare, quam legare. Datum enim revocari non potest, sed legatum potest. Unde si homo sanus vel infirmus de rebus suis testamentum faciens hodie sic legat, cras autem vel postea hoc ipsum revocans aliter legat, ultimum testamentum vigorem habebit et non primum, et est ratio, quia circa testamenta, quae tantum morte testatoris confirmantur, praecipue est ultima voluntas hominis attendenda.

657. De testamento deliri vel furiosi. (H. 156<sup>a</sup>. A. 66. 21. B. 70<sup>b</sup>. 7. C. 64<sup>b</sup>. 2. D. 149<sup>b</sup>. 2. K. 220<sup>a</sup>. 2.) Quidam civis hujus civitatis cum compos rationis et sanus esset corpore, bona, quae habuit, pueris suis taliter disposuit, quod eo moriente ipsa hereditarie possiderent; postea vero ad aetatem decrepitam superveniens et dictam dispositionem, cum jam deliraret, mutare volens, quaeritur a pueris, utrum hoc sibi liceat facere ipso jure et respondetur quod non; quia quicquid usum rationis habens voluntarie fecit, hoc deliratione superveniente non potuit revocare.

658. Quod testator bona sua legare potest cognatis vel extraneis. (H. 156<sup>b</sup>. A. 66. 22. B. 71<sup>a</sup>. 1. C. 64<sup>b</sup>. 3. D. 149<sup>b</sup>. 3. K. 220<sup>a</sup>. 3.) Jurati de Budapest scripserunt sic: Domini in scriptis petimus nobis dari, utrum homo cuicunque possit res et bona sua legare, cui placet, quando vivit, amicis sive hominibus alienis et infra. Respondetur, quod cum homo ex rationis facultate liberi sit arbitrii, propter quod absolutus sibi debeat stilos ejus ultimae

voluntatis, quamdiu rationis capax est et compos res suas, quas possidet immobiles et quas habet mobiles, ordinare, disponere, legare amicis vel estraneis poterit, prout placet. Et fundatur super illud, quod scribitur superius in *juribus originalibus*, titulo de testamento hospitum:

Advena hospes in civitate moriens de rebus suis quidquam ordinaverit, ratum et firmum volumus permanere. Si ergo licitum est hoc advenae, verisimiliter est, quod liceat et civi.

659. De testamentis sine verbis per signa factis. (H. 156<sup>b</sup>. B. 71<sup>a</sup>. 2. D. 150<sup>a</sup>. 1.) In Auspicz quidam decumbens duos scabinos ad se vocans domum suam cuidam suo legavit cognato, et instante die crastina coram eisdem scabinis iterum hoc fecit; tertio vero die dictus cognatus scabinos praedictos ad ipsum decumbentem ducens, petivit ab eo requiri, utrum legatum prius bina vice factum ratum post mortem suam servari vellit. Qui ad interrogationem scabinorum praevicinæ mortis amaritudine loqui non valens per digitorum extensionem innuebat, quod sic. Quaeritur ergo ex parte praefati cognati, si dicti scabini de praescriptis testabuntur. Alter autem cognatus præhabití decumbentis singula præmissa nomine querelæ tacta concedens et affirmans proponit, quod licet præ doloris magnitudine decumbens potentiam loquendi ad tempus perdiderit, postea tamen amentia cessante iterum loqui inceperit, et tunc vocatis ad sui præsentiam pluribus fide dignis viris primum legatum revocans domum memoratam sibi et suis liberis specificè deputavit, quod dictorum virorum testitmonio nititur approbare. Quaeritur ergo, cujus testes potius sint audiendi; super quo respondeatur, quod ultimum testamentam valet, et si probi viri de hoc testabuntur, alter cognatus domum obtinebit.

Testamentum enim sola morte confirmatur, nec aliquis in testamento potest quicquam legitimate disponere, a quo recedere non liceat, cum usque ad exitum vitae hominis ambulatoria sit voluntas, nec potest aliquis decedere duobus testamentis relictis, ut teneat utrumque, et licet dicti testes factionem testamenti simpliciter deponant; tamen quod decumbens usum loquendi, quo privatus fuerat, iterum reassumpserit, hoc tacta cruce confirmabunt.

660. Licet pater in testamento de posthumo mentionem non faciat, propter hoc tamen portione hereditaria non carebit. (H. 157<sup>a</sup>. B. 71<sup>b</sup>. 1 D. 150<sup>a</sup>. 2.) In Auspicz quidam moriens uxori et tribus filiis omnia bona mobilia et immobilia deputavit, solutione tamen debitorum et

aere alieno deductis. Post mortem ergo suam completo tempore partus natus est ei posthumus, quem praescripti tres fratres ratione testamenti per patrem facti a portione volunt hereditaria removere. Quaeritur, etc. quod quamvis jus locale Brunnense habeat, quod pater de bonis suis legare, ordinare seu disponere potest, sicut placet, et sihi visum fuerit expedire, tamen propter hoc heredes nondum nati, sed adhuc in utero clausi et praecipue ignorantiae patre concepti, si viventes uterum maternum egressi fuerint, non exhereditantur. Unde dictus posthumus in bonis paternis portionem debitam merito consequetur.

661. Utrum sacerdos possit testari de testamentis. (H. 157. A. 66. 25. B. 71<sup>b</sup>. 2. C. 64<sup>b</sup>. 6. D. 150<sup>b</sup>. 1. K. 220<sup>b</sup>. 3.) Si plebanus agit in parochianum laicum coram judicio seculari de testamento sibi et suae ecclesiae in animae alicujus defuncti remedium deputato, intentum suum potest testimonio sacerdotum, posito etiam quod sint sui commensales et vicarii, dummodo non sint infames, rationabiliter obtinere; sicut enim in jure canonico laici bonae famae recipiuntur in testimonium, sic in jure seculari merito conceditur e converso.

662. De testamentis quantum ad conditiones diversas, ex quibus plures sententiae colliguntur. (H. 157. A. 66. 26. B. 71<sup>b</sup>. 3. C. 65<sup>a</sup>. 2. D. 150<sup>b</sup>. 2. K. 220<sup>b</sup>. 4.) In testamentis plenius voluntates testantium interpretamur, quam in aliis contractibus. Unde si lego vina, et vasa videor legare, sine quibus vina stare non possunt.

Secus autem est in venditione, quia, si vendam vinum in urna, urna non est vendita.

Item dominium rei legatae transit sine traditione, sed rei venditae non.

Item quae in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent; ubi repugnancia inter se in testamento inveniuntur, neutrum ratum est. Tamen si in primo testamento inveniatur: do, lego, et in secundo: non do, non lego, non est repugnancia; unde primum non potest impugnare secundum, cum corrigatur a secundo.

Item cum ultimum testamentum sit, quod aliud non sequitur, patet, quodsi testamento rationabiliter facto decumbens convalescit, et postea successu temporis vel repente vel in lecto moram trahens decesserit, ordinationem et dispositionem testamentalem aliam non faciens, non moritur intestatus; fecit enim testamentum prius, quod postea non revocans, stabit et firmum

tamquam ultimum perdurabit, nisi fortassis monitus de testamento ordinando coram testibus idoneis deliberate, usu rationis habito, sponte confiteatur, se nolle testari; tunc enim tamquam factio*n*i testamenti renuntianerit de rebus, quas relinquit, pro heredibus et successoribus, sicut ius civile exigit, disponetur.

663. *Utrum bona legata possint per credito*r*es interdicti.* (II. 157<sup>b</sup>. A. 67. I. B. 71<sup>b</sup>. 4. C. 65<sup>a</sup>. 2. D. 151<sup>a</sup>. I. K. 221<sup>a</sup>. 1.) Johannes Schmelezlini tempore sanitatis exhereditato filio suo Jacobo cum tandem carnis hujus appropinquaret termino, pietate motus paterna sibi et heredibus suis duodecim marcas grossorum denariorum pragensem dari legavit. Quod heredes Jacobi, eo in remotis agente, Johanne eorum avo defuncto, percipientes Petrum Schmelezlini executorem testamenti Johannis patris sui pro dictis duodecim marcis in causam traxerunt. Qui de legato confessus petivit sibi per juratos consuli, cum Jacobus frater suus absens in triginta marcis, sicut literis patentibus ostendebat, ei legitime teneretur, utrum duodecim marcas sibi et heredibus suis nondum emancipalis legatas jure et honore salvis possit in solutione debitorum suorum recipere, et Jacobo defalcare. Pro heredibus vero Jacobi dominus Conradus Ceblini \*) eorum patruus dictum legatum petens quaequivit, cum ipse paratus esset, Petrum Schmelezlini ab impetione Jacobi futura indemnem excipere, utrum duodecim marcae non essent heredibus Jacobi secundum justitiam assignandae. Super quo jurati habita deliberatione Petro suaserunt, quod ratione commissionis executionis testamenti per patrem fidei suae factae non expediret honori suo in dictis debitibus dictum legatum tollere; tam ex hoc, quod ad solum Jacobum non spectaret legatum totum, quam etiam ex hoc, quod licet heredes Jacobi de his, quae ex bonis paternis haberent, pro patre suo debita per ipsum rationabiliter bonis actibus contracta solvere forsitan tenerentur, tamen ex illis, quae aliunde, sicut est in proposito, in pecunia, quam ex dispositione avi percepturi sunt, vel ex propriis habent laboribus, ad eandem solutionem nullatenus obligantur. Unde diffinitive pronuntiatum est, quod dictae duodecim marcae in quinque partes aequales sunt dividenda*e*, quarum quatuor dandae sunt quatuor heredibus Jacobi, quinta vero ad magistrum civium posita pro Jacobo est servanda, et si adventum suum nimis protraxerit, tunc secundum consilium jura-

\*) Goblini. H.

torum eadem quinta illi de creditoribus Jacobi, cui secundum probationes suas magis juste competit, assignetur. Nec oportuit, quod in praescripto legato uxori Jacobi contra formam legati portio cederet, nec etiam ad Jacobum solum cessit tertia pars de pecunia duodecim marcarum, sicut in jure successionis hereditariae consuevit observari. Divisio enim legatorum et testatorum bonorum, nisi testator aliter disponat et distinguat, est potissimum secundum capita per partes aequales facienda, nec talia legata per quempiam antequam percipiuntur jure possunt aliquo interdici. Heredes insuper Jacobi, quamquam per portiones eos contingentes acceptas a potestate paterna non sunt exclusi, nihilominus ex diuturna ipsius absentia, cum eis nec in necessariis provideat, nec affectu paterno eos visitet et consoletur, emancipatis similes quodammodo judicantur.

### **Capitulum de testibus.**

664. De testibus, qui non possunt esse testes, et de conditionibus observandis circa testes. (H. 158<sup>b</sup>. A. 68 1. B. 72<sup>a</sup>. 1. C. 65<sup>a</sup>. 3. D. 151<sup>b</sup>. 1. K. 223<sup>a</sup>. 1.) Edictum de testibus prohibitorum est, unde omnes admittuntur, qui a jure non prohibentur. Ad requisitionem ergo juratorum de Rauschein sententiatum est: quod testimonium mulieris, quia inconstans est, rejicitur de jure, exceptis tamen casibus, in quibus mulier testari potest, quos quaere superius titulo de mulieribus.

Et testimonium juvenis annos discretionis non habentis, sicut masculi, qui annos quatuordecim et femellae, quae annos duodecim non compleverunt, et furiosi seu insensati, et coeci, ubi testandum est de visis, et surdi, ubi testandum est de auditis, et muti, ubi testimonium juramento vocali est firmandum, et maxime testimonium infidelium, sicut haeretici, Saraceni et Judaei in omnibus casibus, cum finis testimonii sit, fidem facere, et insuper testimonium perjuri, sicut v. g. si quis prius coram judicio de falso testimonio fuit convictus per partem, contra quam producitur, et potissimum in causa criminali, rejicitur ipso jure. In testibus ergo fidei dignitas et morum gravitas examinanda est, et ideo testes, qui adversus fidem suae testationis vacillant, audiendi non sunt. Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erit imprimis conditio cujusque, utrum quis decurio an plebeius sit, et an honestae et inculpatae vitae, an vero notatus quis et reprehensibilis sit, an locuples vel egenus sit, ut lucri causa facile

quid admittat, vel un ejus inimicus sit, adversus quem testimonium fert, vel amicus ejus sit, pro quo testimonium dat; nam si careat suspicione vel propter personam, a qua fertur, quia honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri gratia, neque inimicitiae causa, sic admittendus est.

Circa testes etiam videndum est: utrum unum eundemque praemeditatum sermonem proferant, vel ad ea de quibus interrogantur, ex tempore verisimilia respondeant; nam argumenta, ad quem modum probandae ejusque rei sufficient, nullo certo modo satis diffiniri potest, quia, sicut non semper, ita saepe sine publicis monumentis ejusque rei veritas deprebenditur; alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmant rei, de qua quaeritur, fidem.

Judex ergo non utique ad unam probationis speciem statim debet se convertere, sed ex pluribus probationibus animum suum dirigere. Item idonei non videntur testes, quibus imperari potest, ut testes siant; servi tantum testimonio tunc credendum est, cum alia probatio ad inquirendam veritatem non est.

Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est, sed pater et filius, qui in ejus potestate est, item duo fratres, qui in potestate ejusdem patris sunt, testes utique in eodem testamento vel negotio eodem fieri possunt, quia nihil nocet ex una eadem domo plures testes in alieno negotio adhiberi.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Ad fidem rei gestae faciendam etiam non rogatus testis intelligitur; ubi numerus testium non adjicitur, duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Hermafroditus an ad testimonium admitti possit, qualitas sexus ostendit. Si testes omnes ejusdem honestatis et aestimationis sint, et negotii qualitas a judicis motus cum his concurrit, sequenda sunt omnia testimonia. Si vero ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum est, quod naturae negotii convenit, et quod inimicitiae aut gratiae suspicione caret; confirmabitque judex motum animi sui ex argumentis et testimoniis, quae rei aptiora et modo proximiora esse ceperit; non enim ad multitudinem respicere oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et ad testimonia, quibus lux potius veritatis assistit. Producit testis non potest, qui antea in eum reum testimonium dixit. Testes eos, quos accusator de domo sua produxit, interrogari non placuit. Mandatis caveltur, ut praesides attendant, ne patroni, prolocutores vel advocati in causa, cui patrocinium praestiterint, testimonium dicant, quod etiam in executoribus negotiorum observandum est.

Item nota, quod omnes homines ad dicendum testimonium admittuntur, nisi qui legibus prohibentur, et illi continentur in his versibus: *Conditio, sexus, aetas, discretio, fama, Et fortuna, fides: in testibus ista require.* Sed pueri, servi, mulieres, sive protervi, *Judaens, fur, pauper non possunt esse licenter.* Et expone: *Conditio:* ut servus, qui vilis conditionis est eo, quod proprius est. *Sexus:* ut mulier, quia levis animi est et inconstans. *Aetas:* ut impuberis, qui sunt infra decimum quartum annum si sunt masculini, foeminae vero infra duodecimum annum. *Discretio:* ut furiosus. *Fama:* ut infamis. *Fortuna:* ut pauper suspectus, quia facile corrumperit. Sed pauper fidelis ius suum salvum et integrum retinebit. *Fides:* ut infidelis; dubius enim in fide infidelis est, ut sunt Judaei, Saraceni, haeretici et omnes fidem catholicam abnegantes. Item nullus testis in causa propria esse potest, et palam est, illam causam esse propriam, cuius emotumentum et onus ad illos pertinet suo nomine. Item judici committitur examinatio testium, quia notus debet esse testis judici, vel saltem tunc fieri notus. Item illi parti, contra quam producitur, debet esse notus, et hoc maxime in actione personali, qua queritur, an quis promiserit vel an hoc dixerit; nam testis, qui alium aliquo modo obligasse se vel aliquid fecisse dicit, ipsum cognoscere debet. Ubi autem testis non dicit de obligatione personali vel de facto, tunc secus est. Item queritur, an impubes pubes factus testimonium reddere possit de his, quae vident tempore impubertatis; et respondetur, quod sic; nam quod non prohibetur, ergo admittitur, et facultas probationum non debet angustari. Item queritur de eo; qui jam deicraverit et respondetur: quod debet removeri, quia qui semel malus fuit, semper praesumitur esse malus, et licet postea poenituerit, et penitentiam sibi injunctam peregerit, tamen adhuc non videtur testari posse, quia infamia est renissa quoad deum, non quoda mundum.

Item quid est de homicida vel de aliis, qui sunt in mortali peccato constituti? respondetur, quod non repelluntur jure nostro, ergo admittuntur, licet jure canonico removentur.

Item cum dicitur, quod idonei non sunt testes, quibus potest imperari, hoc intellige a producente eos, alioquin nullus testis idoneus esset, quia magistratus potest ei praeципere. Item intellige imperari posse ratione patriae potestatis vel dominicae, vel ratione obedientiae, vel jurisdictionis, ut in causa propria imperantis non sint testes, qui de jurisdictione vel de obedientia

vel potestate ejus sunt, sed in causa universitatis possunt; et hac ratione judex imperabit alieni de communitate, ut ferat testimonium pro communitate.

Item legatarius potest esse testis in causa testamenti, quia non est sua principaliter. Sed an venditor possit esse testis in causa evictionis pro emtore, quaeritur, et respondetur, quod non, cum ad eum commodum et inconvenitum pertinero possint, et sic est sua causa, nisi tunc, quando non teneretur de evicione. Item nota de pari vel impari numero testimoniorum: Si de una eademque parte duo testes dicunt unum, et tres vel quatuor dicunt aliud, tunc creditur dignioribus, sed secus est, si a diversis partibus, quia tunc creditur majori numero, vel etiam, si a diversis producantur testes, saepe creditur honestioribus. Item nota, quod varietas locorum reprobatur testes, ut patet in Daniele et Susanna. Item varietas temporis, ut quando de certo tempore quaestio exigitur ad alicujus facti existentiam, ut si dicatur: uno contextu factum est testamentum. Alias secus est, ut si sit quaestio de hoc: an possederim, et inducam testes plures, aliqui dicant: Vidimus possidere eum per annum; alii per alium et sic de ceteris: testimonium eorum tenet. Unde solum de eo, de quo est controversia, inducendi sunt testes.

**665. De testibus, quod quandoque recipiuntur ante responsionem rei et ante litis contestationem.** (II. 160. A. 68. 2. B. 73<sup>a</sup>. 1. C. 66<sup>b</sup>. 1. D. 153<sup>a</sup>. 1. K. 224<sup>b</sup>. 1.) Licet regulariter observetur, quod ante responsionem ad querimoniam motam factam testes non recipiantur, tamen ex causis hoc quandoque contingit, sicut videlicet vel si probetur, quod citatio pervenit ad aliquem, vel si de morte testium timeatur vel de ipsorum absentia diurna, vel si reus fuerit absens, et in remotis partibus moram faciat, ita, quod de facili vel in brevi citari non possit, vel si reus peremptoria citatione recepta venire contemnat, vel quia malitiose se ipsum occultat vel quia impedit ne possit ad ipsum citatio pervenire. Item in causa inquisitionis, quam jurati quandoque faciunt, ut veritatem alicujus rei cognoscant, frequenter in absentia rei in eorum colloquiis testes recipiunt. Item actor, ubi non potest agere propter juramentum, sicut v. g. si juraverit, non repetere usurras Christianis datas, tunc ad investigandum usurarios judex et jurati recipere possunt testes. Item cum agitur de iniuritate judicis, tunc jurati in consilio testes recipere consueverunt. Item in causa haeresis post mortem haeretici etiam recipiuntur testes. Item ubi ostenditur publicum commodum et commune bonum, vel si

testes sunt senes et valetudinarii, unde communiter testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ante litis contestationem recipiuntur, et hoc pro tanto, ne veritas occultetur, et ne probationis copia fortuitis casibus subtrahatur. Per dictam tamen testium receptionem parti postea tempestive comparenti praedictum generari non debet, cum habeat forsan exceptiones legitimas ad intentionem contrariaam elidendam.

666. Testes jurabunt, si petitur, quod non sunt conventi. (H. 160<sup>b</sup>. A. 68. 3. B. 73<sup>a</sup>. 2. C. 67<sup>a</sup>. 1. D. 153<sup>a</sup>. 2. K. 225<sup>a</sup>. 1.) Testes ignoti et quodammodo suspecti ad petitionem partis excepto juramento, quod pro depositione sua confirmando facient, jurabunt specialiter, quod nec prece, nec pretio, nec privato odio, nec amicitia, nec commodo, quod habuerunt, vel habent, vel habituri sunt, sint conducti.

667. Ad testes ad judicem venire non potentes jurati sunt mittendi. (H. 160<sup>b</sup>. A. 68. 4. B. 73<sup>b</sup>. 1. C. 67<sup>c</sup>. 2. D. 153<sup>a</sup>. 3. K. 225<sup>a</sup>. 2.) Si testes sunt valetudinarii vel senes, vel debilitate confecti, vel alia causa legitima in tantum impediti, quod ad judicium venire non possunt, ad ipsos recipiendos mittendi sunt jurati idonei et discreti, qui eorum testimonium ad judicium ducant.

668. De testibus propter crimina rejiciendis. (H. 161. B. 73<sup>b</sup>. 2. C. 67<sup>a</sup>. 3. D. 153<sup>b</sup>. 1. K. 225<sup>a</sup>. 3.) Testes ante productionem de criminibus nec convicti, nec confessi, si tempore depositionis, cum statuuntur, sufficienter de criminibus convincuntur, adhuc a testimonio repelluntur.

669. Post renuntiationem testium non recipiuntur testes. (H. 161. A. 68. 6. B. 73<sup>b</sup>. 3. C. 67<sup>a</sup>. 4. D. 153<sup>b</sup>. 2. K. 225<sup>a</sup>. 4.) Qui coram judicio solemniter renuntiat testibus, a productione testium in eadem duntaxat causa, nisi aliquid novi, quod indiget speciali probatione, interveniat, prohibetur.

670. Testes propter partis adversae fallaciam non sunt repellendi. (H. 161. A. 68. 7. B. 73<sup>b</sup>. 4. C. 67<sup>a</sup>. 5. D. 153<sup>b</sup>. 3. K. 225<sup>a</sup>. 5.) Si pars adversario suo probationis copiam subtrahere volens astringat aliquos juramento, ne testimonium, consilium et auxilium sibi praebeant, tali juramento non obstante, si per adversarium producti fuerint, eorum est testimonium audiendum.

671. Accusatus de crimine ante expurgatio-

nem testari non potest. (H. 161. A. 68. 8. B. 73<sup>b</sup>. 5. C. 67<sup>a</sup>. 6. D. 153<sup>b</sup>. 4. K. 225<sup>a</sup>. 6.) Si aliquis est accusatus de crimine, statim gravata est ejus opinio; unde non debet in criminibus ad testimonium adduci, nisi prius se probaverit innocentem, quia testes sine omni suspicione et infamia esse debent. De praescriptis vero quinque sententiis sunt rustici diversarum villarum saepius instructi.

672. De testimonio fratrum in causa criminali. (H. 161. A. 68. 9. B. 73<sup>b</sup>. 6. C. 67<sup>a</sup>. 7. D. 153<sup>b</sup>. 5. K. 225<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est in judicio civitalis, quod frater pro fratre in causa criminali, puta furto, spolio et hujusmodi testari non potest. Item si reus ad expurgandum se de crimen sibi imposito statuat fratres suos pro testibus, et illi per exceptionem actoris repellantur, nisi reus prius de statuendis aliis testibus protestationem fecerit, pro fratribus repulsis alios statuere non potest; est enim veritati consonum, quod propter parentiam testium fratres statuit prima vice.

673. Ad idem. (H. 161. B. 73<sup>b</sup>. 7. C. 67<sup>a</sup>. 8. D. 153<sup>b</sup>. 6. K. id.) Item qui inter alienos extra natale solum habitantes longo tempore manifeste omnibus audientibus confessi sunt, se fratres carnales esse, unus illorum ingruente necessitate non potest alium pro teste statuere, quamvis juramento dictam manifestam confessionem nitatur infirmare, et hoc petente adversario, et in causis, in quibus frater pro fratre testari non potest.

674. Qui bina vice de furto se expurgavit, testari non potest. (H. 161<sup>b</sup>. A. 68. 10. B. 73<sup>b</sup>. 8. C. 67<sup>b</sup>. 1. D. 154<sup>a</sup>. 1. K. id.) Jurati de Hulyn informati sunt, quod qui bina vice pro furto accusatus, quamvis furtum apud ipsum inventum non fuerit, quamvis etiam se expurgaverit, adhuc postea semper a testimonio rejicitur ut infamis.

675. De testimonio juratorum in factis, quae per se sciunt, aut quae a suis conjuratis audiunt. (H. 161<sup>b</sup>. A. 68. 12. B. 73<sup>b</sup>. 9. C. 67<sup>b</sup>. 3. D. 154<sup>a</sup>. 3. K. 225<sup>b</sup>. 3.) Jurati, qui personaliter contractibus aliquibus non interfuerunt et adhuc, quae a suis, coram quibus causae ventilatae seu promissa facta sunt, audiunt, conjuratis testimonium ferre possunt. Sic est sententiatum in Geyow.

676. De testimonio juratorum, utrum possint testari per litteras extra judicium proprium de infamia. (H. 161<sup>b</sup>. A. 68. 11. B. 73<sup>b</sup>. 10. C. 67<sup>b</sup>. 2. D. 154<sup>a</sup>. 2. K. 225<sup>b</sup>. 2.) Jurati de Proczaw in Ska-

licz\*) venientes petierunt duos, qui ibidem per annum cum di-midio residentiam fecerant, et honeste se conservaverant, capi; dicentes, quod per litteras patentes oppidi de Prozaw ipsos con-vincere vellent, quod essent fautores et socii maleficorum, qui op-pidum Prozaw pluries cremassent, et adhuc quotidie cremarent. Illi vero negantes petierunt pro se sententiari, utrum fide digno testimonio tot proborum virorum, sicut jus requirit, non de-beant et possint potius corpus et famam suam bonam defendere, quam infames probari per litteras qualescumque. Super quo diffinitum est, quod ad plus per septem testes idoneos dicti duo possint famam et honorem suum obtinere, non obstantibus litteris quibuscumque. Unde, cum praestantior sit bona fama, quam mala, potius admittitur aliquis ad defendantum suam bonam famam, quam quod probetur infamis.

677. De indeterminato juratorum testimonio pro debit is. (Il. 161<sup>b</sup>. A. 68. 13. B. 74<sup>a</sup>. 1. C. 67<sup>b</sup>. 4. D. 154<sup>a</sup>. 4. K. 225<sup>b</sup>. 4.) Actor vincere volens reum pro debiti s, in testem produxit juratum, qui depositus sic: Bene re-cordor, reum confessum esse coram me, quod actori in pecunia teneatur; quantitatem autem pecuniae, quia oblitus sum, determinate scire non possum. Quo auditio reus respondit: Consiteor, me sibi teneri in media marca, et quaero, utrum ipsa soluta secundum depositionem jurati, qui nullum determinatum pecuniae numerum exprimit, non sim ab ejus querimonii absolutus?

Super quo diffinitum fuit: Si ultra solutionem mediae marcae actor reum de pluribus impetierit, pro illis sibi non obstante confusa depositione jurati secundum justitiam respon-debit; vaga enim et incerta depositio jurati sicut actori non prodesse, sic reo non obesse rationabiliter judicatur.

678. Quod testimonium juratorum ad monitionem partis, pro qua fertur, corrigi potest. (H. 162. A. 68. 14. B. 74<sup>a</sup>. 2. C. 68<sup>a</sup>. 1. D. 154<sup>b</sup>. 1. K. 226<sup>a</sup>. 1.) Sententiatum est etiam juratis in Knechnicz\*\*), quod, licet jura-tus coram judicio in testimonium productus ad monitionem partis, pro qua testari debet, si fortassis per ipsam aliqua, de quibus oblitus fuerat, publice sibi ad memoriam revocantur, deposi-tionem, quam prius fecit, addendo vel minuendo corrigat, ta-men propter hoc parti tali nullum praecjudicium generatur.

679. Quod testes Jurati et Scabini non no-minantur. (H. 162. A. 68. 15. K. nicht. B. 74<sup>a</sup>. 3. C. 68<sup>a</sup>.

---

\*) Galiz H. \*\*) Kuthing H.

**2. D. 154<sup>b</sup>. 2.)** Antiqua consuetudo juris civitatis habet, quod si pars obligat se ad probandum causam suam per Scabinum, non opportet, quod eum nominet proprio nomine, sicut alii testes in causis quibusdam, antequam statuantur, nominari consueverunt.

**680.** Utrum testimonium juratorum per alios juratos repellatur. (H. 162. A. 68. 16. K. nicht. B. 74<sup>a</sup>. 5. D. 154<sup>b</sup>. 3.) In Cloibuck virgo quaedam questionem movit uxori fratri sui pro quinque marcis debitibus dicens: quod eandem questionem verificare vellet testimonio juratorum. Rea vero negationem praetendens respondit: quod similiter testimonio juratorum innocentiam suam demonstrare vellet, petens pro se dissimili, utrum per juratos non possit melius bona sua defendere, quam per juratos vinci? Super quo sententiatum fuit pro virgine, quod potius suam affirmationem probare deberet per Scabinos, quam rea suam negationem, quae directe probari non potest.

Secus autem esset, si negatio affirmationem haberet inclusam; sicut v. g. si rea dixisset: Quinque marcas tenebar, quas modo non teneor, quia persolvi, quod probare volo testimonio juratorum; tunc enim ejus allegatio, quam pro defensione bonorum interposuit, admittenda fuisset, nec tamen propter hoc primi Scabini repulsi fuissent per secundos, ita scilicet, quod primorum testimonium fuisset falsum judicatum; nam sic est difficile juratos repellere. Unde et primi et secundi pro diversis temporibus vera testari possunt.

Et similiter in causis vulnerum, si plures Scabini seditiobibus et pugnis interessent, quorum aliqui dicent, se vidisse talē a tali vulneratum esse; alii autem dicent, se hoc non vidisse, potius statur testimonio eorum, qui affirmando dicunt, se vidisse, quam eorum, qui negant, se vidisse. Secus autem est, si allegaretur defensio Notwer vulgo dicta. Et quando talis casus occurrit, in quo pro intentione actoris et rei diversi allegantur Scabini, tunc si dubitabilis est casus, utriusque partis Scabini sunt audiendi, ut veritas clarius innotescat; quibus auditis, si fortasse ex simplicitate in agendo et respondendo aliquid necessarium est omissum, per juratos judicio praesidentes inveniri poterit sententia consonans aequitati.

Et secundum hoc est restringenda prima generalis regula, quae dicit: quod homo melius potest defendere res et personam, quam sibi possint per alium decertari.

**681. Quod Jurati possint divisim et secrete testes examinare.** (H. 162<sup>b</sup>. A. 68. 17. B. 74<sup>b</sup>. 1. C.

**68<sup>b</sup>. 1. D. 155<sup>a</sup>. 1. K. 227<sup>a</sup>. 1.)** Cum Jurati in principio electionis jurent, quod deficiente jure scripto seu consueto debeant unicuique secundum eorum conscientiam de justitia providere, licitum est eis testes in causis arduis et dubiis, ut plene lucideque veritatem cognoscant, ad invicem dividere ac occulte de singulis causae circumstantiis, praecipue tamen de tempore et loco ab unoquoque diligenter inquirere, nec non secundum hoc ad sententiam diffinitivam procedere, reclamatione partis, per quam testes producti fuerint, non obstante.

**682. Utrum omnes testes jurare debeant in cruce.** (H. 162<sup>b</sup>. A. 68. 18. B. 74<sup>b</sup>. 2. C. 68<sup>b</sup>. 2. D. 155<sup>a</sup>. 2. K. 227<sup>a</sup>. 2.) Cum omnium litium finis sit juramentum, cum etiam nemo nisi causa movente legitima ad jurandum beat esse pronus, ex bona consuetudine servatur in judicio civili, quod omnes testes ad requisitionem partis adversae, quod fides de illo, quod deponunt, sibi fiat, jurare tenentur; exceptis duntaxat scabinis seu juratis, qui in principio electionis sui officii juraverunt; exceptis etiam testibus, qui vicem in causis quibusdam specialibus supplent juratorum, cujusmodi sunt: arbitri et consiliarii et testes nuptiales, qui ad contractus matrimoniorum vocantur, et testes legatarii seu testamentarii, qui testamentorum dispositionibus et ordinationibus decedentium rogati et electi intersunt et etiam consimiles. Ad tales namque tractatus, contractus et causas consueverunt vocari credibiles et fide digni viri, quibus sine juramento corporali tacta cruce facto, quidquid ad interrogationem judicis ad fidem, animam et in eorum conscientiam deposuerint, et testificati fuerint, credi debet; nisi enim hoc concederetur, ad dictas causas viri probabiles ratione metus juramenti difficulter pro testimonio inducerentur.

**683. De testibus supplentibus vicem juratorum quantum ad numerum.** (H. 163. A. 68. 19. B. 74<sup>b</sup>. 3. C. 68<sup>b</sup>. 3. D. 155<sup>b</sup>. 1. K. 227<sup>b</sup>. 1.) In judicio civitatis sententiatum est: Licet testimonium unius jurati sit efficax, tamen testes vicem juratorum supplentes, cujusmodi sunt: arbitri nuptiales, legatarii et consimiles, in omni causa ad minus debent esse duo, ut per hoc designetur, quod in toto non sint aequalis virtutis, sicut jurati.

**684. Quod testes vicem juratorum supplentes in depositione sua non cadunt.** (H. 163. A. 68. 20. B. 74<sup>b</sup>. 4. C. 68<sup>b</sup>. 4. D. 155<sup>b</sup>. 2. K. 227<sup>b</sup>. 2.) Sententiatum est ibidem rusticis in Lauczans, quod testes, qui ad jurandum coguntur, cujusmodi sunt jurati, arbitri et consimiles,

sicut ad confirmandum juramento corporali, quod deponendo dicunt, compelli per partes non possunt, sic nec in depositione, quam faciunt, cadunt. Unde ex transpositione vel correctione verborum suorum, nec ipsi ad emendam obligantur, nec pars causam perdit, pro qua testantur. Dictus enim rigor mutationis, obmissionis, additionis vel minutionis verborum est tantum in juramentis et non in dictis depositionibus observandus.

685. Utrum in omni causa testes sint nominandi propriis nominibus. (H. 163. A. 68. 21. B. 75<sup>a</sup>. 1. C. 69<sup>a</sup>. 1. D. 155<sup>b</sup>. 3. K. 228<sup>b</sup>. 3.) Pars in causa reali vel pecuniali testes producere debens in judicio futuro ad petitionem partis adversae nominabit unum ex eis judicio praesenti; sed in causa criminali vel vulnerum hoc fieri non consuevit.

686. Utrum ad nominandum testes parti deliberatio sit concedenda? (H. 163<sup>b</sup>. A. 68. 22. B. 75<sup>a</sup>. 2. C. 69<sup>a</sup>. 2. D. 156<sup>a</sup>. 1. K. 229<sup>b</sup>. 4.) In Hainreichs sententiatum est, quod quamvis testes per partem producentem sciri debeant, tamen cum deliberatio de interlocutoria in omni parte litis sit petenti concedenda, si pars debens testes statnere petit, ad eos nominandum est sibi deliberatio non neganda; est enim necessarium partibus, quod coram judicio prudenter loquantur, ad quod praemeditatio est plurimum opportuna.

687. De testibus nominatis, qui moriuntur, antequam statuantur. (H. 163<sup>b</sup>. A. 68. 23. B. 75<sup>a</sup>. 3. C. 69<sup>a</sup>. 3. D. 156<sup>a</sup>. 2. K. 227<sup>b</sup>. 5.) Si testis nominatus, antequam instet terminus, quo statui debuit, moriatur, concedendum est parti, quod alium tantae credibilitatis et idoneitatis statuat pro eodem. Si etiam jurati ad preces partis aegrotantem visitent, et verba ejus audiant, de his in illo judicio, in quo testari debuit, si decesserit, testimonium ferre possunt.

688. Quod ex stultate testium nominatione actor vel reus condemnatur. (H. 163<sup>b</sup>. A. 68. 24. B. 75<sup>a</sup>. 4. C. 69<sup>a</sup>. 4. D. 156<sup>a</sup>. 3. K. 227<sup>b</sup>. 6.) Cives de Chremisir scripsierunt sic. Vitricus orphanorum quorundam postquam tres juratos pro intentione sua probanda, sicut ex sententia pro se lata obtinuerat, coram judicio statuisset, nescimus quo raptus spiritu non coactus subjunxit: Domine Index et Jurati! ad testimonium istorum juratorum, quos statui, adducam mox et statuam vobis adhuc tribunal praesidentibus et actum judiciarium continuantibus plures alios probos viros, per quos sicut per testes una cum juratis ipsis intentum meum probabo, et in

causa mea juste me procedere demonstrabo. Quod tamen non fecit: bene quidem unum nominavit, sed tamen nec eundem, nec aliquem alium statuit vel adduxit. Finito itaque judicio orphani pro sua parte sententiari petierunt, cum vitricus eorum non coactus testimonium per sententiam diffinitivam tamquam sufficiens sibi concessum voluntarie augmentasset, nec ad quod se obligaverat, ad effectum perduxisset, utrum in causa non succubuerit, et ipsi suam justitiam sint executi? Petimus ergo. Et infra: Quibus rescriptum fuit sic: Ex quo vitricus orphanorum non coactus ad probandam causam suam per plures testes, quam per juratos, quos statuerat, se voluntarie obligavit, et in tali probatione defecit, jus suum perdidit, et orphani eorum jus sunt executi. Nam in proverbio dicitur communis: De quo quis lucrum et emolumentum quaerit, de illo, si in contrariam relabitur partem, damnum merito reportabit.

Frequenter etiam accedit, quod ex stulta actoris quaestione et insufficienti rei responsione coram judicio justus fit culpabilis, et injustus innocens redditur et immunis; nec oportet vitricum ipsum de judice causari aliquid vel juratis; vigilantibus enim et non dormientibus jura subveniunt.

Unde damnum, quod sua culpa et improvisione quis sentit, sibi debet noui aliis imputare.

Ad idem require infra in illa rubrica: Causa nominis proprii.

689. Utrum socius possit esse testis vel non. (II. 164. A. 68. 25. B. 75<sup>b</sup>. 1. C. 69<sup>b</sup>. 1. D. 156<sup>b</sup>. 1. K. 228.<sup>a</sup> 1.) Cives de Crumplaw scripserunt sic: Sex socii fabri frequenter tabernas simul visitantes et in ludis taxillorum, quibus continue insistunt, perditionem et lucrum inter se dividentes, moverunt insolentiam, et unus eorum cuidam pistori manum amputavit.

Idem ergo volens se expurgare per alios quinque socios suos, quaerit pistor, cum omnes sex inordinata et dissoluta vitam ducant, et quasi conspiratores mutuo ergo sibi adhaerent, utrum tamquam infames et suspectos dictos quinque non possit a testimonio repellere ipso jure. Quibus sententiatum fuit, quod si dicti socii conspiraverunt, hoc est ad invicem juraverunt, vel promissis se adstrinxerunt, quod ex assidua eorum unione colligi potest, merito a testimonio repelluntur.

Unde socii negotiorum honestorum cujusmodi sunt mercatores, institores et alii consimiles, dummodo causa, de qua agitur, ad eos communiter noui pertineat, ita quod lucrum unius

vel perditio alium respiciat, et sic tam actor quam testis in propria causa labore, quod per prudentes judicem et juratos per causae circumstantias et alia diversa caute considerandum est, sunt pro testibus recipiendi, sed socii dishonesti sunt refutandi.

In criminibus vero socii non recipiuntur ad plenam probationem, sed ad praesumptionem, ita jam aliis possunt administrum generare.

**690.** Utrum advocatus possit esse testis vel non. (II. 164<sup>b</sup>. A. 68. 26. B. 75<sup>b</sup>. 2. C. 69<sup>b</sup>. 2. D. 156<sup>b</sup>. 2. K. 228<sup>b</sup>. 1.) Sententiatum est ibidem, quod advocatus pretio conductus in causa, quam fovet et pro parte, cuius causam fovet, ferre testimonium non potest.

**691.** Utrum praeco et tortor possunt esse testes vel non. (II. 164<sup>b</sup>. A. 68. 27. B. 75<sup>b</sup>. 3. C. 69<sup>b</sup>. 3. D. 157<sup>a</sup>. 1. K. 228<sup>b</sup>. 2.) Jurati de Galiez proposuerunt hunc casum: Quidam accusatus de homicidio defensionem praetendens statuit septem testes, qui debebant vidisse, quod vim vi repellendo dictum homicidium perpetrasset; inter quos testes unus fuit praeco, alter tortor sive suspensor. Quaeritur ergo ex parte actoris, utrum isti non sint merito tamquam infames a testimonio repellendi, et maxime tortor, qui homines pro pecunia jugulat et occidit. Ex parte autem rei allegatur: Cum tortor faciat actum juri et judicio necessarium, et sine quo justitia finem debitum sortiri non possit, utrum actu tali non obstante non sit pro teste idoneo recipiendus?

Super quo diffinitum fuit, quod praeco sine dubio testari potest; tortor autem, quia ratione avaritiae et lucri temporalis pretio conductus voluntarie tamquam desperatus homicidam se facit et constituit, a testimonio digne rejicitur ut infamis.

Nec tamen propter hoc judex, si per se ipsum maleficos torquet, a ferendo testimonio debet prohiberi; facit enim hoc zelo justitiae ac ex officii debito; tortor autem solum spe pecuniae actum suum exercet. Considerandum est etiam, quod cum pro homicidio vel alio casu criminali reus defensionem allegat, talis allegatio duo includit. Unum quod est contra ipsum sicut factum; aliud, quod est pro ipso, sicut defensio. Et licet ex confessione rei probetur factum, quod est contra ipsum, tamen defensio, quae est pro ipso, fortius et validius testimonium requirit. Unde cum in simplici expurgatione homicidii tortor testari non possit, multo minus in allegatione defensionis testari potest.

**692. De testibus non lucide testantibus.** (H. 165. A. 68. 28. B. 76<sup>a</sup>. 1. C. 70<sup>a</sup>. 1. D. 157<sup>a</sup>. 2. K. 229<sup>b</sup>. 1.) Testes confuse et non ita lucide deponentes, quod eorum dictis possit veritas declarari, non sufficiunt ad probandum intentum partis, per quam sunt producti.

**693. Quod testimonium factorum praefertur testimonio verborum.** (H. 165. A. 68. 29. B. 76<sup>a</sup>. 2. C. 70<sup>a</sup>. 2. D. 157<sup>b</sup>, 1. K. 229<sup>a</sup>. 2.) Cum sartor quidam ex quatuor cum dimidia ulnis panni brevis de Bruchsel pallium ac tunicam sarsisset, objectum est sibi per illum, cuius pannus fuit, quia medianam ulnam pro suis usibus accepisset. Quod cum sartor negaret, vocati sunt magistri sartorum et renovatorum vestium, et sub juramento virtute praestiti interrogati, si pallium et tunica quatuor cum dimidia ulnas continerent. Qui vestes diligenter perspicientes concorditer responderunt: quod non, et ad eorum negationem confirmandam actor adjecit, quod pannum, ante quam sartori traderet, coram testibus ad hoc assumptis in libra ponderasset, quare pro se sententiari petivit, utrum per libram de falsitate sartorem vincere merito non deberet, cum pulvis, quem in sarciendo pannus cepisset, et fila, quae essent addita, primam panni ponderationem redderent graviorem. Contra quod sartor replicavit, quia de libra nihil sibi constaret, sed vestes vellet disolvere in pecias et in conspectu juratorum et sartorum et renovatorum componere et ad oculum ostendere, quod haberent quatuor cum dimidia ulnas per actorem sibi traditas.

Quaesitum est ergo, cuius testimonium sit alteri praefendum? respondetur quod sartoris; est enim consuetum, quod pannus mensuratur et non ponderatur. Pondus etiam in panno propter madidationem, pulverem, fila et parvas peciunculas quae deficiunt, plus fallit quam mensura, et praecipue, quando fines et extremitates panni in vestibus adhuc apparent, quae sartor iste tamquam cautus non absciderat, sicut visibiliter in pallio ostendit et tunica supradictis. Ex ista sententia colligitur, quod testimonium factorum praefertur testimonio verborum.

**694. De testibus ex utraque parte rogandi.** (H. 165<sup>b</sup>. A. 68. 30. B. 76<sup>a</sup>. 3. C. 70<sup>a</sup>. 3. D. 157<sup>b</sup>. 2. K. 230<sup>a</sup>. 3.) Si actor in questione testes nominat, et reus in responsione in eosdem testes consentit, ambo rogabunt eosdem ad judicium venire et veritati testimonium perhibere.

**695. De testibus quaedam cautela exceptio-**  
**nem removens.** (H. 165<sup>b</sup>. A. 68. 31. B. 76<sup>a</sup>. 4. C. 70<sup>a</sup>. 4. D. 157<sup>b</sup>. 3. K. 230<sup>a</sup>. 4.) Juratis de Chremisir sen-

tentium. Si pars debens testes producere hanc praemittit protestationem, si per exceptionem vel modum quocumque aliquis de suis testibus rejiciatur, velit et parata sit alium instituere, potest pro teste repulso alium locare, contradictione partis adversae non obstante.

696. De testium repulsione in genere. (H. 165<sup>b</sup>. A. 68. 32. B. 76<sup>a</sup>. 5. C. 70<sup>a</sup>. 5. D. 158<sup>a</sup>. I. K. 230<sup>a</sup>. 5.) Sententiatum est ibidem juratis in Clobuck, quod requisitionem partis testes contra ipsam producti sibi sunt in faciem statuendi et digito demonstrandi. Quo facto si contra nullum eorum exceperit, oportet quod ipsorum testimonium patiatur.

Praedicta autem demonstratione non facta, quamvis testes quatuor scanna intraverint, dummodo crucem non teligerint nec ex judicis licentia ad ipsam in propinquuo accesserint, adhuc exceptio contra eos interposita est per judicem audienda.

697. Repulsio testium est quandoque jura-  
mento confirmanda. (H. 165<sup>b</sup>. A. 68. 34. B. 76<sup>b</sup>. 2.  
C. 70<sup>b</sup>. 2. D. 158<sup>a</sup>. 3. K. 230<sup>b</sup>. 1.) Si in probationibus exceptionum contra testes propositarum pars deficiens novam nititur proponere exceptionem, juramentum praestabit corporale, quod illam tempore primarum exceptionum ignoraverit vel in memoria non habuerit quoquam modo.

698. De exceptione criminis contra testes. (H. 165<sup>b</sup>. A. 68. 35. B. 76<sup>a</sup>. 3. C. 70<sup>b</sup>. 3. D. 158<sup>a</sup>. 4. K. 230<sup>b</sup>. 2.) Si contra testem excipiatur, quod quandoque propter crimen sibi objectum a testimonio sit repulsus, ex talis exceptionis probatione iterum a testimonio removetur.

699. Quod quandoque facta depositione contra testes non potest excipi. (H. 166. A. 68. 36. B. 76<sup>b</sup>. 4. C. 70<sup>b</sup>. 4. D. 158<sup>b</sup>. 1. K. 231<sup>a</sup>. 1.) Si testes more solito interrogati facta depositione non subjungunt in fine: De hoc sumus testes pro ista parte — propter hoc non est eorum testimonium repellendum. Defectum enim talis subjunctionis supplet requisitus judicis antecedens. Sic sententiatum est juratis in Crepicz.

700. Quod contra testes repellendos excipiatur vel in personas, vel in verba. (H. 166. A. 68. 33. B. 76<sup>b</sup>. 1. C. 70<sup>b</sup>. 1. D. 158<sup>a</sup>. 2. K. 230<sup>a</sup>. 6.) Qui producit testes, contra personas eorum dicere non potest nec in sua causa, nec in alia, nisi ex nova causa, sed in dicta eorum bene potest dicere; et est ratio: quia cum produco testem personam ejus

approbo, et ideo contra personam ejus dicere non possum; et ideo si approbo illum, pro me teneor recipere illum contra me. Sed quia ignoro, quid testis sit dicturus, ideo in verba ejus dicere possum, videlicet quia contradicit sibi ipsi, vel etiam aliis testibus meis, vel si facit pro adversario meo. Et de talibus exceptionibus faciendis debet per excipientem, antequam fiat protestatio publica, interponi isto modo. Domine judex, si aliquis testium meorum a proposito meo deviaverit, paratus sum alium statuere loco sui. Contra quem autem producuntur testes, antequam deponant, potest contra personas ipsorum excipere, vide-licet, quia sunt infames, perjuri, conspiratores, inimici sui, servi vel quia sunt nimia familiaritate vel cognatione parti ad-versae conjuncti, et sic de consimilibus. Contra verba vero eorum potest excipere, postquam depositio jam est facta, nisi for-tasse ex auditione depositionis sumat materiam excipiendi contra personam; et si testes sunt approbatae vitae et fidelis conver-sationis, ad eorum petitionem vel partis, per quam producuntur, excipiens confirmabit juramento suo, quod exceptionem contra eos causa justitiae et non ex malitia interponat.

**701. De prioritate testium (H. 166<sup>a</sup>. D. 158<sup>b</sup>. 2.)**  
 Testimonium longioris temporis est efficacius. Jus antiquum ha-bet: Quod cum agitur de metis et limitibus agrorum seu causis consimilibus, potissime ex consequenti, vero cum agitur de possessionibus, arrestationibus vel quibuscumque contractibus, tunc validissimum est testimonium, cujusecumque partis fuerit, quando antiquioris temporis memoratur.

**702. De testibus quantum ad tempus et locum.** (H. 166. A. 68. 39. B. 76<sup>b</sup>. 6. C. 70<sup>b</sup>. 6. D. 158<sup>b</sup>. 3. K. 231<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est rusticis in Strucz: Si actor im-petit reum, quod die tali vel hora tali positis insidiis in tali loco ipsum vita sua privasse voluerit, de quo eum testimonio velit convincere fide digno; reus vero respondeat, quod die et hora praedictis non in loco, quem actor nominavit, sed in alio, puta in aliqua civitate, vel in aliqua alia villa fuerit, quod velit ostendere testimonio sufficienti illius loci, in tali casu est testimonium rei actoris testimonio preeferendum; et similiter intelligatur de consimilibus causis aliis suo modo.

**703. De testibus ad idem.** (H. 166. C. 70<sup>b</sup>. 4. D. 158<sup>b</sup>. 4.) Si testes deposuerint, quod divisim temporibus et locis diversis de causa, quae inter partes ventilatur, eis constet, dummodo in deponendo concordent, ipsorum testimo-nium est tamquam efficax admittendum.

704. Quod testibus ex causa legitima est terminus prolongandus. (H. 167. A. 68. 40. B. 77<sup>a</sup>. 1. C. 71<sup>a</sup>. 1. D. 158<sup>b</sup>. 5. K. 231<sup>a</sup>. 4.) Civibus in Streliez sententiatum est, quod testibus ex impedimento legitimo seu necessitate inevitabili die praefixo comparere non valentibus, sine praecidio partis est terminus prolixior assignandus.

705. Quod testes per judicem sunt compellendi. (H. 166. A. 68. 41. B. 77<sup>a</sup>. 2. C. 71<sup>a</sup>. 2. D. 158<sup>b</sup>. 6. K. 231<sup>a</sup>. 5.) Sententiatum est ibidem, quod testes nominandi et statuendi, si gratia, odio, timore vel alia de causa se absentaverint seu comparere noluerint, ad preces partis sunt per judicem, quod veritatem dicant, compellendi. Sic sententiatum est in Kneechicz.

706. Quod testes per judicem non sunt repellendi. (H. 166. A. 68. 42. B. 87<sup>a</sup>. 3. C. 71<sup>a</sup>. 3. D. 159<sup>a</sup>. 1. K. 231<sup>a</sup>. 6.) Sententiatum est eisdem, quod testes debent esse idonei, hoc est tales, quod per exceptionem non possint a testimonio repelliri. Quilibet autem reputatur idoneus, de quo non probatur contrarium. Unde edictum de testibus est prohibitorium, ita quod quilibet admittitur, qui non prohibetur seu repellitur, sed talis repulsio est per partem et non per judicem facienda.

707. De testimonio subemtorum. (H. 167<sup>a</sup>. A. 68. 43. B. 77<sup>a</sup>. 4. C. 71<sup>a</sup>. 4. D. 159<sup>a</sup>. 2. K. 231<sup>b</sup>. 1.) Cum advena Heinricus de Salzburga conquereretur, quod euidam civi Brunnensi duo vasa vini galici pro XXXVII sexagenis gros. prag. vendidisset, civis vero respondisset, quod tantum pro viginti sexagenis ipsa emisset et uterque subemtoris testimonium allegaret, sententiatum et ordinatum fuit pleno in consilio: quod nec advena contra civem, nec civis contra advenam inducere debet testimonium subemtoris, qui vulgariter dicuntur vnterkäuffel nisi viros honestos habeat cum illis.

708. De testibus pro deductione uxoris et bonorum. (H. 167. A. 68. 44. B. 77<sup>a</sup>. 5. C. 71<sup>a</sup>. 5. D. 159<sup>a</sup>. 3. K. 232<sup>b</sup>. 2.) Heinricus de Eiwancicz de inquilino suo conquestus est, quod noctis tempore uxorem in curru et bona sua, quae ad XX sexagenas taxabat, sibi deduxisset, et cum reus tamquam homo bonae famae expurgationem obtinuissest, quaesitum est, de numero testium etc. et responsum est, quod talis reus metseptimus testium idoneorum potest suam innocentiam demonstrare.

Item dictus Heinricus conquestus est de vectore, quod suis equis et curru uxor et bona sua sibi fuerint deducta;

pro quo cum sententiatum fuisset, quod se testibus deberet expurgare, diffinitum fuit: quod metterius proborum virorum testimonio se mundare deberet.

709. De testibus homicidiorum et vulnerum. II. 167. A. 68. 45. B. 77<sup>a</sup>. 6. C. 71<sup>a</sup>. 6. D. 159<sup>a</sup>. 4. K. 232<sup>a</sup>. 1.) Testes, quos primo statuit accusatus pro homicidio, eosdem statuere potest accusatus pro opera, quae vulgariter wollaist dicitur; non est enim alienum jure, quod eisdem testibus sit fides super facto principali et ejus accessoriis adhibenda.

710. De testibus, qui sunt inimici, et quando sunt a testimonio repellendi vel non. (II. 167<sup>b</sup>. A. 68. 46. B. 77<sup>a</sup>. 7. C. 71<sup>a</sup>. 7. D. 159<sup>a</sup>. 5. K. 232<sup>a</sup>. 2.) Subscripti judicantur inimici capitales, et possunt a testimonio repelli: primo qui accusavit alium de crimine capitali, licet accusatus evadat, tamen accusator postea semper judicatur ejus inimicus. Item qui accusat alium de crimine, propter quod civitatem potuit ammisisse, vel in exilium relegatus fuisset. Item qui movit alicuius quaestionem status et honoris sui. Item si nomen alicujus quis detulit, ex cuius delatione poena aliqua potuisset imponi, licet accusationem ejus non peregerit. Item si quis moverit alteri quaestionem bonorum suorum. Item si aliqui adjuncti sunt ad invicem propter aliquod factum vel dictum, licet accusatio non subsequatur, adhuc judicantur inimici. Item si quis in causa criminali tulit testimonium contra aliquem praesumitur postea ejus inimicus. Item cohabitantes inimicis et conversantes cum hostibus nostris nostri judicantur inimici, et similiter, qui multum est amicus inimici nostri. Et nota, quamvis praedicti sortiantur nomen inimici, tamen quando a testimonio sunt repellendi, relinquunt arbitrio et conscientiae judicantium, scilicet judicis et juratorum. Nota etiam, licet dicti prohibeantur a testimonio, tamen admittuntur ad accusandum, si injuriam suam vel suorum prosequantur.

710. Quod minor numerus testium non semper repellitur per majorem. (II. 167<sup>b</sup>. A. 68. 47. B. 77<sup>b</sup>. 1. C. 71<sup>b</sup>. 1. D. 159<sup>b</sup>. 1. K. 232<sup>b</sup>. 1.) In Lausseins quidam villanus impetravit quandam viduam, quod maritus ejus in VI. marcis grossorum sibi fuit obligatus, quod vellet per duos testes idoneos demonstrare. Vidua vero negante et viceversa per duos testes innocentiam suam ostendere volente, villanus dicebat: Domine index, contra duos testes quos vidua vult statuere, alios quatuor me obligo statuturum, et quaero, utrum non major numerus testium

sit minori secundum justicium praferendus? Responsum definitive fuit: Licit in pluribus admittatur juribus, quod testes plures repellant pauciores, tamen hoc in jure Brunnensi ab antiquo servari in causis omnibus non conservavit. Unde vidua per testes sufficientes res et bona sua defendendo melius potest actorem evadere, quam ipse per testes aequales, quos prius in querimonia asseruit, se velle statuere, eam possit convincere pleno jure. Nec per hoc jura Brunnensia alii, nec ipsis alia contrariantur; cum enim jura talia quodammodo sint consuetudinaria, et non in toto legalia, unumquidque pro loco, in quo usitatur, valere potest. Est enim consuetudo secundum leges ius moribus utentium approbatum.

712. Quod testes quandoque privilegiis preferuntur. (A. 68. 48. B. 77<sup>b</sup>. 2. C. 71<sup>b</sup>. 2. D. 159<sup>b</sup>. 2. K. 232<sup>b</sup>. 3.) Cives de Radisch proposuerunt hunc casum: Quidam de Tissnowicz conqueritur super duos nostros concives, quod pater eorum obligaverit sibi hereditates suas pro marcis grossorum triginta dans sibi super eo privilegium sigillo civitatis de Radisch communium. Et quia idem privilegium ut dicit per ignem est consumtum, quaeritur, si judicem et juratos nostros possit statuere, qui testabuntur de dicto privilegio sibi dato, utrum per hoc praefatas triginta marcas non obtineat ipso jure? Dicti autem nostri concives respondent, quod easdem triginta marcas pater eorum, dum viveret, persolverit, et privilegium laniaverit, deciderit et suffocaverit ita, ut ejus copiam ostendere non possit, et hoc per testes idoneos se obligant probaturos, quaerentes, utrum testes corum non sint testibus actoris praferendi. Super quo diffinitum fuit: Cum privilegium super facienda solutione finaliter datum fuerit, si hujusmodi solutio per cives de Radisch fide digno testimonio sufficienter probabitur esse facta, actor ejus allegatione non obstante in probatione tali debet merito contentari.

713. De testibus in genere quantum ad numerum. (Il. 168. A. 68. 49. B. 77<sup>b</sup>. 3. C. 71<sup>b</sup>. 3. D. 160<sup>a</sup>. 1. K. 233<sup>a</sup>. 1.) Cum quaestio sit de numero testimoni, sciendum est, quod in omni negotio principalis persona dicens veritatem de re sibi nota rectissime habenda est pro teste, cui adhibito uno efficiuntur duo testes, adhibitis duobus efficiuntur tres, quod patenter ostendit dominus, cum dicit: Si peccaverit in te frater tuus, corrige eum inter te et ipsum, quod si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testimoni stet omne verbum. Item de testibus quaere

infra de vulneribus et supra de testamentis et hereditatibus, de privilegiis, et homicidiis, et multis aliis. Utrum autem per communitatem et per literas ferri possit testimonium, et de testibus, quibus vincitur incendiarius vel criminosis, et quod in gravibus delictis non obstantibus literis etiam jurati sunt testes personaliter de circumstantiis interrogandi, et quod numerus septenarius testium est quasi de substantia juris et quod testimonium multitudinis maxime habetur per auditum, et quod credibilis est testimonium juratorum unius loci pro aliquo singulari actu, quam testimonium juratorum plurimi civitatum pro eodem actu, et quod testimonium multitudinis saepius est suspectum, omnes istos articulos quaere supra in titulis de actionibus.

**714. Ad testes testibus praferendos utriusque partis testes quandoque sunt audiendi.** (H. 168<sup>b</sup>. A. 68. 50. B. 78<sup>a</sup>. 1. C. 72<sup>a</sup>. 1. D. 160<sup>a</sup>. 2. K. 233<sup>b</sup>. 2.) Si tam actor, quam reus jus suum per protestationem, quae dicitur Vrkund vel probationes et testes se dicat ostensurum, et dubium oriatur, ejus partis testes sint aliis praferendi, sicut ex. g. Si unus allegat pro intento suo testamentarios, et alter testes nuptiales vel consimiles, tunc utriusque partis probationes et testes cum circumstantiis necessariis diligenter exquisitis protestatione de vrkund vel priore vel posteriore, cum nec jus det, nec jus tollat, omissa recipientur, quia sic inveniri potest, qui testes sint aliis potiores et qualiter diffinitiva sententia sit proferenda.

**715. De testimonio communium hominum.** (H. 168<sup>b</sup>. B. 78<sup>a</sup>. 2. C. 72<sup>a</sup>. 2. D. 160<sup>b</sup>. 1. K. 233<sup>b</sup>. 1.) Interdum in criminibus et insolentiis testimonium vulgarium et communium fide dignorum hominum, si necessariis juvatur prae sumptionibus in disciplinae, pacis et commodi favorem admittitur et auditur.

**716. Causa nominis proprii non est indifferenter quilibet ad testimonium admittendus.** (H. 168. A. 68. 52. B. 78<sup>a</sup>. 3. C. 72<sup>a</sup>. 3. D. 160<sup>b</sup>. 2. K. 233<sup>b</sup>. 2.) Propter nomen proprium sub quo testis in futuro nominatur producendus non admittitur ad testimonium, qui legali ter prohibetur, sicut pater, filius vel alia minus idonea persona. Unde testis nominatio referri debet ad testem, qui a ferendo testimonio non prohibetur ipso jure: plus enim in testibus respicienda personarum idoneitas, quam nominum seu vocum proprietas. Sic sententiatum est in Radisch.

## Capitulum de tormentis.

717. De tormentis ut hic patet. (I. 169. A. 69. I.  
B. 78<sup>a</sup>. 4. C. 72<sup>a</sup>. 4. D. 160<sup>b</sup>. 3. K. 234<sup>a</sup>. 3.) De Rad-  
disch jurati scripserunt sic: De oppido Napai ad literas rece-  
pimus in haec verba: Cum rusticus enjusdam filio in Napai e di de  
pera duo grossi essent subtracti, rusticus ipse famulum com-  
mensalem suum, quem ejusdem furti reum suspicabatur capiens  
temerarie, auctoritate judicis et juratorum nec petita, nec quae-  
sita, manibus cum pollicibus tergotenus colligatis in eculeo  
suspendens per funem supra et infra trahens, ut de furto  
praescripto quidquid sibi constaret, confiteretur, per incendium  
fumo sub ejus pedibus facto tormentavit, idem autem famulus  
eadem durante poena clamore terrifico vulgariter dicto „w a f-  
fengeschrai“ vicinos ad accurrendum commovit. Qui cum  
venissent et per fenestras ac rinas domus intospicientes famulum  
tormentari vidissent, hoc ipsum judici celeriter intimarunt, qui  
servum suum illuc mittens, cum domum clausam intrare non  
posset, hostio fracto domum introiens famulum in eculeo pen-  
dente invenit, quem potenter eripiens ad judicis praesentiam  
duxit. Qui casu coram juratis ad hoc vocatis cognito partibus  
terminum judicarium assignavit, in quo cum famulus per omnia  
sicut praescribitur, de domino suo conquereretur, ipseque do-  
minus responderet affirmando, quia furtum filio suo in duobus  
grossis factum de pera per poenas tormentorum a famulo suo  
extorsisset, famulus replicavit, quod licet de furto simpliciter  
innocens esset, tamen ad vitandam mortem et salvandam vitam,  
sicut natura postulat, de furto fuit confessatus. Super qua re-  
plicatione cum dominus secundum consilium juratorum inter-  
locutoria habita deliberatione respondere deberet, in causa  
juris reiterationibus, quae vulgariter holung dicuntur, perditis  
succubuerit, quaerimus, quibus emendis obnoxius teneatur? Super  
quo casu, qui et rarus est, diffinitive responsum est: Ex  
quo ille, qui famulum commensalem suum tormentis, ut prae-  
mittitur, ad confitendum de furto, de quo fortassis innocens  
fuit, artavit, cum in hoc auctoritatem judicariam, quod sua  
non interfuerit, judicis et juratorum potestate spreta frivole  
ac contumaciter sibi usurpavit, famulum cum pollicibus utrius-  
que manus ligatum etc. tergotenus suspendit, sursum traxit  
et deorsum misit, et in eadem causa judicialiter ventilatus  
succubuit, ambobus est suis pollicibus detruncandus, et per  
hoc famulo tormentato et judici plenarie est satisfactum. Si

autem eandem amputationem pecunia redimere voluerit, pro quolibet pollice solvet pro emenda V sexagenas grossorum prægensium, hoc est in toto X sexag. gr. prag., de quibus famulo per suspendum et incendium laeso cedent V et judici tres et juratis duac. — Et hic collige, quod per quaestiones et tormenta veritatem a maleficiis inquirere solum interest judicis et juratorum. Et non sunt omnes homines tormentandi, sed solum qui accusati pro reis habentur suspecti et non est incipiendum a tormentis, ut malefici ad confitendum sic cogantur; immo primo aliis argumentis et subtilibus inquisitionibus de loco, tempore et aliis circumstantiis facti sunt ammonendi, si saltem sic veritas ab ipsis poterit extorqueri. Est incipiendum a suspectissimo et a quo facillime judex crediderit posse verum sciri. Et nota, quod confessiones reorum pro exploratis criminibus haberi non oportet, si nulla alia probatio judicem et juratos, quorum interest, causam cognosere, instruat et moveat. Scendum etiam, quod tormentis non est semper, nec etiam unquam fides adhibenda; nam probatio tormentorum res est fragilis et periculosa veritatem fallens. Multi enim patientia et duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alii vero tanta impatientia vincuntur, ut in quovis facto mentiri magis, quam tormenta pati velint, et ita sit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, sed etiam alios criminentur. Item inimicorum confessioni fides non est adhibenda, quia faciliter mentiuntur, non tamen sub praetextu inimicitarum erit fides detrahenda, sed causa cognita fides est habenda vel non. Item latronibus impunitatem sibi cupientibus et ex hoc proditoris suos indicantibus non facile creditur, et etiam non communiter impunitas eis per hujusmodi prodidores concedenda est. Item si quis sponte de maleficio fateatur a se commisso, non semper ei fides adhibenda est. Nonnunquam enim aut metu vel alia de causa in se confitentur quidam. Sciendum est etiam, quod judex et jurati diligenter considerare debent modum tormentandi, ut scilicet talis modus in tormentando servetur, quod tormentatus, vel innocentia vel suppicio salvus sit. Non debet etiam in re faciliter pecuniaria haberi tormentatio, sicut præscriptus rusticus in Napoie del de quo in sententia habita est mentio, fecit; nisi fortassis aliter veritas inveniri non possit, quam per tormenta, tunc enim licebit. Tormenta habenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderatae temperamenta rationis desiderant. Judex et jurati advertere debent, qua constantia vel qua

trepidatione tormentatus confiteatur. Debent etiam videre, enjus existimationis, utrum bonae summae, vel suspectus fuerit ille, qui tormentatur. Insuper de minore XIV annis in caput alterius non est habenda tormentatio; et hoc maxime, cum nullis extrinsecus argumentis accusatio impletur; nec tamen consequens est, ut sine tormentis eidem credatur juveni, nam aetas, quae adversus asperitatem tormentorum juvenes interim tueri videtur suspectiores quoque eosdem facit ad mentiendi facilitatem. Unius criminis plurimi rei ita audiendi sunt, ut ab illo primum incipiatur, qui timidior est vel tenerae aetatis videtur. Reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in tormenta potest, maxime si in eis animus corpusque duraverint. In illa causa, in qua reus nullis argumentis urgetur, non sunt tormenta faciliter adhibenda, sed dicendum est accusatori, quod illud comprobet, quod intendit; non est credendum confessioni, quam facit aliquis durantibus tormentis, nisi eis cessantibus in eadem confessione perseveret.

Quaere supra de ista materia in capitulo de confessio-nibus et poenis.

### **Capitulum de vulneribus.**

718. De vulneribus et vulneratis — quantum ad accusationem, quantum ad tempus accusandi, quantum ad distinctionem, quantum ad inducitionem — quantum ad leem et de diversis in genere. (II. 170. A. 70. 1. B. 79<sup>a</sup>. 1. C. 73<sup>a</sup> 1. D. 162<sup>a</sup>. 1. K. 235<sup>b</sup>, 1.) Sententiatum est ad loca diversa: Quemcumque vulneratus compos rationis et loqui potens non accusat, illum amici vulnerati accusare non possunt. Item si vulneratus infra triduum neminem accusaverit, accusatio, quam postea fecerit, vigore carebit. Item in uno membro tantum unus defectus, vulgariter dictus „leem“ accusari potest, quamvis idem membrum pluribus vulneribus sit vulneratum. Unde vulneratus in pede, si vulnus in leem convertatur, non potest rations quinque pedicarum vulnerantem de quinque leem accusare. Secus autem esset, si quaelibet pedica vulnus haberet, quod in idem converteretur. Item si dubium est de vulnere, utrum transactis VI hebdoma-dibus conversum sit in leem, vel non, si petit vulneratus, vulnus est induciandum per annum, quo finito, si in leem non est conversum, reus pro ipso, sicut pro vulnere simplici respon-debit. Item sicut quaedam vulnera sunt in membris nobilioribus

et majoribus, sicut manu, pede et consimilibus, quedam autem in membris ignobilibus et minoribus sicut in digito, dente, pedica et consimilibus, ita etiam defectus, qui dicitur „leem“ eodem jure, quo praedicta gaudent membra, quantum ad expurgationem, emendas et alia judicari debet; et de hoc quare supra in *juribus originalibus*, in illo paragrapho: Nunc de *vulneribus* duximus annexendum.

719. De *vulneribus* quantum ad accusationem.  
(II. 170. A. 70. 2. B. 79<sup>b</sup>. 1. C. 73<sup>b</sup>. 1. D. 162<sup>a</sup>. 2. K. 236<sup>a</sup>. 1.) Si vulneratus vocatis ad vulnera perspicienda et reum accusandum juratis, antequam veniat moriatur, quemcumque coram fide dignis viris et credibilibus prius accusavit, ille ad propinquorum mortui querimonias respondebit justicialiter.

720. Ad idem quantum ad tempus vulnerandi.  
(H. 170. A. 70. 2. B. 79<sup>b</sup>. 1. C. 73<sup>b</sup>. 2. D. 162<sup>a</sup>. 3.) Si vulnerato mortuo ejus propinquui, quorum interest accusare, absentes si fuerint, non currit eis tempus tridui, in quo accusatio fieri debet a die mortis vulnerati, sed solum a die notitiae, quo vulneratum mortuum cognoverunt, et adhuc illud tempus, quod incipit a die notitiae secundum distantiam, in qua sunt absentes a loco, in quo propinquus eorum vulneratus fuit, et secundum hoc, quod commode judicem accedere poterint, est mensurandum.

721. De *vulnero*, quod in *leem* convertitur.  
(II. 171. A. 70. 3. B. 79<sup>b</sup>. C. 73<sup>b</sup>. 3. D. 162<sup>b</sup>. 1. K. 236<sup>a</sup>. 2.) Judici et juratis de Cremser ad eorum requisitionem sententiatum est, quod accusatus pro vulnero, de quo vulnerato digitus inhabilis factus est, quod vulgariter dicendo „leem“ dicitur, et affirmans tale vulnus se percussisse vim vi repellendo et vitam defendendo, metuquintus probabilium virorum hoc debet ostendere in cruce demonstrando.

722. De *vulneribus* et *amputationibus* membrorum, utrum accusatus possit ostendere innocentiam suam per juratum? (A. 70. 4. B. 79<sup>b</sup>. adid. C. 73<sup>b</sup>. 4. D. 162<sup>b</sup>. 2. K. 237<sup>a</sup>. 3.) Sententiatum est ibidem juratis (in Huleyn): Si reus secundum jus civile impeditus fuerit per actorem de vulneribus vel membrorum amputationibus, non potest se expurgare per solum juratum, nisi alios testes habeat secum, sicut iura originalia dicunt; si autem actor per juratum vincere vult reum, tunc reus melius expurgabit se per juratum.

723. De vulneribus dictis „schamwunden.“ (H. 171. A. 70. 5. B. 79<sup>b</sup>. adid. C. 73<sup>b</sup>. 5. D. 152<sup>b</sup>. 3. K. 236<sup>b</sup>. 1.) Pro vulnero pudoroso vulgariter dicto „Schamwunden,“ post ejus sanationem in facie hominis appareat macula indelebilis vel cicatrix quae criminibus non legitur, accusatus expurgabit se metquintus probabilium virorum; habet enim tale vulner illud jus, quod scribitur in iuribus originalibus ibi: Item qui cumque alteri amputaverit digitum unum.

724. Vulneratus ambulans et tandem moriens non emendatur ut occisus. (H. 171. A. 70. 6. B. 79<sup>b</sup>. adid. C. 73<sup>b</sup>. 6. D. 163<sup>a</sup>. 1. K. 236<sup>b</sup>. 2.) Consuetudo civilis servat pro jure: Si vulneratus per plateas et ecclesias more sani hominis sine baculo per Scabinum visus fuerit ambulare tandemque ante quaerimoniam ejusdem vulnerationis justitiiliter discussam moriatur, reus non pro homicidio, sed tantum pro vulnero respondebit ipso jure.

725. De wollaist in genere. (H. 171. A. 70. 7. B. 79<sup>b</sup>. 1. C. 73<sup>b</sup>. 7. D. 163<sup>a</sup>. 2. K. 236<sup>b</sup>. 4.) Wollaist, quod est operari dare vel consilium praebere, non sequitur omnia vulnera, sed tantum homicidia vel invasiones domus, furta et spolia et mortificationes et alia delicta gravia istis consimilia. Et debet reus pro wollaist infra tridum accusari, nisi impedimentum legitimum sicut loquendi impotentia vel consimile intervenerit, seu protestatio tam rationabilis interposita fuerit, propter quam terminius dicti tridui merito debeat prolongari.

Item jurati de Radisch quae siverunt, utrum reus pro wollaist, quod imponitur sibi pro homicidio in persona cuiusdam hospitis in domo sua propria noctis tempore familia sua dormiente et igne concluso perpetrato gravius et per plures debeat evadere, quam pro opera homicidii in foro vel platea tempore diei commissi. Qui sic sunt informati, quod non obstantibus praedictis circumstantiis, quae fortassis factum principale hoc est ipsum homicidium, si in quaerimonia invasio domus i. e. haymstrehung, implicaretur plus gravarent accusatus in tali wollaist non debet gravius evadere, nisi pro alio wollaist, quod imponitur homini in homicidii perpetratione, quia mettertius virorum fidelium poterit se expurgare.

726. De vulneribus inter laicum et ordinatum. (H. 171<sup>b</sup>. A. 70. 8. B. 80<sup>a</sup>. 1. C. 74<sup>a</sup>. 1. D. 163<sup>a</sup>. 3. K. 237<sup>a</sup>. 1.) In judicio civitatis quidam diaconus conquestus est de laico; quod eum noctis tempore vulnerasset, laicus autem, cum juramento diaconum evasisset, petivit pro se sententiari,

utrum non deberet etiam suaे querimoniae viceversa responderе? Super quo sententiatum fuit: Cum actor forum rei sequi debeat, laicus debet de diacono vel alio ordinato coram judice conqueri canonico. Ordinatus autem de laico conqueri debet in judicio seculari.

727. De vulneribus et violentiis in sacris locis etiam factis. (II. 171<sup>b</sup>. A. 70. 10. B. 80<sup>b</sup>. 2. C. 74<sup>b</sup>. 2. D. 163<sup>a</sup>. 4.) Cum in monasterio Tissinowicz laycus laycum vulnerasset, et pro eo tantum in judicio spirituali satisfacere vellet, ad petitionem juratorum de Tissinowicz sententiatum est sic: Licet uni delicto correspondeat una poena, tamen si laycus laycum vel ordinatum, si judicio saeculari conquereretur, vulnerat vel violentiam in ecclesia in cimiterio, vel in alio loco cultui divino consecrato sibi infert, tripliciter emendabit; ratione namque loci, laycus satisfaciet judici canonico; ratione vulnerum et violentiae judici saeculari emendam solvet, et laeso damnum componet.

728 Utrum juratus promissor alicujus accusatus per eum pro vulneribus possit se defendere allegando notwer? (II. 172. A. 70. 9. B. 80<sup>a</sup>. 3. C. 74<sup>a</sup>. 3. D. 163<sup>b</sup>. 1. K. 236<sup>b</sup>. 4.) Jurati de Tissinowicz proposuerunt hunc casum: Postquam Heinricus amputasset Petro manum sinistram, et ad proborum intercessionem viroruи gratiam obtinuisse suam, homagium sibi fecisset, sibique jurasset, numquam de cetero contra ipsum facere, sed pro viribus ubique locorum consiliis et auxiliis sibi fideliter debere assistere: accidit, quod iterum secundam manum sibi amputavit. Quaerit ergo Petrus, utrum Heinricus perjurus et fidesfragus in eo factus non debeat sibi etiam verbo ipsius non auditu statim tamquam convictus adjudicari? Heinricus vero dicit, quia vim vi repellendo a Petri insultibus se defenderit et quaerit, utrum testimonium proborum virorum, quod pro ostensione notwer velit statuere, pro sua parte non debeat audiri.

Super quo diffinatum fuit, quod testimonium Heinrici est audiendum. Juramentum enim primum tantum ad haec astrinxit, quod Petrum non offenderet; ipso tamen non obstante ab ejus se potuit inpugnationibus defendere pleno jure.

Praeterea, quia per vulnera fiunt homicidia, membrorum mutilationes et alii defectus diversi, ideo de vulnerante et mutilante se ipsum, de illo, qui alium vulnerare voluit, sed non vulneravit, de vulneribus factis non voluntarie, de vulneribus factis per morsum canis, dentibus excussis et aliis diversis,

sicut sunt depilationes, plague fustum et pabsteg et excessus consumiles — quaere supra in titulis de testibus, de poenis, de mortificationibus, de homicidiis, de emendis, de actionibus. De vulneribus autem et maleficiis respicientibus mulieres quaere supra sub titulis de poenis, de mulieribus, de emendis, de accusationibus.

729. De vulneribus dictis leem et utrum medico in accusationibus vulnerum sit credendum? (B. 172. A. 70. 11. B. 80<sup>a</sup>. 4. C. 74<sup>a</sup>. 1. D. 164<sup>a</sup>. 1. K. 238<sup>a</sup>. 1.) Cum hic in Brunna Hecklinus Scriptor Martinum in manum dextram et Fridricum in manum sinistram graviter vulnerasset, vocatus est medicus et interrogatus, qualiter eadem vulnera sint accusanda; qui respondit quod ad faciendam accusationem vulnerum, civibus non jurasset, tamen sibi videretur, quod in qualibet manu XV defectus, qui dicuntur leem accusari possent ex eo, quod in tota manu unum et in pollice duo, et in quolibet quatuor digitorum tria membra arefacta in leem convertentur. Advocatus itaque Hecklini petivit pro eo sententiam juris inveniri. Utrum verbis medici, qui in duabus manibus XXX leem esse dicebat credi deberet, cum homicidia et vulnera essent a juratis perspicienda, quorum verbis tantum et non medici fides adhiberi consuevit. Super quo quaesito discutiendo jurati in consilio vocaverunt Martinum et Fridricum quorum manus cum vidissent et digitorum defectus considerassent, judicaverunt, in una tantum manu unum defectum dictum leem, secundum unum vulnus, quod manus habuit, accusandum; et sicut manus est unum de majoribus membris, sic talis defectus dictus est major leem. In secunda vero manu inventum est vulnus minus, de quo tantum duo digiti in leem fuerunt conversi. Alii vero tres actum eorum debitum poterant exercere; et sic in eadem manu ratione duorum digitorum, qui de membris sunt minoribus, duo minora leem sunt accusanda. Et sic cribratrum est per juratos, quod verbis medicorum in accusandis vulneribus non est simpliciter standum et credendum, imo jurati ratione juramenti, quod pro omni justicia cuiuscumque facti praestiterunt, debent etiam oculata fide vulnera et defectus ea consequentes perspicere et diligenter pensare, quod nec gravius, nec levius, quam jus exigit, accusentur. Et licet supra in prima sententia de vulneribus scribatur, quod in uno membro tantum unus defectus dictus leem accusari potest, quamvis idem membrum pluribus sit vulneribus vulneratum, tamen quandoque etiam viceversa ex uno vulnere plura

Ieem in membris pluribus rationalibiter accusantur, sicut in proposito, ubi ex uno vulnere manus duo digiti sunt in leem conversi.

730. Quod in vulneribus, homicidiis, mortificationibus, furtis et spoliationibus, pacis violationibus, domorum invasionibus, virginum eductionibus et aliis causis criminalibus ex praesumptione quandoque judicatur et diffinitivae sententiae proferuntur. (II. 172<sup>b</sup>. A. 70. 12. B. 80<sup>b</sup>. I. C. 75<sup>a</sup>. D. 164<sup>b</sup>. I. K. 238<sup>b</sup>. 1.) Dum in Auspicz Mixo Bohemus in extremis suis bona sua cum duabus filiabus, quas reliquit coram testamentariis probis viris, Urbeczkonem, quem et executorem testamenti et filiarum tutorem constituit, sub hac expressa conditione, quod filiae sine consilii sui beneplacito nihil, quantum ad status earum mutationem deberent agere, commisisset; accidit, quod senior filiarum, quae partem eam contingentem sibi per patrem specialiter habebat deputatam, non quaesito dicto tutoris consilio maritum sibi nexu conjugii sociavit.

Qui cum de bonis dictae filiae se intromisisset, Urbeczko ad paesentiam judicis et juratorum ipsum vocans protestabatur in illos, qui testamento Mixonis interfuerant, qualiter executor et tutor positus fuerit, et quod hujusmodi conjugium sine suo consilio esset penitus procuratum, admittens tamen benevole, quod dictus maritus portionem praescriptae filiae uxoris ejus suae subdidit potestati, petens pro se per juratos sententiari, quale jus ad minorem filiam et ejus bona secundum curam executoriam et tutoriam sibi competeteret in futuro.

Qui pronuntiaverunt, quod omne jus per Mixonem sibi datum habere deberet integrum et illaesum.

Postea vero ejusdem filia viam sororis sequens cum uno quodam Martino nomine in moribus monstruoso et satis distorto, non auditio tutoris consilio ab alia sorore et tutore recessit aliunde. Qui de vinea quadam per testatorem relictam frivole quodammodo se intromittens in Auspicz reversus est, Urbeczkonem judicialiter in causam trahens pro omnibus bonis, per Mixonem praemortuum sacerum suum dimisis, quae allegabat vice et nomine uxoris suae sicut ad tutorem legitimum ad se potius, quam ad Urbeczkonem debere pertinere.

Qua allegatione tanquam invalida non pensata, jurati secundario Martino silentium perpetuum imponentes sententia-

verunt pro Urbeezkone tute sicut superius continetur. Quod Martinus parvipendens contra sententiam praedictam per juratos latam praescriptam vineam ausu tenuit temerario, donec dominium de Auspiez illic veniens et juratos de lite praemissa interrogatus ab ipsis didicisset, quia Martinus velut rebellis et contumax eorum judicium et sententias non curaret. Vocatus est ergo ad praesentiam dominii quod causa pacis et commodi ambas ad hoc induxit partes, quod in juratos tam novos, quam antiquos, ut in arbitratores, ordinatores, diffinidores, et amicabiles compositores et universorum et singulorum, quae inter eas hinc inde vertebantur, expeditores de alto et basso simpliciter consenserunt.

Qui postquam laudum et arbitrium ipsorum coram dominio promulgassent et poena statuta vallassent, Martinus tamen, licet omnibus arbitrium audientibus bene placeret, cum ipsum reclamaret et ratum tenere vilipenderet, per dominum judicem et juratos sibi et Urbeezkon i indicta consueto more pace mandatum fuit, quod ab Auspiez alteri dominio se non subjecerent, quousque causa practacta finem inter eos debitum sortiretur.

Quo facto cum Urbeezko per fide dignos homines saepius praeannuntiarentur, quia Martinus cum suis complicibus malum suum quaerens vitae suae insidias in latibulis poneret et secretis, denuo judicem et juratos accedens quasi libiliter rogavit, quod a Martino et suis complicibus et eorum insidiis sibi pacem et securitatem ordinarent.

Vocaverunt ergo Urbeezkonem Martinum et ejus factores ad plenum eorum consilium, iterato pacem firmiter servandam ipsis indicentes, sicut rerum et personarum periculum vellent evitare, ad quod Urbeezko respondens, quod paratus esset pacem servare, dummodo cautio fidejussoria per Martinum et suos complices sibi fieret, quod in malum suum non machinantes, cautus ab eorum insidiis esse posset. Quibus fidejussoribus per Martinum indignanter datis post breve tempus die quodam festivo, quo plus solito homines ecclesiae limina matnrius frequentare consueverant, Martinus quodam de angulo cum nequam suis sociis, ubi latuerat, exiliens, Urbeezkonem in via cundo cum aliis fidelibus ad ecclesiam quasi mortificator occidens abiit et abcessit.

Primo itaque judicio uxori, propinqui et amici Urbeezkonis de Martino sicut de occisore seu mortificatore conquerentes ejus absentiam tamquam contumacis cum instanter accu-

sarent, nec aliquis pro parte sua quicquam allegaret, causa usque sequens judicium stetit in suspenso; quo veniente prae-habili uxor, pueri, propinqui et amici Urbeczkonis pro occisione, mortificatione, et pacis violatione in fidejussores Martini egerunt.

Quo auditio Martinus personaliter comparuit et eo viso uxor, pueri et amici praescripti querimoniam suam replicantes, ut praemittitur, petiverunt pro se sententiam juris dari.

Cum Martinus arbitrium et consilium juratorum non tenuerit, pacem sibi pluries indictam violaverit, sententias et mandatum juratorum et judicis temerarie spreverit, et sicut mortificator in tenebrosis et occultis latitans locis et inde exiliens die festo in via, qua itur ad ecclesiam praesentibus multis fide dignis communibus hominibus Urbeczkonem vita privaverit, et pro eo tanquam reus fugiens factus fuerit, et fidejussores ejus ipsum primo judicio non statuerint, utrum aliquam praetendere possit negationem, excusationem vel innocentiae demonstrationem? Quaesitum est ergo, quid sit juris in hoc casu, et responsum est primo sic: Ut possitis de jure informari, quod quaeritis de Martino, qui sub pace indicta dicitur Urbeczkonem occidisse, rescribatis nobis, habito diligenti scrutinio inter juratos et scabinos, quibus nota est vita et conversatio Martini, qualiter ipse se prioribus temporibus conservaverit, utrum de aliquo malo facto sit accusatus.

Et secundo utrum in praesentia hominum factum sit, quod dicitur Urbeczkonem occidisse, quia scripsistis nobis, quod tempore, quo itur ad ecclesiam in via eadem, per quam tamen frequenter homines transire solent, sit occisus, et si videtur vobis, quod aliqui homines interfuerint occisioni, illos diligenter audiatis secrete, et quidquid vobis dixerint, bene considerantes nobis clausis literis rescribatis.

Tertio etiam informetis nos, utrum Martinus tempore, quo judex pacem sibi praecipiens et fidejussores de pace servanda ab ipso petens, statim benebole fidejussores posuerit, dicens: libenter pacem servabo, vel si contradixerit, et per captivitatem vel aliquem alium modum difficilem ad eandem fidejussionem sit inductus, et statim, ut de praedictis tribus nos informaveritis, vos expediemus de sententia, quam quaesistis.

Ad quod jurati de Auspicz responderunt: quod Martinus transactis aliquot annis in campo cum sua mala societate bonum hominem occiderit animo deliberato et

aliqui ejusdem malae societatis dicuntur occisioni Urbe ezzkonis interfuisse.

Item secundo, quod honesti homines, quibus merito credendum est, in eorum fidem et conscientiam testantur, se vidisse, quod Martinus cum suis in via ecclesiae, ut praemittitur, Urbe ezzkonem de insidiis super cum irruens interemit.

Item tertio, quod non voluntarie pacem servare promisit, imo per minas captivitatis ad ponendum fidejussores de pace servanda difficulter est coactus.

Ex quibus omnibus senatus juratorum tamquam ex praesumptionibus necessariis moti diffinitive pronuntiaverunt, quod Martinus expurgationem homicidii habere non potest sibi impositi de jure, hoc est vulgariter dicendo: Martin mak keyn berednusz habin.

Et hic nota, quod praesumptiones saltem necessariae, non solum una, imo plures et multae, vel pluribus vicibus iteratae, ut in easu praescripto factum est, merito movent animum judicantis.

Unde etiam cum in Prostanicz orta in quadam stuba seditione hospes domus tamquam sequester item intercipere volens se interposuisset, et dextra sibi suisset manus amputata, ipseque stubam exiens eam clausisset, et judex et jurati ad ejus clamorem in stubam venissent, et nullo ibidem, hospite duntaxat excepto, invento vulnerato, cum tantum unius gladium novo eruore maculatum reperissent, aliis liberis dimissis illum solum Bruunensis senatus, ad quem pro consilio, quis de numero inventorum in stuba tamquam reus amputationis manus hospitis esset potius accusandus, recursum fuit, sententiaverunt ex praesumptionibus praescriptis accusari debere.

Tamen cum reus de carcere judicio praesentatus truncationem manus hospitis audiret sibi imponi, petivit pro se sententiam dari, cum jurati solum de gladio cruentato apud eum reperto testarentur, et non, quod plagam abscissionis manus per ipsum factam oenlis vidissent, utrum sibi non esset expurgatio juridica concedenda? Sententiatum fuit pro eo, quod sic.

Et nota quod aliud est, invenire reum cum gladio cruentato in ipso actu, vel non in actu, et aliud cum gladio nudo vel non nudo, et aliud in fuga vel non in fuga deprehendi; quia si in fuga cum gladio nudo infecto novo eruore quispiam per juratum invenius fuerit, cum fuga tamquam actui continua non videatur quodammodo ab actu distingui, judicatur ex praesumptione tamquam reus, et jurati super diffinitiva ferenda sententia mature

deliberabunt, et de hoc lege supra in juribus originalibus in illo paragraphe: Si autem homicida deprehensus fuerit in ipso actu cruentato gladio.

Circa praesumtiones subtiliter considerandum est, quae, in quo casu, in quo loco vel tempore, quo animo vel qua intentione sint necessariae, quia tales quodammodo animum judicantis movere possunt, et quae sint temerariae, quae animum ejus ad plenam faciendam probationem movere non debent. Est enim praesumptio alicujus dubii aliquotiens semiplena et aliquotiens plena investigatio.

Unde saepissime praesumptio semiplenis probationibus praestat adminiculum.

Et notandum, quod in omni causa, quae vertitur inter pauperes et potentes regulariter est merito pro pauperibus, quod justam causam foveant, praesumendum, quia non est verisimile, pauperes contra suos potentiores litem instituere, nisi necessitate compulsi.

Sunt ergo ex sententiis a locis diversis nunc per scripta et nunc per verba quae sitis collecta, quae sequuntur, et primo quae prae sumptionem mali generant in genere, et sunt ista:

Si accusatus fuerit prius infamis; dicit enim regula juris: Qui semel est malus, semper praesumitur esse malus.

Item distortio morum, vita vaga, circuitio nocturna sine causa rationabili, frequentatio tabernarum et ludi taxillorum, paupertas, et in expensis modum excedens, mutatio vel negatio proprii nominis in locis eisdem vel diversis, portatio experimentorum vulgariter dicendo otiosa delicias quaerens: *sigaret stain holer wegwart*, membranulacque ad modum retis dispositae, in quibus, quandoque nascuntur pueri, et vocantur in vulgari geserb et caracteres et alia multa consimilia. Herbis tamen, radicibus, et lapidibus seu gemmis sine dubio insunt virtutes naturales. De membranis vero famant vetulæ: Si recipiantur IX vel ad minus V et habeantur cum filo aureo et sericeo in ecclesia per novem dies, illo tempore, quo horae canonicae dicuntur per nonam, et postea ferantur per aliquem ad judicem vel ad judicium, ille obtinet causam suam.

Advocati etiam conservent se munire sambuco et plantagine, ut vincant in causis.

Item in specie praesumtiones generant ista: si soli duo pugnant et uno vulnerato alter rapiatur cum gladio nudo cruentato in actu vel in fuga per judicem et juratum; ex hac praesumptione cui

dom in Prostanie et incusato de homicidio fuit expurgatio abjudicata.

Item mutatio habitus virilis in muliebrem vel e converso, vel habitus laicalis in monachalem, vel alia consimilia. Et si solus rapiatur cum sola, et nudus cum nuda, ista faciunt praesumptionem in adulterio vel in stupro.

Item si manipuli diversorum granorum ut siliginis et tritici vel ejusdem grani accidentaliter in colore differentis, ut patet in tritico albo et nigro vel ruflo ad unum cumulum seu capite compositi fuerint, praesumptionem furti apud agricultas generant.

Diversae vero claves et instrumenta, quibus utuntur fures, sicut sunt uncii, pedes caprini, terebella magna, forcipes et consimilia, si in domibus et commodis aliquorum inveniuntur, praesumptionem faciunt in communi.

Ad idem pertinet auris abscessio, faciei cum ignito ferro signatio, membra mutilatio et caetera talia.

Item in testibus praesumptionem faciunt depositionis timor et trepidatio, verborum cespitatio, dictorum contradictio, loci vel temporis mutatio, et aliarum diversarum circumstantiarum, super quibus per prudentem inquisitorem testis interrogetur, variatio.

Et sic in diversis maleficiis per interrogatoria eorum inquisitioni proprie deservientia per sagacem judicem facti veritas poterit indagari.

